יהוה


INSTITUTIO THEOLOGICA
Ps. CXIX. 169.
כדברך הבינני
JOH. XVII. 17.
ὁ λογος ὁ σος αληθεια εστι·
ΑΚΡΟΓΩΝΙΑ
ΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ.

Jo. Jac. Hottinger, Chorherr d. Stift zu Zürich † 4 Febr. 1819
in [illegible] [illegible] [illegible].

JO. JAC. HOTTINGERI

OPUSCULA

PHILOLOGICA CRITICA

ATQUE

HERMENEUTICA

LIPSIAE
IN LIBRARIA WEIDMANNIA
MDCCCXVII

HENRICO HIRZELIO,

PHILOS. PROF. ET COLL. CAROL. CANONICO,

HENRICO BREMIO,

PRO VERIT. REL. CHRIST. PROF. ET COLL. CAROL. CANONICO,

FRID. SALOM. HULDRICO,

ELOQU. PROF.

JACOBO HORNERO,

ETHIC. ET JUR. NAT. PROF.

JO. JACOBO OCHSNERO,

LINGG. GR. ET LAT. IN COLL. HUM. PROF.

FRANCISCO PETTAVEL,

LITTER. ELEGANTIOR. IN SCHOLA NEOCOMENSI PROF.

VIRIS CLARISSIMIS

IGNIS SACRI

A TURRETINO, WERENFELSIO, OSTERWALDO,
ZIMMERMANNO, BREITINGERO

PATRONAE ACCENSI CUSTODIBUS

OLIM DISCIPULIS

NUNC AMICIS ET COLLEGIS CARISSIMIS

HOCCE OPUSCULORUM VOLUMEN

AMICITIAE ET HONORIS CAUSSA

D. D.

JO. JACOBUS HOTTINGERUS.

INDEX OPUSCULORUM.

DE

LUMINIBUS ELOQUENTIAE

LIBELLUS

QUI

ANNO MDCCLXXXV.

PUBLICE PROPOSITUM

AB

SOCIETATE LITTERARUM BELGICARUM
LUGDUNENSI

NUMI AUREI PRAEMIUM TULIT.

Scribendi recte sapere est et principium et fons.
Horat.

Veterum recentiorumque poetas maxime illustres apud animum recensentibus multis mirabile forsan videatur, quod in omni populo atque aetate tam sit eximia eorum paucitas, in quibus non sani incorruptique judicii vis plurimum desideretur. Nam ut omittam illos, qui vergentibus jam ad interitum litteris, communi temporis sui ruina sunt collapsi, vel optima quavis aetate multi ingenio praestantes, et ad gloriam veris artibus rectaque via quantum poterant nixi, saepissime tamen aberrantes ab semet ipsis velut desciverunt, atque adfinia *singulis* virtutibus vitia captantes, pro magnitudine tumorem, pro acumine putidum argutiarum frigus, pro copia divitiisque inertem quandam luxuriem sunt secuti, perinde quasi multo facilior esset rerum praeclararum inventio quam dilectus. Ejus calamitatis caussas ego in singulis plures atque diversas, plerumque autem communes esse potissimum arbitror sequentes. Scilicet id, quo poeta plurimum valet, vim illam dico visa rerum atque imagines concipiendi majorem atque vehementiorem quam in plerisque obtinet, sive phantasiam sive quocunque alio nomine appellare lubet, ea igitur cum certi acrisque judicii subtilitate in paucis omnino hominibus est conjuncta. Non equidem istas res, velut quae natura sunt contraria, ab se invicem abhorrere, atque omne in uno homine quasi contubernium recusare existimaverim: nam et summos philosophos phantasia plurimum valuisse constat, velut Platonem atque Leibnitium, in divinis autem poetis Homero Virgilioque non magis ingenium, quam rationis lumen atque judicii vim quamdam immensam admiramur.

Verumtamen cum istis virtutibus singulis eminere paucos videamus, tum utrasque simul eximio quodam modo in eodem homine junctas multo rarius inveniri posse, facile quidem per se intelligitur. Atque illud porro adfirmare minime dubitabo, ferventis phantasiae vi atque animi concitati vigore mentis aciem facillime obtundi, judiciumque etiam praeclarum vel opprimi vel debilitari. Idque vel inprimis in poetis ita fieri tanto magis propemodum est necesse, quod istae vires non eodem evolvuntur tenore neque una adolescunt, verum, effulgente eodem velut impetu phantasia, judicium paullatim maturescit, longoque rerum usu atque adsidua demum varii diversique cultus perficitur sollicitudine. Itaque plerique ea aetate, quae fere nihil simplex, nihil tranquillum aut sedatum amat, ingenio efflorescentes et jam carminibus clari, ubi defervente juventutis aestu, et acutius cernere et rectius sentire atque judicare incipiunt, has ipsas nacti virtutes, sine quibus carmen perfectum nullum existit, iis uti posse omnino desinunt. Atque etiamsi fortasse nonnulli supra aetatem sapientes erroris sui levitatem maturius perspexerunt, tamen laudis vel sic partae tenaces plerumque meliora sequi non audent, atque infirmioris aetatis aberrationem in consultum vitiorum convertunt patrocinium. Quorum ingenium si sapientis magistri voce ac praeceptione fuisset temperatum, neque profecto ipsi ab his artibus gloriam peterent, quibus pessima quaeque defenduntur, neque tam multos ad speciosi exempli infaustam post se traherent imitationem. Ex quo apparet sane, quantopere litterarum intersit, et praecepta recte scribendi saepius vulgari, et indicia illa exponi diligentius, quibus et sana eloquentia et inanis fucus pueriliaque verborum pigmenta aperto discrimine teneantur. Quod quanquam egregie a veteribus recentioribusque scriptoribus factum est saepe multis, tamen omnem, qui iisdem hisce rebus ingeminandis inculcandisque insumitur, laborem nos quidem

ensemus longe utilissimum. Quamobrem simulatque ab illustri doctissimorum virorum consessu isthanc quaestionem publice propositam legissemus, jussit nos animus vires in hac re nostras experiri atque videre, num forte ex iis, quae in veterum recentiorumque auctorum lectione passim a nobis sunt observata, lucem huc aliquam adferre possemus. Quo quidem in negotio quemadmodum doctissimorum virorum judicio operam isthanc nostram probari valde gloriosum censebimus, ita nos vinci a praestantiore litterarum caussa vel gaudebimus vel animo certe feremus aequiori.

Habet autem haec quaestio duas partes. Altera de veris falsisque luminibus eloquentiae sive de recto atque perverso ejus quod in poësi eminet, judicio, adfusa ex antiquorum recentiorumque poetarum carminibus exemplorum luce erit disputandum: altera ostendemus artes illas, quibus omnis in hoc genere judicii pravitas optime caveri posse videatur.

Lumina eloquentiae, quae sunt eadem ipsa poeseos — neque enim hoc nomen formae, verum generis esse volumus, quoniam et poetae quaedam est eloquentia, et cum hoc habet orator cum hanc partem tum alia plura communia — itaque lumina eloquentiae dicimus, quidquid e ceteris ita eminet, ut specie quadam praeclara atque insigni legentis animum percellat. Quare non quidquid bene recteque poeta dixerit, illud lumen est, quin adeo magna pulchritudinis pars ab hoc genere removetur. Neque enim vel orationis elegantia atque venustas, neque verborum vel dignitas vel pondus, neque decus illud per omne carmen aequabiliter fusum, neque ipsa phantasiae vis illa sedatior tranquilliorque, et quidquid ab ulla carminis universi parte abesse sine reprehensione non potest, hoc nomen recipit; quod quidem iis demum recte tribuitur, quae legentium animum in se cogunt morari, mentemque non leni perfusam voluptate in majorem suae vel magnitudinis vel qualis-

eunque praestantiae rapiunt admirationem. E quo genere sunt egregiae rerum imagines, sententiarum sublimitas aut acumen, postremo quidquid ita vel dicitur vel fingitur, ut ingenii humani modum prope excedere videatur. Quarum rerum omnium ita demum justa erit admiratio, uti diligenter excussae atque in omnem partem versae eamdem quam primum obtulerunt, veritatis pulchritudinisque speciem retinebunt.

Atque hoc quidem examen judiciumque quomodo sit instituendum, jam dicemus. Et quoniam omni in re error vitiorum notatione quam virtutum commemoratione multo facilius cavetur, in hacce omni disputatione nos rationem tenebimus illam, ut inprimis, quae et quot sint genera falsorum eloquentiae luminum, laudatis clarorum poetarum exemplis ostendamus, tum his, quantum opus videbitur, iisdem in caussis alia aliorum scriptorum loca probabilia opponamus, unde et singulis vitiis contrariae virtutes eorumque inter se discrimen facile intelligetur.

Triplici autem modo in hoc negotio peccari solet, vel materia vel forma vel loco. Materiam dico rem ipsam eorumque quae dicuntur naturam atque rationem internam, quae ubi reprehensione non caret, tum in luminibus existit illud, propter quod probari minime possunt. Cujus generis quatuor sunt caussae. Nam quae sic improbantur, vel falsitate displicent, vel quod, etiamsi praecipua sui parte vera, modum tamen excedunt, vel quia a rebus minutis justamque admirationem nullam habentibus sunt repetita, in quibus omnis quo ambitiosior diligentia eo ineptior est. Quarta caussa inest in imprudenti rerum dilectu, ubi in ornandis illis labor frustra consumitur, quae vel omne ornamentum refugiunt, vel quantumvis ornata non illam in animos vim habent neque habere possunt, quam poetae consilium sequebatur. Porro quorum forma reprehenditur, ea duplici ratione dividuntur. Aut enim speciem habent

nimis vulgarem, aut adfectata difficultate habituque parum naturali offendunt: quorum alterum ex infirmitate languorem adfert, alterum irrito conamine expectationem frustratur. Tandem quae et in se vera rectaque sunt, neque in forma ulla ex parte deficiunt, tamen loco non suo dicta in maximam incurrunt reprehensionem.

Veritas quidem ipsa quamvis per se parum ad pulchritudinem valeat, tamen profecto nisi quod verum sit, pulchrum esse nihil omnino potest. Itaque falsa omnia nonnisi tantisper placent, quoad errore quidem aliquo pro veris habentur, aperto autem illo cum fide simul amittunt speciem pulchritudinis. Idque fieri aliter sane non potest. Quod enim falsum, idem inane atque nihil est. Earum autem adfectionum, quibus aliquid esse ponitur, nulla locum habere potest nisi in eo quod ipsum est aliquid: unde efficitur, ut pulchrum censeri nisi quod verum sit nihil possit. Neque ego nunc falsa dico, quorum simile nihil in rebus illis quae existunt deprehendatur, qualia poetis licet quidem illis effingere multa; quin potius existimo illa, quae falsitatem habent internam, ita ut neque phantasia ea tueri neque mens cogitatione comprehendere possit.

Hujusmodi vero res et qui dicunt et qui probant, certe id faciunt veritatis quadam specie atque similitudine decepti. Atque hoc turpius in eo genere est vitium, quo levior est similitudinis species, quoque longius petita ratio ejus quod dicitur aut fingitur. Inest autem omnis similitudo vel in rebus vel in verbis. Prius illud genus prae posteriori tanto paratiorem habere videtur excusationem, quanto facilior esse debet rerum etiam dissimillimarum ob similitudinis quamdam speciem quam propter inanem verborum sonum inter se permutatio. Sed quanquam omnis circa verba aberratio habet permultum sane levitatis, tamen et in illa parte interdum tanta est peccandi imprudentia, ut vel maxime pueri-

lem verborum lusum facile possit aequiparare. Quod quidem, ut opinor, exemplorum, quae ad utrumque genus proferemus, contentione satis intelligetur.

Veritatem multi desiderarunt in Lucani versibus illis, quibus Caesaris Pompejique caussas inter se conferens, Deorum numini atque majestati unius Catonis auctoritatem opponit:

> Quis justius induit arma,
> Scire nefas: magno se judice quisque tuetur.
> Victrix caussa Deis placuit, sed victa Catoni.

Quanquam meo quidem judicio Lucanus multis aliis in locis justius fortasse reprehensus, in hoc certe habet aliquam sive defensionem sive excusationem in veterum religione: quippe quos constat de Deorum sapientia atque justitia longe aliter sensisse quam nostram aetatem, neque omnino illorum eam animo informasse notionem, quae una praestantissimae naturae conveniebat. Quod cum antiquitas omnis docet, tum in primis carminum Homericorum ratio innumerabilibus ostendit exemplis. Equidem hanc ob caussam Lucanum alio loco, ad reprehensionem magis etiam aperto, lenius tamen culpandum censuerim. Illa dico, quae Lib. II. v. 91. seqq. hunc in modum leguntur:

> Solatia fati
> Carthago Mariusque tulit, pariterque jacentes
> Ignovere Deis cet.

In promtu enim essent multa veterum auctorum loca, quibus ex communi hominum opinione Diis crudelitas, injustitia atque erga homines invidentia tribuitur, nisi inutilis esset labor omnis in re satis per se cognita.

At certe longe severior in hoc genere Christiani poetae lex est. Neque ego profecto habeo quo Hallerum praestantissimum poetam illo versu

> Den Caesar schützte Gott, und Cato die Besiegten,

Lucani vestigia prementem vel defendendum vel excusandum putem, nisi hoc unum, quod isthoc aetatis

nondum maturae vitium, firmato postea judicio sic abolevit:

Den Caesar schützt das Glück, und Cato die Besiegten.

Superiori autem illa sententia cogitari falsius nihil potest; quoniam nefas tueri prorsus a natura divina abhorret. Quod si vero quis poetam ita defendi posse existimet, ut Deum pejorem Caesaris caussam ita plane tuitum dixerit, quemadmodum mala multa atque scelera fieri sapientissimo patitur consilio, quanquam non est obscurum, quid de versu sentiendum sit, quem poeta ipse censuit mutandum: sed si quis ita accipiat, tum et sensus frangitur, et vis oppositionis diluitur, adeoque nec lumen erit.

Illud autem quaeri possit, quantam vulgi opinio communisve temporum hominumque religio poetae in his rebus concedat licentiam, sitne illa nullis circumscripta finibus an certis regulis terminanda coercendaque videatur. Atque ego quidem, quidquid a fide non prorsus abhorreat aut tale sit, ut cogitari plane non possit, liberum cuivis fingendi dicendive puto arbitrium: contra vero quae etsi verissima divinaeque religionis mysteriis consecrata, mens tamen assequi cogitatione non potest, ab iis utique abstinendum poetae censeo. Itaque quidquid veteres suis religionibus convenienter finxerunt, quamvis et falsa in se et absurda esse non ignorem, iis tamen offendor minime, modo ne aberrent vel a vulgari hominum judicio vel ab sensuum aut phantasiae probabilitate. Neque enim philosophamur, dum poetas legimus, verumque illud quod in carminibus requiritur, non ratione metimur magis quam sensu. Plurimum vero offendor poetarum quorumdam Christianorum licentia, qui ex religione sua, cujus partim divina simplicitas, partim augusta venerandae obscuritatis species ornamenta poetica ferre recusat, interdum ea depromunt, quae tacita fide credenda suspiciendaque, a communi hominum judicio et intelligentia

pariter atque a philosophorum subtilitate sunt remota. Cujus generis multa occurrunt in Klopstockii, divini spiritus atque rerum sententiarumque sublimitate omnium temporum poetae nemini secundi, egregio Christiados carmine, in quo, ut hoc obiter moneam, argumenti dilectus, poemati epico parum convenientis, non extrema fortasse sit reprehensio. In hoc igitur, ut e multis unum attingam, quis probare possit coram Deo patre Christum, ipsum Deum, in genua prolapsum, flentem, orantem atque imminentis sibi mortis cogitatione cohorrentem? Sed feramus hoc in Christo cum humana carne aliquam humanae imbecillitatis partem induto. An etiam ferri possit, quod patri narrat propter humanum genus lacrymas olim ab se nondum homine profusas?

Ach unsre Geschöpfe, wie elend
Waren sie, sonst unsterblich, nun Staub, von der Sünde verstellet!
Vater, ich sah ihr Elend, du meine Thränen.

Ut taceam illa:

Hier lieg' ich, göttlicher Vater,
Noch mit den Zügen der Menschheit, nach deinem Bilde gezieret,
Betend vor dir: bald aber wird mich dein tödtend Gerichte
Blutig entstellen, und unter den Staub der Todten begraben.

Atque post paullo:

Schon sink' ich vor dir in niedrigen Staub hin,
Lieg' und bet' und winde mich, Vater, im Todesschweiſse.

Ab isthac autem animi adflicti et prostrati humilitate quantopere abhorret finis:

Weiter sagt' er und sprach: Ich hebe gen Himmel mein Haupt auf,
Meine Hand in die Wolken und schwöre dir bey mir selber,
Der ich Gott bin wie du; ich will die Menschen erlösen.

Quae postrema habent illa sane magnam sublimitatis speciem: eam vero inanem esse inde fit clarum, quod in illis veritas nulla inest ab ratione, et ne a communi quidem hominum sensu judicioque, sed ab una religione, cujus in hujuscemodi rebus decernendis auctoritatem nullam esse debere, ut quisque est perspicacissimus, ita maxime intelligit.*) Religionem dico? At ne illa quidem judex Klopstockium absolvet. Nam certe Deum unum statuens, nullo ejusmodi discrimine a patre filium distinguit, quo alterius ad alterum talis sermo excusari possit. Alia longe res est in veterum religione. In qua ingens Deorum numerus neminem nisi philosophum offendit, cum eorumdem in unitate multitudo per se plurimum habeat offensionis. Atque ut rem paucis absolvam, quaecunque communem hominum fugiunt intelligentiam, ea etiamsi vera, tamen in poesi cum iis, quae sunt falsa, in eadem censentur classe. Sed pergo ad alia.

Ineptissimi sunt Theophili veteris cujusdam Francogalli poetae versus, ab ejus gentis criticis merito saepe reprehensi, quibus Thisben inducit ad exanimum Pyrami corpus ita loquentem:

Ha! voicy le poignard, qui du sang de son maistre
S'est souillé laschement, il en rougit, le traistre.

Nam ut omittam effrenatam illam licentiam, qua pugioni sensus tribuitur, ecquid turpius erat, quam partim in hunc crimen conferri quod totum erat Pyrami, partim ruborem ex adsperso sanguine natum confundi

---

*) In Dingen des Geschmacks und der Kritik, sind Gründe aus der Religion genommen, recht gut seinen Gegner zum Stillschweigen zu bringen, aber nicht so recht tauglich, ihn zu überzeugen. Die Religion, als Religion, muſs hier nichts entscheiden sollen; nur als eine Art von Ueberlieferung des Alterthums, gilt ihr Zeugniſs nicht mehr und nicht weniger als andre Zeugnisse des Alterthums gelten. — Hamburgische Dramaturgie von Lessing. I. p. 28.

cum illo, quem criminis pudendi adfert conscientia! Eadem paulo ante fingit rivum culpae, qua Pyramo suo mortem adscivisset, atrocitate fugientem:

Ce ruisseau fuit d'horreur, qu'il a de mon injure.

Nempe, ut puto, ante Pyrami caedem stagnaverat. Haec et talia magis poetarum sunt flagitia quam errores. Adeo enim veritatis ne ullam quidem umbram habent, ut vel imperitissimi cujusque sensum statim offendant. Sed sunt alia non minus falsa, quae tamen specie sua nonnumquam etiam viris imponant. Equidem memini Buhursium, elegantiae judicem satis subtilem, inter pulcherrima Graecorum Epigrammata referre illud Antipatri Sidonii in Venerem Anadyomenen, quod est ab Ausonio ita latine redditum:

Emersam pelagi nuper genitalibue undis
  Cyprin Apellei cerne laboris opus;
Ut complexa manu madidos salis aequore crines
  Humidulis spumas stringit utraque comis.
Jam tibi nos Cypri, Juno inquit et innuba Pallas,
  Cedimus et formae praemia deferimus.

In hoc tamen a Graeco discrepat Ausonius, quod quae hic Junonem atque Pallada velut jam viso Veneris signo dicentes inducit, ille, si quid intelligo, ait dicturas esse, si viderint. Quid autem dicturas? Victas se formae pretium Veneri ultro deferre? At illae quidem valde ineptae fuerint, si hoc dixerint. Quid enim? Voluitne poeta hoc significare, Apellis signum forma Deam ipsam vincere? Id quidem fieri nequit, quandoquidem in Venere pulchritudinis exemplar est consummatum. An aequiparare? Itaque quod ipsius Veneris adspectus in Deabus non valuit, ut sese faterentur victas, id apud easdem imago simillima Veneris valebit? Quare poeta consilio suo excidens, magnificas quas artifici parabat laudes, sententiae falsitate ipsemet corrupit.

Insigniori autem quadam ratione reprehenduntur lumina illa, in quibus praeter veritatem etiam desidera-

tur honestas; quae ipsa est veritas in rebus ad vitam atque mores pertinentibus. Nam falsitas omnis eo magis in vitio ponitur, quo gravior perniciosiorque fuerit error, a quo sit profecta. Ergo de rebus recte judicans nemo sane laudabit illa, quae Lucanus satis tristi bellorum civilium deplorationi subjunxit.

Quod si non aliam venturo fata Neroni
Invenere viam, magnoque aeterna parantur
Regna Deis, coelumque suo servire Tonanti
Nonnisi saevorum potuit post bella Gigantum:
Jam nihil, o Superi, querimur; scelera ipsa nefasque
Hac mercede placent: diros Pharsalia campos
Impleat, ut Poeni saturentur sanguine manes: etc.

Nam ut detestabilem adulationis turpitudinem praeteream, quid omnino indignius sapienti viro, quam scelerum qualicunque de caussa adprobatio? Etsi enim video, unde huic loco defensionem petere Lucani admiratores possint, tamen et inanem illam esse intelligo, propterea quod scelerum cogitationem vir bonus bonorum inde profectorum magnitudine quidem solari, sed illa probare non magis possit, quam eadem ipse similem propter caussam patrare. Carminis quidem epici gravitas, meo certe sensu judicioque, hujuscemodi sententiam omnem respuit. Major vel in his quoque, dum tamen modus aliquis servetur, est licentia in carminum genere illo ludicro aut leviori, in quibus, quae in illo atrocia viderentur, nonnunquam possunt vel excusari vel etiam placere. Cujus rei caussa, ut puto, haec est, quod poeta in loco desipiens, interdum ea dicere videri possit, quae non videatur facturus. Itaque me non offendunt poetae, cujusdam Germani versus, quibus, Horatii Donec gratus eram, imitatus, Phyllida inducit isto modo loquentem: *)

*) Lyrische Blumenlese. VI. Buch.

Jetzt könnt' ich mich an Thyrsis Lieb' ergötzen,
Der meinen Gram zu lindern längst begehrt.
Ja Thyrsis will mir Damis Lieb' ersetzen,
Und ach! sein Kuſs wär' einer Sünde werth.

Postremus itaque versus quanquam magnam habet cum Lucani illa sententia adfinitatem, tamen ita prorsus placet, quemadmodum saepe in vita multorum lascivius aut nequius dictorum petulantiae arridemus, eadem serio dicta nunquam adprobaturi.

Sed in luminum isthoc genere, cujus falsitas inest in rebus ipsis, nullum frequentius neque absurdius vitium est illo, quod oritur ex confusione corporis cum animo, rerumque corporearum cum iis quae ad sensus non pertinent. Ita semel certe ineptus fuit ipse Cicero, sanae eloquentiae et exemplum et magister summus. Nam in oratione pro Roscio Amerino locutus de parricidarum supplicio, quos majores insui in culeum vivos atque ita in flumen abjici voluissent; ejus poenae sapientiam extollens ita pergit: *O singularem sapientiam, judices! Nonne videntur hunc hominem ex rerum natura sustulisse et eripuisse, cui repente coelum, solem, aquam terramque ademerunt? ut qui eum necasset, unde ipse natus esset, careret iis rebus omnibus, ex quibus omnia nata esse dicuntur. Noluerunt feris corpus objicere, ne bestiis quoque, quae tantum sceleus attigissent, immanioribus uteremur: non sic nudos in flumen dejicere, ne, cum delati essent in mare, ipsum polluerent, quo cetera quae violata sunt, expiari putantur.* Isthic quidem omnia frigent, sed posteriora inprimis et falsa sunt et inepta, cum scelus omne in mente atque animo insit, adeoque neque ipsum per se, neque corporis contagio ullum corpus possit inquinare. Sed ignoscenda haec summi oratoris pueritiae sunt tanto magis, quod vana populi admiratione minime deceptus, eadem isthaec

aetate maturior ipse castigavit. *) Ex hoc genere quoque est illud Plutarchi in vita Alexandri Magni. Ubi cum retulisset dictum aliquod Hegesiae Magnesii, nec meo judicio valde ingeniosum videlicet, mirandum non esse, quod qua nocte Alexander nasceretur, templum Dianae Ephesiae deflagravisset, quod nimirum Dea domo absens in eo partu obstetricis munere esset functa, addit, *tantum frigus in hac sententia inesse, ut ipsum incendium restinguere potuisset.* Quo ineptius puerilius que dici nihil poterat.

Verum addamus hisce adhuc nonnulla poetarum exempla. Absurdus est apud Senecam tragicum Hercules ab Jove recipi in coelum his verbis postulans:

Quid tamen neotis moras?
Numquid timemur? numquid impositum sibi
Non poterit Atlas ferre cum coelo Herculem?

Plumbeum vero Herculem, a cujus unius pondere Atlanti metuendum videatur! At non metuit Hercules. Recte, nisi quod metum tam inanem vel suspicatus in Jove ipse maxime est ridiculus. Da enim Herculi corporis molem quantumvis immanem. Quantula haec erit laboris accessio illi, qui ceteris omnibus sustinendis par fuerit! Sed nimirum pondus non corporis, verum virtutis rerumque gestarum intelligit, quod vel maxime est absurdum. Eodem plane modo in eadem re ineptus fuit Ovidius Metam. Lib. IX. de Hercule Diis illato hoc referens:

Quem pater omnipotens inter cava nubila raptum
Quadrijugo curru radiantibus intulit astris.
Sensit Atlas pondus.

Idem Lucano accidit, qui in Pharsaliae principio Georgicon aemulatus initium secumque deliberans, ecquam

---

*) Quantis illa clamoribus adolescentuli diximus de supplicio parricidarum? quae nequaquam satis deferbuisse post aliquanto sentire coepimus. In Oratore cap. XXX.

Nero coeli partem olim esset occupaturus, praeter alia hoc habet.

Aetheris immensi partem si presseris unam,
Sentiet axis onus. Librati pondera coeli
Orbe tene medio.

Praetereo similes aliorum ineptias. Magna enim est labendi in hoc genere facilitas, praesertim judicio nondum satis firmato neque ingenio disciplinis philosophicis subacto. In poetarum quidem vulgo talia nemini accident inexpectata: illud miror, Lessingium, quo in rebus criticis virum subtiliorem acutioremque Germanorum natio habuit nullum, ad hos ipsos scopulos haesisse. Illos puto versus, quibus Horatii illud, dulcia barbare laedentem oscula, satis ridicule sic est imitatus:

Dann fühl' ich sie, die süfsen Küsse,
Die ein barbarscher Biss verletzt,
Sie welche Venus nebst dem Bisse
In's Fünftheil ihres Nectar's netzt.

Haec qui intellexerit, aut explicaverit quo modo oscula vel dente laedi vel nectare imbui possint, nae is mihi magnus erit Apollo. Sed nimirum Horatii oscula basia esse putavit, eaque viro magno errandi caussa extitit. Quanquam erroris pars haec quidem est minima, multoque lenius ferrem Horatium immerito castigantem quam sic imitatum. Verum et hujus vitii veniam dabimus Lessingio adolescentulo, qui vir postea pluribus praestantissimisque scriptis de litteris Germanorum elegantioribus immortaliter est promeritus.

Alteram generis hujus, quod veritate caret, formam lumina illa constituunt, quorum falsitas inani verborum lusu continetur. Addo inanem, quia non omnem per se puto talem esse, cum sit aliquis et ingeniosus et qui vel doctis auribus placere admodum possit. Omnis autem verborum lusus vel circa vocabulorum sensum versatur vel sonum. In priori genere poeta alium sensum ostendit, alium premit. Atque verus et

probabilis lusus is est, ubi eruto intellectoque eo quod premebatur, simul etiam sententiae, quae primum aut obscura erat aut falsa videbatur, intelligetur veritas. Unde ex dispulsa falsitatis opinione grata nascitur admiratio. Cujusmodi est poetae veteris Graeci in Nearchum quemdam nobile epigramma:

Εἴη σοι κατὰ γῆς κούφη κόνις, οἰκτρὲ Νέαρχε,
Ὄφρα σε ῥηϊδίως ἐξερύσωσι κύνες.

Nimirum hic est aliqua unius vocabuli ambiguitas, qua efficitur, ut prior versus aliam sententiam ostendat, aliam exhibeat posterior. Nam qui initium legent, iis cum formula inscriptionum sollemni is primum sensus occurret, ut poetam ossibus mali hominis placidam quietem precari existiment. Sed quo consilio terram *levem* precetur, ex sequentibus demum intelligitur. Qui talis exitus animum ferit tanto magis, quanto acerbior est irrisio mali hominis, pro expectato beneficio meritum malum ferentis.

At diversa est ratio in verborum illo lusu, qui veritate caret. Ibi poeta falsum vocabulorum sensum non ostendit magis, quam in veri locum sufficit, hunc autem non premere modo studet, verum abscondere, quod illo perspecto simul omnis sententiae inanitas intelligeretur. Itaque ejusmodi lusum imperita quidem hominum amat multitudo, cui pro rebus verba dare est facillimum, doctissimus autem quisque maxime abjicit et fastidit. Quanquam et in poetis plures reperio et ingenio praestantes et doctrina claros, quibus ita ludere non se indignum videretur. Extat in Venerem armatam Graecum epigramma, quod Anthologiae Lib. IV. sic legitur:

Παλλὰς τὰν Κυθέρειαν ἔνοπλον εἶπεν ἰδοῦσα·
Κύπρι, θέλεις οὕτως ἐς κρίσιν ἐρχόμεθα;
Ἡ δ᾽ ἁπαλὸν γελάσασα· Τί μοι σάκος ἀντίον αἴρειν;
Εἰ γυμνὴ νικῶ, πῶς ὅταν ὅπλα λάβω;

Quae sic sunt conversa ab Ausonio:

Armatam vidit Venerem Lacedaemone Pallas.
Nunc certemus, ait, judice vel Paride.
Cui Venus: Armatam tu me, temeraria, temnis,
Quae, quo te vici tempore, nuda fui?

Hic sibi placeat licebit Cytherea vel potius poeta responso, quod mihi quidem nasutuli cujusdam effugio simillimum videtur, rationem, quia ratione convellere non potest, facetiis eludentis. Excutiamus igitur illam unam vocem *vici*, in qua latet ambiguitas. Ea quae tum erit sententia? Nempe nuda te *forma* vici. Num ideo armis armatam? Ita ipsum Dejanira Herculem, Briseis Achillem atque Helena una omnem Graecorum exercitum vincat. Sed illum sensum, qui unus verus est, suppressa voce *forma* tegere voluit poeta, abscondere non potuit: quo perspecto, quid relinquitur quod admiratione dignum videatur? Quasi vero, inquis, non hoc ipsum Venus sentiret, aut quasi illud potius ageret, ut armis sese Palladi praestare serio contendat, quam ut lacessita illius in se dicacitatem joci non illepidi facetiis repellat. Equidem fateor, ita intellectum poetam culpa liberari, quamvis carminis ipsius species haud parum imminuatur. Nam pro sententia gravi atque magna habebimus joci non infaceti levitatem, qui risum fortasse, sed admirationem certe nullam moveat. Neque ego sane negaverim, in carminum genere leviori illo et joculari ipsam interdum falsitatem placere posse veritatis specie oblatam. Modo sentiamus, neque poetam ipsum pro vero speciem amplexum esse, neque legentibus dare velle.

Quid autem de illo Voltaerii in Detuschium epigrammate judicabimus?

Auteur solide, ingénieux,
Qui du théâtre êtes le maître;
Vous qui fîtes le Glorieux,
Il ne tiendroit qu' à vous de l' être.

Quos ego versus Voltaerii esse vix cuiquam crediderim, nisi et gentis suae criticis, et haec ipsa velut ingeniosa laudantibus. *) Adeo in illis non acumen modo, verum et judicium omne desidero. Nempe quid dicit? *Tu qui gloriosum fecisti, ipse, si modo velis, esse poteris.* Fecerat autem Detuschius fabulam, cui inscriptum est nomen *Gloriosi.* In qua voce ludens Voltaerius modo jactatorem, modo gloria famaque inclytum intelligit. Quae, quis est tam imperitus aut simplex, ut inter se possit confundere? Omnis autem lusus verborum eo ineptior est, quo magis faciliusque falsitas patescit. Atque hic quidem quam sit inanis, tum intelligetur maxime, si isthaec cum superioribus contendamus. Tum nimirum reperiemus, Graecum priorem vera dixisse falsi speciem habentia, alterum falsa quidem, sed quae paulisper certe vera videantur, cum haec, ut sunt falsa, statim adpareant. Et tanto melius, hercle, quod adparent. Nam si vox *gloriosi* vel tantisper in postremo versu eodem sensu quo in priori posita videri posset, Detuschius hujuscemodi laudem, ut puto, maximopere deprecaretur. Quod si porro velimus Graeci in Venerem epigrammatis comparatione dispicere, unde haec major et apertior falsitas nata fuerit, videbimus Graecum res forma quidem diversas, sed tamen genere conjunctas permutasse, victoriam puto armorum et pulchritudinis, cum in hoc nostro jactatio atque gloria non forma modo, sed etiam genere discrepent, neque communi quodam nomine possint conjungi. Sed neque isthaec est ambiguitatis in his versibus turpitudo omnis. Nam illa

Vous qui fîtes le Glorieux,

duplicem sensum habere non modo possunt, sed vel debent, si velimus poetae rationem eorum quae dicit

---

*) Dictionnaire littéraire extrait des meilleurs auteurs anciens et modernes. à Liège. 1768. Tom. I. p. 434.

aut significat constare. Proprie quidem accipienda sunt, quatenus ad fabulam editam a Detuschio respicitur: aliter vero, si antitheton illud spectes, quod cum hoc versu efficit sequens, quodque tale est. *Tu quidem faciebas* i. e. *agebas Gloriosum: quo quid tibi opus est, cum esse, modo velis, possis?* Quid autem est pueriliter ludere, nisi hoc est? Jam enim haec verborum non modo ambiguitas est, sed duplicatio, idemque enunciatum, quasi bis legeretur; bis certe est diverso sensu cogitandum. Itane Voltaerium labi potuisse, et esse quibus vel ita Voltaerius placeat? Ego vero operum ejus illud quod praestantissimum habetur non meream, ut hosce versiculos scripserim.

Pessimus autem sine dubio verborum lusus is est, qui circa vocabulorum versatur sonum. Quae res tam per se est clara, ut explicatione fere non egeat. Nam quae major est levitas, quam rerum propter nominum, quae hominum libido rebus imposuit, similitudinem confusio? Omnis quidem verborum lusus nititur ille quodammodo verborum sono, sed alius tamen notionum atque rerum ex parte similitudine juvatur; ille vero, quem nunc dicimus, rebus dissimillimis propter commune nomen eamdem tribuit naturam. Unde fit, ut, quoniam in diversis linguis res dissimiles eaedem eadem nomina rarissime sunt sortita, ejusmodi lusus ex alia in aliam lingua transferri vix unquam possit. Quod ipsum per se mali ominis esse quivis statim intelliget. Hujuscemodi vero ineptiis etiam viros interdum potuisse oblectari quis crederet, nisi ejus rei plurima extarent luculentissimaque exempla? Cujus generis plura sunt a Cicerone perquam frigide in Verrem dicta: ut cum *jus Verrinum* diceret, et *futurum, ut omnia verreret*, et *Herculi*, quem expilaverat, *molestiorem apro Erymanthio fuisse*, et *malum Sacerdotem, qui tam nequam verrem reliquisset*, quod Sacerdoti Ver-

res successerat. *) Ineptius etiam lusit Sannazarius ille in Jocondum quemdam sacerdotem epigrammate.

Jocondus geminum imposuit tibi, Sequana, pontem;
Hunc tu jure potes dicere pontificem.

Bene vero factum, quod qui pontem fecerat, idem sacerdos erat; aliter enim poetae epigrammatis tam faceti caussa perierat: nisi quod parum intelligimus, quid pontifici cum ponte commune sit, praeter sonum. Pontifex certe, quatenus nomen est sacerdotis, sive ejus ea origo fuit, quam Varro tradit, sive quaecunque alia, tam jure dicitur qui pontem nullum fecit, quam qui aliquem fecit; sin pontis conditorem intelligis, certe is demum, seu sacerdos seu alius quisque, pontifex erit, qui pontem fecerit. Idque per se tam planum est atque apertum, ut dicere prorsus ineptum sit. Ita quomodocunque acceperis, sententia erit inanis atque inficeta. Insulsus quoque est lusus apud Horatium Persii cujusdam in Rupilium cognomine Regem parum ingeniose dicacis.

Per magnos, Brute, Deos te
Oro, qui Reges consueris tollere, cur non
Hunc Regem jugulas? operum hoc, mihi crede, tuorum est.

Haec absurdissima esse quis non sentit? quanquam quis ferat Homium, ipsum ideo Horatium reprehendentem? Quasi vero obscurum esset, poetam toto isthoc carmine aliud nihil agere, quam ut ineptissimorum hominum par legentibus exponat deridendum. Quorum igitur alterius qui inanissimus est lusus, eum Horatio tribui nonne est iniquissimum? nisi quod tanta hujus joci est insulsitas, ut ne satis quidem dignus risu videatur. Plura et hujus et superioris generis exempla qui quaerat, is in Schaekspirio, poeta ut ingenio summo, ita omnium minime castigato, singulis fere paginis reperiet.

*) Quinctilian. Institut. orat. Lib. V. c. 3.

Altera classis falsorum eloquentiae luminum, quae a materia reprehenduntur, est eorum, quae modum omnem excedunt. Quamvis igitur poetae res augere atque supra veritatem attollere aliquantum licet, tamen profecto servandi sunt illi fines, quos natura singulis rebus constituit. Istorum autem finium aestimatio pendet ex eorum, quae in quaque re necessario insunt, intelligentia, qua perspicitur, quid de rebus ipsis salva illarum vi et natura possit praedicari. Itaque vitiosum est omne id, quod cum rei de qua dicitur natura pugnat, seu quo posito res, cui illud tribuitur, ea ipsa non esset, quam suo nomine significatam poeta intelligi voluit. Loquor autem de pugnantia illa, quae non ex qualitate sed ex quantitate sive modo oritur, ut cum res tanta vel bonitate vel qualicunque praestantia fingitur, quanta in ejus naturam minime cadit. Quamvis et in qualitate modus excedi potest, non quidem in se, sed quatenus poeta aperto res ingentes atque inauditas fingendi dicendive studio, quos per naturam protendere fines non potest, transgreditur, atque pro magnis portentosa captans, vitiorum singulis virtutibus proximorum sequitur adfinitatem.

Primum itaque modum excedunt, qui de rebus exiguis atque tenuibus dicunt ea quae nonnisi locum habent in magnis. Quod absurdissimum esse statim intelligitur, quoniam in parvis magna jactans eadem ipse profitetur esse magna, siquidem res omnis ex qualitate sua censetur, neque id quod efficitur caussa sua majus esse ullo modo potest. Itaque nolit femina conjugem lugens lacrymis suis terrarum orbem inundare, *) neque poeta male sanus eumdem terrarum orbem,

*) All springs reduce their currents to mine eyes,
That I, being govern'd by the watry moon,
May send forth plenteous tears to drown the world,
Ah, for my husband, for my dear Lord Edward.
Schaekspirius in Richardo III. Act. II. Sc. 2.

unius hominis corpusculo poscat tumulum, aut funeri stellas pro facibus, pro lacrymis maria adhibeat. Quae fuit poetae cujusdam Hispani insania, cujus extant in mortem Caroli quinti illi versus:

Pro tumulo ponas orbem, pro tegmine coelum,
Sidera pro facibus, pro lacrymis maria. *)

At hercle tumulo modus est, corporis quod conditur magnitudo. Encelado quidem satis fuit una insula Sicilia: Caroli autem corpori tantillo qui orbem terrarum poscat, perinde mihi sapere videtur, ac si vivo gladium daret, quo lunam tangeret, aut quidquid terra, silvae atque maria alimentorum habent, una coena adponeret. Quid opus est gladio, quo non possit uti, aut coena, quantam si devoraret, postridie fame perire sibi fuerit necesse? Enimvero tumulus est, quidquid humi excluditur corpore defosso: idque poetae furor ne tantillum quidem augebit. Superimponat licet urbes atque montes, haec omnia tumulus non magis erunt, quam viventis Imperatoris Palatium vestis fuerat. Tegmen vero coelum non invidebimus, modo eodem et ceterae res omnes tegantur. Eodemque modo et sidera luceant funeri, dum adsunt; nam illa hunc in finem creari, ut puto, ineptum esset, cum impensa multo minori funebris pompa illustrari posset. Tandem quod pro lacrymis maria ponit, si maria haec dicit quae sunt, parum vidit, pro lacrymis hanc aquam non magis quam pro vino poni posse; sin lacrymis pro Carolo effusis nova vult maria existere, oculorum, quibus hoc erat efficiendum, magnitudinem, ut opinor, animo metitus non est.

---

*) Similis priori versui est Lucani sententia, qui Lib. VIII. in tumulum Pompeji perquam pueriliter sic lusit:

Temeraria dextra,
Cur obicis Magno tumulum, manesque vagantes
Includis? — — Romanum nomen et omne
Imperium Magno est tumuli modus — etc.

Verum in rebus etiam magnis facile exceditur modus, vel per se vel illarum cum longe majoribus comparatione. Magna esse potest singulorum in magno quodam exercitu militum fortitudo. Sed omnes Herculis dicere similes, insanire potius est, quam verbis eorum virtutem extollere. Quod facit Boilavius in carmine illo, quo Namurci expugnationem celebravit. Ubi postquam arcem et praeruptis saxis et duplici flumine inaccessam ostendisset, ita pergit:

Dix mille vaillans Alcides,
L'abordant de toutes parts,
D'éclairs au loin homicides
Font petiller leurs remparts.

Haec quaeso an hyperbole an dementia est? Unum quidem exercitus Imperatorem aut e ducibus aliquem Herculis ferri similem facile patiar, at exercitum decem millibus Herculea virtute militum constantem quis non rideat? Antiquitas quidem sapientior illa unum habebat Herculem, ut quae sciret, vel in iis quae essent summa, si vulgarentur, admirationem remitti; Boilavius vero decem millia fingens, militum, quos laudat, virtutem non magis extollit quam deprimit Herculem. Nam neque is sibi nimium placeat, qui tot alios similes sibi atque pares esse sciat, et tot talium bellatorum, aequato Marte, in nullo hoste non ignobilis erit victoria. Sed quod mireris, isthaec decem Herculum millia ne tenent quidem arcem natura munitissimam. Quantus igitur erit, qui illam expugnaverit!

Quelle effroiable Puissance
Aujourd' hui pourtant s'avance
Preste à foudroyer tes monts!
Quel bruit, quel feu l'environne!
C'est Jupiter en personne,
Ou c'est le vainqueur de Mons.

Hoc per ipsum Jovem, qui hic in auxilium vocatur, an est laudare? At certe nisi tu, magne Boilavi, salsius

hominum vitia ineptiasque rideres, satyris tuis, opere prorsus divino, careremus. Superiora autem illa quantopere modum excederent, videntur sensisse, qui hoc carmen latinum reddiderunt, Langletus et Blandellus, viri clarissimi, quorum alter sic vertens,

> Delecta summis turribus insidet
> Enses coruscans mille virum manus,
> Dextraque fatales rubente
> Desuper ejaculatur ignes,

alter illos substituens versus,

> At qui moenibus arduis
> Stant lecti juvenes, horrificant diem
> Funestis procul ignibus:
> Muri fulminea grandine personant,

Boilavii sententiam inani tumore liberaverunt.

Mihi quidem etiam solet displicere illa poetae cum imperatore contentio a Dionysio poeta quodam Germano non ignobili facta: *)

> Hub dein Herrscher den Spiefs, hubst du dein Harfenspiel,
> Schlug er Schlachten der Held, schlugst du die Saiten an;
> Kehrt' er Sieger zurück, kehrtest du Sieger auch,
> Er vom Felde, vom Liede du.

Non ego profecto poeseos, quam maximi equidem facio, laudem extenuabo, neque omnino dicam poetae praeclari gloriam minorem esse quam ducis aut imperatoris; illud autem asserere minime dubito, isthanc talem poetae cum imperatore contentionem et inanem esse et modum plane excedere. Inanem dico, quia quae utrique communia referuntur, non ex interna rei natura depromta sunt, sed ab ejusdem specie atque forma petita. In hoc enim convenit poetae cum imperatore, quod uterque aliquid tollunt, pellunt, et ab opere perfecto revertuntur. Atqui sic ignobili cuivis opifici cum

*) An Friedrich's Barden (Ramler) von Denis.

imperatore conveniet. Sed vel mutemus signa cum rebus, tamen poetae longe majora tribui, quam oportebat, facile, ut opinor, reperiat, quicunque recte judicabit. Quid enim? imperatorem proelium parare, poetam carmen meditari, tantumdemne aestimabimus? Hic quidem ingreditur opus tranquillum et quietum, neque permagni in se momenti neque labore admodum difficile. At ibi quae sunt molestiae, quae jactationes, quae pericula, quam subitae rerum conversiones, quantae machinationes, quae denique corporis animique intentio atque agitatio? Ipsa autem victoria ad multorum hominum vel calamitatem vel salutem permagnum sane habet momentum, cui sive epinicium cantaverit poeta sive minus, nulla certe insignis inde existet rerum permutatio. Itaque neque puto Gleimium, ob tot ejusdem regis victorias carmine celebratas, in laudum ejus societatem venire unquam voluisse. Longinus quidem etiam reprehendit Timaeum, quod Alexandrum Magnum laudaturus dixisset, illum paucioribus annis Asiam imperio suo subjecisse, quam panegyricum scripsisset Isocrates. Admirabilem vero, inquit, Alexandri Magni cum Oratore comparationem! Ita fiet, ut minor Lacedaemoniorum, qui triginta annis urbem Messanam oppugnaverunt, censenda sit gloria, quam ejusdem Isocratis decimo anno panegyricum suum absolventis.

Diximus supra, non quantitate solum, verum et qualitate modum posse excedi. Id quoniam mirabile multis videri possit, paulo enucleatius est disserendum. Enimvero modus, quia nonnisi inest in quantitate, qualitate proprie excedi non potest. Atque nimirum tum exceditur, cum res tanta dicitur, quanta non potest esse. Qui autem talem dicit, qualis non est, falsa potius quam nimia dicit. Quae quum ita sint, tamen et falsa nonnulla sunt ejusmodi, ut eadem nimia rite possint vocari. Idque tum fit, ubi res permutantur genere quidem sive qualitate discrepantes, sed quarum qualitas

ipsa continetur quantitate. Quae res potissimum locum habet in diversis animi motibus atque adfectionibus, quae certum modum excedentes genus ipsum cum nomine mutant: ut cum fingimus pro forti temerarium, dissolutum pro clemente, furentem pro irato, adfinia singulis virtutibus vitia amplectentes. In quibus omnibus, quatenus genere censentur diversa, exceditur modus qualitate: quae ipsa tamen, ut paulo ante diximus, a quantitate non differt. Nam quod proprium est fortitudinis, periculorum puta contemtionem, hoc ipso, si nimium est, efficitur temeritas. Eademque et ceterarum virtutum est ratio.

Hujus autem vitii caussae omnino sunt repetendae ab rerum magnarum ignorantia. Neque profecto de illis judicium est tam facile, quam multi fortasse existimaverint. Etenim animum magnum gerat oportet, qui magna vel in aliis intelligere velit vel eadem ipse invenire. At qui necesse habet magnitudinis indicia petere ab rerum habitu atque forma externa, in illo omnia sunt proclivia ad errorem. Nam quae modum excedunt, in illis species est plurima, cum vera magnitudo plus abditorum ignium quam splendoris habeat, multoque efficiat plura quam profiteatur. Quemadmodum qui corporis robore plurimum valent, sine magno virium nisu expediunt ea, quae ab aliis et vultu nitentium et intentis omnibus nervis et ingenti corporis membrorumque jactatione aegre perficiuntur. At haec ipsa vulgus maxime observat, roborisque putat esse, quae sunt infirmitatis. Itaque juvenes plerique et puerili levitate viri pro fortibus indomita probant, neque magna fere habent nisi quae sunt portentosa. Quae caussa inprimis hac nostra aetate tot peperit indoctas ineptasque veterum scriptorum versiones, quorum simplicitatem tranquillamque majestatem parum sentientes interpretes, eaque ipsa, quorum non adsequebantur magnitudinem, vel emendare, vel attollere, vel quocun-

que modo exornare conati, praestantissima antiquae artis et ingenii opera turpissime contaminaverunt. Quod sapiens nemo mirabitur. Nam magnorum virorum imitari mores et orationem, nonnisi est ejus qui magnas res atque altas ipse pectore possit concipere.

Verum et haec pars nonnullis videtur illustranda exemplis. Praetereo recentiores, in quibus nihil est hoc vitio frequentius. Malo haec ibi legere, ubi sunt quaerenda evestigandaque, et apud illos, qui tot nitent virtutibus, ut qui unam maculam viderit et castigaverit, acuminis atque audentiae propemodum laudem habiturus videatur. Talis est sine dubio Virgilius, poeta judicio excellens, et ut rerum magnarum altarumque inventione praestans, ita vel inprimis sobrius, prudens atque castigatus. Qui tamen Aeneidos libro secundo, ubi Trojanorum arma Graeca indutorum successum describit, mihi quidem excessisse modum videtur sequentibus versibus.

> Vadimus immixti Danais haud numine nostro,
> Multaque per caecam congressi proelia noctem
> Conserimus: multos Danaum demittimus Orco.
> Diffugiunt alii ad naves, et litora cursu
> Fida petunt: pars ingentem formidine turpi
> Scandunt rursus equum, et nota conduntur in alvo.

Hic quidem, nisi omnia me fallunt, ut quisque sensus atque judicii subtilitate plurimum valebit, ita postrema illa probabit minime. Ego certe fateor, me illis non parum offendi. Cujus rei, puto, caussa haec est, quod poeta in isthac Graecorum trepidatione modum plane excessit, pro metu prorsus ridiculam fingens amentiam, qua latibula quaerunt neque expedita ad fugam et omnium fortasse minime tuta. Quamvis enim metus ingens mentem praecipitat, tamen ea animi perturbatio nonnisi eo valet, ut trepidantes proximum quodvis et maxime patens effugium quaerant, cum Graeci isti hoc pene videantur meditati, ut locum et difficilem occu-

patu et ad occultandos tuendosve se parum aptum seligerent. Vidit hoc doctissimus atque elegantissimus Virgilii interpres Heynius, nimisque haec portentosa esse fatetur, aliquam tamen inde petens poetae excusationem, quod turpem ipse formidinem dixisset. Mihi vero ne sic quidem absolvendus Virgilius videtur, quoniam, ut modo dicebamus, haec non est amentia illa, quae in formidine locum habet.

Neque modum tenuit Ovidius in describenda patientia, qua Hercules ad Deos excedens rogoque impositus flammarum dolores pertulisset. *) Patientiam dico? Ita quidem decebat. At haec potius est hilaritas. Nam quid dicit?

Congeriem silvae Nemeaeo vellere summam
Sternis, et imposita clavae cervice recumbis,
Haud alio vultu quam si conviva jaceres
Inter plena meri redimitus pocula sertis.

Hicne idem ille est Hercules, qui paullo ante tunica Nessi Centauri sanguine infecta excruciatus et in rabiem actus, gemitum atque lamentationem tenere non potuit,

Implevitque suis nemorosum vocibus Oeten?

Nimis quidem hic impatienter. Alterum autem illum nec fortem dicam, nec sapientem, sed insanum atque dementem. Nam quae hic est laetandi caussa? Fortiter ferat dolorem neque animo frangatur: hoc summum est. Oblectari vero cruciatu nemini conceditur, nisi uni Epicuri Sapienti.

Verum in hoc genere omnes facile vincat Lucanus; qui tanta habet inprimis bellicae fortitudinis monstra, ut interdum in re maxime seria risum videatur velle captare. Cujusmodi praeter alia est illud, quod Libro tertio de Tyrrheno refert. Quem fingit, Balearis fundae plumbo effractis sibi temporibus oculisque excussis, ab sociis recto corpore tormenti instar compositum, nihilo

*) Metam. Lib. IX. v. 235. sqq.

secius certa in hostes tela misisse. Cui lubet acclamare illud Ariosti:

Il pover' huomo, che non s'en era accorto,
Andava combattendo, et era morto.

Huic addamus e libro sexto Scaevam. Qui post multa virtutis edita miracula, tandem abjecto scuto, nudum corpus hostibus objicit,

densamque ferens in pectore silvam

hostile praeterea telum oculo recipit. Quo facto

Ille moras ferri, nervorum et vincula rumpit,
Adfixam vellens oculo pendente sagittam
Intrepidus, telumque suo cum lumine calcat.

Postremo deditionem simulans, Aulum ejus recipiendi caussa accedentem obtruncat. Haec igitur, rogo, an virtus est? Mihi quidem vero nomine rabies videtur adpellanda: ita nihil plane geritur, quod non sit bellua potius quam viro dignum.

Sequitur tertia classis eorum, quae a rebus minutis justamque admirationem nullam habentibus sunt repetita. Quo vitio nescio an nullum aliud sit eloquentiae, quae dicimus, luminum vi atque naturae magis contrarium. Cum enim lumen nihil dicatur nisi quod e ceteris emineat, eorumque quae sunt vulgaria modum excedat, quidquid parvum atque exiguum in se est, quoniam vel specie magni caret, luminis nomen ne per errorem quidem sibi videtur posse vindicare. Verum enimvero in hoc negotio illud inprimis est animadvertendum, aliam esse rerum ipsarum magnitudinem, aliam intentionis operaeque a poeta rebus adcommodatae. Earum qui alteram cum altera confundunt, lumina illa esse putant, quae nulla sunt, ea videlicet ipsa magna existimantes, quae poetae in parvis ambitioso magno constiterunt. Ita quidem vulgus. At doctorum cuique maxime sordet diligentia omnis in rebus tenuibus posita. Inepta est enim virium contentio major eo quod inde efficitur; nec nisi stulte quaeritur, quidquid reper-

tum excussumque illum cogitationis quo constitit motum compensare non videatur. Eam ob caussam omnes illae parvae ludicraeque circulatorum artes levem fortasse delectationem, admirationem autem certe nullam habent: quod ipsum significavit Alexander, illum qui fixis in acus cuspide certo manus conjectu lentibus solertiam suam probasset, modium lenticularum admensum ferre jubens, quo haberet scilicet unde artem exerceret.

Illud quidem in hac caussa intelligitur, non omnem rerum exiguarum dilectum in vitio poni. Multa enim minimi per se momenti plurimum tamen ad res magnas illustrandas valent, a quarum adeo conjunctione eam quam in sua natura non habent gravitatem consequuntur. Cujus generis quae sunt, omnia isthac castigatione censuraque eximuntur. Sed qui haec per se nulloque vel usu inducti vel necessitate captant, illi profecto ab judicii imbecillitate in magnam incurrunt reprehensionem. Atque nimirum juventus pleraque in hoc vitium est proclivis, cui ambitiosior circa res minimas cura ingenium videtur, quique ea, quae vero nomine difficiles nugas adpellaveris, permagna putant esse ornamenta. Inprimis autem in rerum descriptionibus turpiter labuntur multi, qui praeter modum luxuriantes tum demum res sese pingere putant, si minima quaevis momenta persequantur. At neque pictoris est omnia pingere, multo autem minus poetae. Illi vero ad quisquilias saepe delapsi pueris magni licet videantur, viris certe quam maxime fiunt ridiculi.

Etenim quis risum teneat, quum verbi caussa Sanctum Amandum poetam veterem Francogallum legerit, Israelitarum per mare rubrum transitum describentem? Qui non pisces modo illo spectaculo fingit attonitos, *)

*) Les poissons ébahis les regardent passer. *Moyse sauvé de St. Amand.*

verum etiam infantulum inducit huc illuc discurrentem, inventumque silicem vel formā singularem vel coloribus varium ostendentem matri. At, credo, hoc festivo commento rei ipsius miraculum valde augetur. Quod si ita foret, tamen et viri erat, nonnisi ea fingere atque referre, quae viros moverent. In maris autem fundo lapillos nemo leget nisi infans, nemo id mirabitur nisi homo simillimus infantis. Quid autem in fundo maris? Huc an opus erat descendere, ut lapilli quaererentur, quorum infinitam copiam non litus modo, sed et rivulus quisque offerebat? Nisi forte admodum ingeniosum videatur, in omni itinere infantes induci et flosculos legentes et papiliones captantes eaque facientes omnia, quae fieri ab infantibus solent. At hoc quidem nec pingere est neque poetam agere, verum repuerascere. Itaque haec merito a Boilavio rectissimi judicii poeta sequentibus versibus sunt derisa.

N'imitez pas ce fou, qui décrivant les mers,
Et peignant au milieu de leurs flots entr' ouverts
L'Hébreu sauvé du joug de ses injustes Maistres
Met pour le voir passer les poissons aux fenestres,
Peint le petit enfant, qui *va, saute, revient,*
Et joyeux à sa mère offre un caillou, qu' il tient.

Hujuscemodi splendidis ineptiis e Latinis plenus est maxime Lucanus. Ex cujus Pharsalia nonnisi libri tertii finem commemorabo. Ibi nimirum, Homeri, ut puto, diligentiam aemulatus, diversa singulorum in proeliis virorum vulnera atque mortes adcuratissime describentis, navalis pugnae ad Massiliam narrationem simili casuum varietate distinguere plurimis deinceps versibus est conatus. Quam partem omnem si cum Homericis illis conferas, tum demum videbis, quomodo res minime per se improbanda, ingenii inopportuna ostentatione inepta fieri atque nugatoria possit. Homerus quidem quorumdam vulnerum omnem exponens rationem, admirabilem corporis humani singularumque

ejus partium ostendit scientiam, ceterum nihil habet quamvis singulare mirandumque, quod ab rerum fortuitarum cursu abhorreat. In Lucano nihil non fit praeter opinionem. Tantam ille injicit tamque incredibilem casuum varietatem, tot reperit tamque portentosas pereundi vias, ut summo studio hoc videatur meditatus, quomodo posset in isthac proelii atrocitate legentium animos jocosa levitate avocare ad risum. Primi omnium singularis sors est Cati, qui

> Terga simul pariter missis et pectora telis
> Transigitur. medio concurrit pectore ferrum,
> Et stetit incertus flueret quo vulnere sanguis;
> Donec utrasque simul largus cruor expulit hastas,
> Divisitque animam, sparsitque in vulnera letum.

Magnam hercle poetae audaciam! qua telorum utrinque eodem temporis momento missorum perque tergum et pectus adactorum cuspides finguntur adversae concurrisse. Quis hoc non miretur? Immo vero quis miretur? Nam etiamsi fors tantum valuerit, nihil in hoc erit notabile praeter rei insolentiam, quae una per se parum digna est admiratione; quemadmodum monstrosos animalium partus, ut quisque naturae maxime est peritus, ita minime miratur. Illud unum in hac re mirabile accidit, poetam tam levi inventiuncula adeo sibi placuisse, ut illam geminaret. Jam enim alius etiam natans adversis duarum navium rostris transfigitur. Sed fecundus est omnino dies iste hujus generis miraculorum. Ecce enim Gyareus in sociam puppim erepere cupiens, suae navis lateri adfigitur indeque pendet, telo illum retinente. Lepidum vero spectaculum ac dignum prorsus puerorum plausu! Aliud autem repente exoritur monstrum. Nam Lycidas ab altera parte manu ferrea seu harpagone adprehensus, ab altera vero cruribus retentus ab sociis ita distrahitur, donec miseri corpus medium scindatur. Hoc nimirum est magno conamine magnas nugas agere, ingenium-

que exercere in rebus parum per se contemplatione dignis.

Haec autem quo magis non modo ludum in re gravi atque seria faciunt intempestivum, sed vel animum avocant ab iis, quorum tamen caussa dicuntur, eo magis sunt vitiosa. Quo in genere vix quidquam memini me legere levius aut magis infacetum Graeci cujusdam figmento, qui saxi a Polyphemo in fugientis Ulyssis navim missi describens magnitudinem, nobis ostendit capras in illo, dum per aerem fertur, pascentes. Sapientius nunc quidem aliquanto Ovidius, cujus in simili caussa Metam. Lib. XIII. illi leguntur versus:

> Insequitur Cyclops, partemque e monte revulsam
> Mittit; et extremus quamvis pervenit ad illum
> Angulus e saxo, totum tamen obruit Acin.

Ego autem non dubito fore, qui Graecum putent haud paullo melius dixisse. Mihi nec bene nec probabiliter dixit. Quid enim est, cur majus hoc aut praestantius illo videatur? An quod melius declaratur isthac imagine saxi magnitudo? Atqui Ovidius partem montis dicit; quod ipsum, ut opinor, sustinendis capris abunde suffecerit. Ergo qui Graecum magis probant, iis per se placeat necesse est isthoc volantium caprarum phantasma: quae res ipsa maximo est argumento, isthac spectaculi festivitate legentis animum ab eo quod est praecipuum avocari.

Equidem parum verear, illis quoque accedere, qui ipsum Horatium, castigatissimum poetam, eo reprehendunt, quod gravi inundationis Deucalioneae descriptioni illa immiscuisset:

> Piscium et summa genus haesit ulmo,
> Nota quae sedes fuerat columbis.

Quanquam hic quidem non illud magis quod dicitur, quam modum et rationem qua dicitur puto improbandum. Ego nolim in maxima calamitate mihi ostendi pisces in summis arboribus haerentes earumque frondi-

bus impeditos: nolim etiam me admoneri, eam quam teneant sedem olim fuisse columbarum. Quorum minutulum est alterum, alterum pene ridiculum. Ergo tollamus haec quae offendunt: cetera et graviter et sine risu dici posse, Ovidii exemplum ostendat. Illa puto,

— — silvasque tenent delphines et altis
Incursant ramis agitataque robora pulsant.

Ipse vero Ovidius pauló ante Horatii lusum non amplexus modo est, verum etiam pueriliter sic auxit:

Ille supra segetes aut mersae culmina villae
Navigat, hic summa piscem deprendit in ulmo.

At piscem hic non captavit, sed arborem conscendens forte una cum ramo adprehendit. Quid, si etiam captasset? Nonne enim res vel casu oblata satis est ridicula? Est autem poetae judicio valentis, non modo non sequi in re seria ea quae sunt ridicula, sed vel maxime etiam illa evitare. At magnum est magnae calamitatis documentum. Certe. Etiam in superiori illo exemplo magnitudinis documentum erant caprae in saxo misso pascentes, et ingentis subitaeque inundationis multa alia colligi possent indicia, velut quae ludens cecinit poeta quidam Germanus:

Der Amtmann schwamm im Wasser
Mit seiner Amtmännin.
Nicht minder schwamm der Pfarrer
Mit manchem O und Ach,
In Schlafrock und Pantoffeln;
Die Köchin schwamm ihm nach,
Und Hut, Perück' und Mantel
Und Kragen, allzumal,
Kontuschen, Strümpf' und Mieder
Und Hauben sonder Zahl.
Am Wetterhahn des Thurmes
Hing jämmerlich durchnäſst
Des Küsters Stutzperücke,
Von Bockshaar, ehrenfest.
Kein Oechselein, kein Eslein,
Kein Mensch entkam der Flut. cet.

Haec autem carminum genus grave illud seriumque respuere, atque omnino etiam in hisce rerum aliquem dilectum esse faciendum, quis non videt?

Talibus vero, quatenus finem aliquem extra se habent, ad quem referantur, paratior tamen est venia; omni autem excusatione carent illa, quae et in se parva sunt atque inania, et per se nihilo minus quaesita. Quo nomine culpa vacare mihi non videntur illa Virgilii Aeneidos libro decimo:

> Te decisa suum, Laride, dextera quaerit,
> Semanimesque micant digiti, ferrumque retractant.

Hic quo consilio et micare digitos et ferrum retractare dicam, non reperio, nisi forte oblectandi lectoris caussa. Ad horrorem certe ista non valent. Atque eo quidem respectu Virgilius cum Ennio minime est conferendus: cujus sequentes ab Servio laudantur versus:

> Oscitat in campis caput a cervice revulsum,
> Semanimesque micant oculi lucemque requirunt.

Mihi certe isthaec imago et grandis videtur et, ut dixi, efficax ad horrorem. Quanquam non nego, in capite absciso per se plus esse terroris quam in manu. Verumtamen et de manu talia potuisse dici, quae simplici placerent magnitudine, docuit qui nil molitur inepte, Homerus, iis quae Iliados libro quinto hunc in modum leguntur:

> — — ἀπὸ δ' ἔξεσε χεῖρα βαρεῖαν,
> Αἱματόεσσα δὲ χεὶρ πεδίῳ πέσε — —.

Cum his confer Virgiliana. Isthaec viri esse dices, illa adolescentuli ingenio lascivientis. Attamen eadem et Virgilii sunt dormitantis; nihil autem frequentius apud Ovidium, qui hic quoque reperit quod inepte imitaretur. Nam Metamorphoseon libro quinto citharoedus mucrone percussus

> Concidit et digitis morientibus ille retentat
> Fila lyrae, casuque canit miserabile carmen.

Idem libro septimo ineptius adhuc lusit in lingua Philomelae a Tereo excisa:

> — — — compressam forcipe linguam
> Abstulit ense fero: radix micat, ultima linguae;
> Ipsa jacet, terraeque tremens immurmurat atrae.
> Utque salire solet mutilatae cauda colubrae,
> Palpitat et moriens dominae vestigia quaerit.

Quae omnia talia sunt, ut exponenda modo neque excutienda videantur. Tanta enim in illis est tamque puerilis levitas, ut qui hanc sua sponte non sentiat, in eo quoque omnis admonitio irrita sit futura.

Restat quarta classis, eorum, quorum reprehenditur dilectus. Itaque poetae est non solum scire, quo modo res quaeque recte dicatur, verum etiam intelligere, quid dici minus oporteat et a quibus rebus melius abstineatur. Sunt enim nonnulla ejus naturae, ut vel ornamenta poeseos plane refugiant, vel quantumvis ornata doctorum tamen atque intelligentium existimatorum auribus commendari nullo modo possint. Non jam illa dico, quae per se humilia, sordida, abjecta atque infra poeseos dignitatem sunt constituta: quibus omnibus aditus non modo ad luminum vim ac notionem, sed omnino ad poesin praecluditur. Sed sunt nimirum quaedam in se licet pulcherrima, quorum tamen pulchritudinem nulla poetae ars imitari possit. Quo pertinent inprimis rerum quarumdam corporearum oculisque subjectarum descriptiones, in quibus tota tamen videtur poesis regnare. Egregie hunc locum tractavit Lessingius in illo libro, quem Laocoonta inscripsit, et in quo omne poeseos atque picturae discrimen docte subtiliterque, ut solet, exposuit. Ibi multa tradit nemini ante se dicta, quamvis ab summis poetis diligenter observata. Quae qui plenius velit cognoscere, adeat ipsum: nos inde, quantum satis videbitur, nostro judicio hauriemus.

Itaque hoc ab illo praecipitur, res corporeas a poeta nonnisi pingi vel posse vel oportere, quatenus sunt in motu et actione positae. Quatenus vero in spatio propter se collocatae existunt, quoniam non possunt nisi per singulas partes lentaque verborum progressione describi neque uno simul obtutu conjungi, singulis illo poetae velut lineamentis tangendas, plenam autem et adcuratam earum descriptionem existimat concedendam pictori. Eaque res illustratur Homeri summi omnium poetae exemplo constantique usu ac consuetudine. Qui de navibus loquens modo atras dicit, modo cavas, modo veloces, modo remis egregie instructas, plenam illarum negligens descriptionem. Idem vero earum solutionem, adpulsum motumque omnem adcuratissime persequitur.

Sed dicat aliquis, an, illud quia est ab Homero neglectum, ideo sequitur, fieri aut nunquam debere aut omnino non posse? Aut navim verbis copiosius describi quid impedit? Nihil equidem, nisi quod hujusmodi descriptionem plenam adcuratamque vix quisquam intelliget, nisi qui navim saepe viderit. Quod docet veterum scriptorum lectio. In quibus nulla sane loca magis sunt impedita, atque difficiliora intellectu iis, quae exhibent instrumentorum aliarumque rerum a nobis nunquam visarum descriptiones. Quae ita saepe varie a doctissimis viris intelliguntur, ut nullum aliud majus argumentum desiderari possit, orationem vel maxime disertam, artificis eadem isthaec pingentis summa inopia atque jejunitate longe tamen superari.

Ex his igitur, etsi quis Lessingio liberalior non omnem tollat corporum in loco positorum descriptionem, tamen consequitur primum illud, nullam esse poetae propter se expetendam corporum legentibus non visorum picturam. Deinde hoc etiam intelligitur, ad non visa quoque pertinere, quidquid vel corpora illa, quae genere quidem nobis sunt nota, proprium habent atque

singulare. Hoc igitur, quoniam verbis ita reddi non potest, ut qui legerit veram rei speciem animo tueatur, sapiens poeta propter se nullaque inductus necessitate nolit describere, neque incassum laborans operam effundet in argumenti prorsus ingrati exornatione. Sed haec abstrusiora exemplorum quorumdam lumine videntur indigere.

Multos saepe vidimus poetas in describenda locorum regionumque amoenitate luxuriantes. Qui velut in tabula picta singulas nobis illarum ostendentes partes illud se sperant consecuturos, ut legentes earum universam velut picturam atque imaginem animo tueantur. At illi egregie falluntur. Nam dum ex aliis alia nobis offerunt, nihil sane efficiunt aliud, nisi ut haec omnia frustatim spectemus, non vero contexta inter se unaque juncta imagine, unde tamen omnia existit singulorum locorum propria atque singularis pulchritudo. Unum ex omni copia nobis sufficiat exemplum Kleistii poetae Germani haud unius e multis. Qui in carmine illo quo ver celebravit, regionis cujusdam singularis ita nititur pingere prospectum.

Hier wo der gelehnete Fels mit immer grünenden Tannen
Bewachsen, den bläulichen Strom zur Hälfte mit Schatten bedecket,
Hier will ich in's Grüne mich setzen — — O welch' ein Gelächter der Freude
Belebt rund um mich das Land! Friedfertige Dörfer und Heerden
Und Hügel und Wälder! wo soll mein irrendes Auge sich ausruhn?
Hier unter der grünenden Saat, die sich in schmälernden Beeten,
Mit bunten Blumen durchwirkt, in weiter Ferne verlieret?
Dort unter den Teichen bekränzt mit Rosenhecken und Schleedorn? —

Auf einmal reifset mein Auge der allgewaltige Balt fort;
Ein blauer Abgrund voll tanzender Wellen. Die stralende Sonne
Wirft einen Himmel voll Sterne darauf. Die Riesen des Wassers
Durchtaumeln auf's neue belebt die unabsehbare Fläche.

In his itaque grata pulchraque multa occurrere non nego, illud autem pernego, istarum rerum enumeratione imaginem effici similem illi regioni, quam haec scribens Kleistius vel oculis vel certe animo fuit contemplatus. Nam quod nos legentes res singulas illi objectas, velut vicos, greges, colles, silvas, sata, flores, lacus atque flumen mente contuemur, ea omnia ad universi spectaculi similitudinem non pertinent. Quid enim horum est, quod pulchra regio unaquaeque non habeat? Itaque omnium tandem non nisi una erit descriptio. Quis autem non videt, id quod singulis proprium est locis, non singularum, quibus constant, partium numero, sed earumdem diversa mixtura ac velut temperamento contineri? Quam si nulla poetae ars potest imitari, quin tandem abjicimus inania isthaec inutilis atque intempestivae sedulitatis ornamenta.

Placetne igitur poetam ab omni locorum descriptione abstinere? Non equidem isthoc praecipio, ut qui sciam, incidere nonnunquam res atque tempora, ob quae necesse sit illo munere defungi. Sed hoc dico, ineptos esse magnamque prodere judicii imbellicitatem, qui haec aucupantur, et quidquid in solum venerit, illico sibi putant pingendum. Itaque ubi rerum ceterarum conjunctio id postulat, paucis quidem erit etiam hac parte fungendum: per se autem quaesita et delectationis caussa oblata nec non tractata ambitiosius mihi certe frigent isthaec artificia, atque fateor de illorum judicio me non optime sentire, qui legendis contemplandisque illis magnopere oblectantur.

Porro vel in brevioribus istis regionum descriptionibus non magis singularum partium enumerationem sequi debet poeta quam totius velut tabulae formam, habitum atque colorem; e singulis autem tanquam lineamentis nonnisi ducenda sunt ea, quae e ceteris eminent, animoque speciem offerunt inprimis vividam, qua impulsa et concitata legentium phantasia, reliqua minora suo quaeque modo supplebit sponte. Quod quomodo efficiendum sit, docebit optime Gessneri poetae et ingenio summi et judicii praestantia cum paucissimis conferendi diligens contemplatio. E cujus carminibus quin nonnulla illustrationis caussa proferam exempla, mihi non possum temperare. Primum ex eo petam idyllio quod Daphnin inscripsit. Ibi regionis pastoris hujus oculis objectae hiemalis pulchritudo ita describitur. „An einem hellen Wintermorgen safs Daphnis in seiner Hütte; die lodernden Flammen angebrannter dürrer Reiser streuten angenehme Wärme in der Hütte umher, indefs dafs der herbe Winter sein Strohdach mit tiefem Schnee bedeckt hielt; er sah vergnügt durch das enge Fenster über die wintrichte Gegend hin. Du herber Winter, so sprach er, doch bist du schön! Lieblich lächelt izt die Sonne durch die dünn benebelte Luft über die Schneebedeckten Hügel hin; flimmernder Schneestaub flattert umher, wie in Sommertagen über dem Teich kleine Mücken im Sonnenschein tanzen. Lieblich ist's, wie aus dem Weifsen empor die schwarzen Stämme der Bäume zerstreut stehn, mit ihren krumm geschwungenen unbelaubten Aesten, oder eine braune Hütte mit dem Schneebedeckten Dach, oder wenn die schwarzen Zäune von Dornstauden die weifse Ebene durchkreuzen. Schön ist's, wie die grüne Saat, dort über das Feld hin die zarten Spitzen aus dem Schnee empor hebt, und das Weifs mit sanftem Grün vermischet. Schön glänzen die nahen Sträuche, ihre dünnen Aeste sind mit Duft geschmückt, und die dün-

ten umher flatternden Faden." Dixi poetam regionem describere: sed neque hoc facit. Nam quae adfert pleraque sunt ab hieme desumta, neque ullius propria regionis. Hanc vero effingendam legentium permittit phantasiae, paucis sed praeclaris lineamentis excitatae: qualia sunt illa, quae de nigris arborum truncis tuguriisque e nivibus sese attollentibus dicuntur.

Idem eamdem tenet rationem in describenda alia regione seu potius pulchritudine ejus autumnali. „Die frühe Morgensonne flimmerte schon hinter dem Berg herauf, und verkündigte den schönsten Herbsttag, als Micon an's Gitterfenster seiner Hütte trat. Schon glänzte die Sonne durch das purpurgestreifte, grün und gelb gemischte Reblaub, das von sanften Morgenwinden bewegt am Fenster sich wölbte. Hell war der Himmel, Nebel lag wie ein See im Thal, und die höhesten Hügel standen Inseln gleich draus empor, mit ihren rauchenden Hütten und ihrem bunten herbstlichen Schmuck im Sonnenglanz; gelb und purpurn, wenige noch grün, standen die Bäume mit reifen Früchten überhangen im schönsten Gemische." In his quam divina sunt illa, quae de collibus fumantia tuguria sustinentibus eque nebula circumfusa prostantibus referuntur! Quae quidem animo intuens qui plura desideret, ejus profecto mihi phantasia nullam per se unquam conceptura imaginem videtur. Sed et haec, ut dixi, magis pertinent ad autumni quam regionis cujusdam singularis descriptionem.

Quid? cum alicubi poeta sese fingit subito ad praecipitem locum delatum, ibi an operose pingit vel laetum variumque vel deformem et terribilem prospectum? Ita quidem poeta de populo: a Gessnero autem aliquo id frustra expectaveris. Audiamus ejus verba: „Himmel, welche Aussicht breitet sich vor meinem Aug' aus! Hier steh' ich an dem Saum einer Felsenwand und seh' in's niedere Thal; hier will ich mich auf das zerris-

sene überhangende Felsenstück setzen, wo der Bach stäubend in den dunkeln Tannenwald herunter sich stürzt und rauschet, wie wenn es fernher donnert, Dürres Gesträuch hängt von dem Felsenstück traurig herunter, wie das wilde Haar über die menschenfeindliche Stirne des Timons hängt, der noch kein Mädchen geküfst hat.“ Haec et pauca sunt et praeclara, quibus facile per se quisque adstruat plura, quorum copiosa descriptio minime juvaret illa legentium phantasiam, sed confunderet.

Quae autem de locorum regionumque diximus amoenitate, eadem omnino valent de corporis humani forma atque pulchritudine. Quae quidem verbis ideo describi non potest, quia non magis inest in singulorum membrorum ratione, quam in eorumdem concinnitate aptaque lineamentorum conformatione et oris atque corporis habitu universo. Unde existit illa sive dignitas sive venustas, quae visa sentiri facilius potest quam verbis explicari. Itaque etiam sapientissimi poetae ab hac parte semper se abstinuerunt. Velut Homerus, quemadmodum opportune est observatum a Lessingio, in omni Iliados opere nusquam Helenae describere conatus est pulchritudinem neque Didonis Virgilius. Quid enim dicerent? Luminum vigorem, genasque rubore leniter perfusas et aureas comas et os dulce subridens et dentium albedinem et teretes digitos parvumque pedem ostenderent et quae sunt aliae hujus generis ineptiae? Haec igitur omnia ut a pulchro corpore abesse minime possint, tamen per se non efficiunt pulchritudinem, quae quidem est posita in admirabili omnium corporis partium concentu: unde emergit illud nescio quid, animale potius quam corporeum, cujus contemplatio rapit extra se animum atque inenarrabili perfundit voluptate. Hoc qui singulorum membrorum descriptione se comprehensurum sperat, nae is nihil efficiens sudabit plurimum. Vel intueamur illam

Alcinae imaginem, ab Ariosto summa elaboratam industria. Imaginem dico? At haec potius sunt pulchri corporis dispersa membra. Quid enim dicit?

Di persona era tanto ben formata,
Quanto mai finger san Pittori industri;
Con bionda chioma, lunga e annodata,
Oro non è, che piu risplenda, e lustri,
Spargeasi per la guancia delicata
Misto color di rosa e di ligustri.
Di terso avorio era la fronte lieta,
Che lo spazio finia con giusta meta,

Sotto duo negri et sottilissimi archi
Son due negre occhi, anzi due chiari soli,
Pietosi à riguardar, à mover parchi,
Intorno à cui par ch' Amor scherzi, e voli,
E ch' indi tuta la faretra scarchi,
E che visiblemente i cori involi.
Quindi il naso par mezo il viso scende,
Che non trova l' invidia oue l' emende,

Sotto quel sta, quasi fra due vallette,
La boca sparsa di natio cinabro,
Quivi due filze son di perle elette,
Que chiude, ed apre un bello e dolce labro;
Quindi escon le cortesi parolette,
Da render molle ogni cor rozo e scabro;
Quivi si forma quel soave riso,
Ch' apre a sua posta in terra il paradiso.

Bianca neve è il bel collo, e'l petto latte,
Il collo è tondo, il petto colmo e largo.
Due pome acerbe, e pur d' avorio fatte,
Vengono e van, come onda al primo margo,
Quando piacevole aura il mar combatte.
Non potria l' altre parti veder Argo,
Ben si può giudicar, che corrisponde,
A quel ch' appar di fuor, quel che s'asconde.

Monstran le braccia sua misura giusta,
E la candida man spesso si vede,
Lunghetta al quanto, e di larghezza angusta,
Dove nè nodo appar, nè vena eccede.

Si vede al fin de la persona augusta
Il breve, asciutto et ritondetto piede.
Gli angelici sembianti nati in cielo
Non si ponno celar sotto alcun velo.

Hanc ego an dicam imaginem esse Alcinae? At ne est quidem ulla imago, et poetae, si hoc est secutus, multorum versuum opera periit. Nam velut quibus Veneris Mediceae signum ita ostenderetur, ut reliquo corpore omni obvelato nunc pedem, tum manum, tum brachium, deinde pectus, postea nares et oculum et aurem, denique cetera omnia spectarent singulatim, Venerem quamvis omni ejus parte visa ipsam tamen sese minime putarent spectasse: ita mihi certe ista legenti nulla obversatur imago, quamvis illa oblata sint omnia, e quibus effici imago possit.

Nonne autem vel haec singula per se juvat contemplari? Non equidem nego etiam singularum corporis partium quamdam esse pulchritudinem, qua possint contemplantibus placere: sed hoc qualecunque est, tale certe non est, ut possit cum voluptate illa conferri, quae nascitur ex corporis universi adspectu. Neque enim illa singularum partium voluptas tandem coalescit in unum, sed ad legentium satietatem atque fastidium iteratur. Atque ego, tametsi fortasse partes nonnullae vel in carmine me delectabunt expositae, non sine maximo taedio legam omnium a vertice ad pedem membrorum descriptionem. Recte quidem Homerus a candidis ulnis Junonem laudat, a caesiis oculis Minervam, Helenae pulchram comam ceteraque dat singula singulis. Cui non etiam placebunt illa Wielandi, poetarum Germanorum omnium et ingenio et doctrina summi?

— — das Aug', in dessen Feuerblicken
Ein feuchtes Wölkchen schwimmt, die kleine weiche Hand,
Die Lippen, die dem Kuſs entgegen schwellen,
Das runde Knie, der Hüften schöne Wellen,
Und unter sanftem Druck der süſse Widerstand.

Et grata sunt isthaec per se, et quia pauca sunt, sine satietate leguntur. Sed fac eumdem Wielandum longa omnium membrorum descriptione certantem cum Ariosto, et profecto ipse Wielandus frigebit.

Quare equidem tantum abest, ut isthaec videlicet ornamenta luminum genere atque loco habenda censeam, ut meo certe sensu judicioque nihil illis sit magis insipidum. Atque ego poetam quemvis jubebo diligenter sibi ab iis cavere: aliud autem genus sive descriptionis seu quocunque alio nomine dicere placet, commendabo, summorum ingeniorum usu frequentatum: quo illud quodammodo ipsum efficiunt, quod orationi videtur negatum, ut non magis singulorum membrorum formam, quam corporis universi pingant habitum. Quod fit partim per se, partim cum praestantissimis corporum formis comparatione. Prioris generis sunt sequentes Virgilii versus, quibus Aeneae non singula membra orisve lineamenta, sed quae in omni corpore inerat dignitatem describit:

Restitit Aeneas claraque in luce refulsit,
Os humerosque Deo similis: namque ipsa decoram
Caesariem nato genetrix lumenque juventae
Purpureum et laetos oculis adflarat honores.

Praeclare etiam Wielandus:

Denk dir ein Weib im reinsten Jugendlicht
Nach einem Urbild von dort oben
Aus Rosenglut und Lilienschnee gewoben;
Gieb ihrem Bau das feinste Gleichgewicht,
Ein stilles Lächeln schweb auf ihrem Angesicht,
Und jeder Reiz von Majestät erhoben,
Erweck' und schreck' zugleich die lüsterne Begier:
Denk' alles das, du hast den Schatten kaum von ihr.

Idem quam praeclare pingit obtutum illum, quo uno Musarion Phaniae philosophi fastum penitus dejecit!

— Das war ein Blick! nur jenem zu vergleichen,
Den Coypel seinem Amor gab;
Der euer Herz gewisser zu beschleichen,
Euch schalkhaft warnt, als spräch' er: Seht ihr mich?
Ihr denkt, ich sey ein Kind voll süſser Unschuld, ich?
Verlaſst euch drauf! Seht ihr an meiner Seite
Den Köcher hier? wenn euch zu rathen ist,
So flieht — und doch, was hilft die kleine Frist?
Es sey nun morgen oder heute,
Ihr habt ein Herz, und das ist meine Beute.

Quae descriptio quoniam proprie est ejus obtutus, quem dedit artifex Amori, ad Musarion autem nonnisi pertinet comparatione, ipsa me sponte adducit ad alterum genus, quo nihil est apud poetas veteres frequentius. Idque eo minus est mirandum, quod erant antiquis Deorum signa ceteraque summorum artificum manibus perfecta monumenta in adspectu posita. Qualia quanquam videre nostris quidem hominibus rarius contingit, tamen et recentiores poetas uti hoc artificio velim, tanto magis quod verum illorum existimatorem decet in nullo genere pulchritudinis esse alienum, neque doctas tantum aures, verum et oculos habere exercitatos. Sed ut nonnulla ad hanc partem exempla adferamus, tale est quod de Adonide dicit Ovidius Metamorphoseon libro decimo:

Laudaret faciem livor quoque; qualia namque
Corpora nudorum tabula pinguntur Amorum,
Talis erat.

Nihil porro dici magnificentius possit illis Virgilii versibus:

Regina ad templum, forma pulcherrima, Dido
Incessit magna juvenum stipante caterva:
Qualis in Eurotae ripis aut per juga Cynthi
Exercet Diana choros: quam mille secutae
Hinc atque hinc glomerantur Oreades: illa pharetram
Fert humero, gradiensque Deas supereminet omnis:
Latonae tacitum pertentant gaudia pectus:
Talis erat Dido, talem se laeta ferebat
Per medios.

Haec quaeso nonne omni descriptione sunt efficaciora? Mihi quidem ista legenti ob oculos pene versatur Didonis imago atque species augustissima: neque ego habeo quod cum horum versuum fulgore ac majestate conferam, nisi similem Aeneae mentionem ab eodem poeta libro quarto factam:

— Ipse ante alios pulcherrimus omnis
Infert se socium Aeneas atque agmina jungit.
Qualis ubi hibernam Lyciam Xanthique fluenta
Deserit, ac Delum maternam invisit Apollo,
Instauratque choros; mixtique altaria circum
Cretesque Dryopesque fremunt pictique Agathyrsi:
Ipse jugis Cynthi graditur, mollique fluentem
Fronde premit crinem fingens, atque implicat auro;
Tela sonant humeris. Haud illo segnior ibat
Aeneas, tantum egregio decus enitet ore.

Praetereo alia: nam apud veteres exemplorum copia est infinita. Sed e recentioribus etiam in hac parte mihi laudanda sunt illa Wielandi:

Nie wird die Bildnerin Natur
Ein göttlicher Modell zu einer Venus bauen,
Als diesen Leib. — —
Es war in jedem Theil, was je die Phantasie
Der Alkamenen und Lysippen
Sich als das Schönste dacht', und ihren Bildern lieh:
Es war Helenens Brust und Atalantens Knie
Und Ledas Arm und Erigonens Lippen.

Idemque ad antiquas pulchritudinis formas adludens alibi:

Mehr werth als alles, was zum Farren und zum Schwan
Den Jupiter der Griechen umgestaltet.

Quae postrema eximia sensus fecunditate me admonent ejus artificii, quod Lessingius descriptionum inanitati potissimum censet substituendum. Is nempe, quanta cujusque formae sit pulchritudo, optime iri putat intellectum, si, quantam visa in hominum animos vim habeat, ostendatur. Velut Sappho divino illo carmine,

objectae sibi formae adspectu ipsa sese fingit ita perculsam atque attonitam, ut oculorum auriumque sensum amittens prorsus deficeret. Quo pertinet etiam illud Homeri, qui Trojanorum principes, tristes atque decrepitos senes, visa subito Helena inducit isto modo loquentes:

Οὐ νέμεσις, Τρῶας καὶ ἐϋκνήμιδας Ἀχαιοὺς
Τοιῇδ' ἀμφὶ γυναικὶ πολὺν χρόνον ἄλγεα πάσχειν —
Αἰνῶς ἀθανάτῃσι θεῇς εἰς ὦπα ἔοικεν.

Num quae res alia, inquit Lessingius, vividiorem poterat adferre pulchritudinis imaginem, quam quod ipsa lenta in amore senectus dignam illam judicat bello tam lacrymabili atque cruento? Quodsi magnum hoc diceret pulchritudinis argumentum, facile illi adsentirem, imaginem autem id plane nullam adfert neque adferre omnino potest. Imaginem nempe dico speciem phantasiae objectam, in qua ipsa animus Helenae formam velut praesentem sibi contueatur. Quae una pulchritudinis vel describendae vel qualicunque modo declarandae ratio est poetica. Ex senum Homericorum admiratione Helenae pulchritudo intelligitur quidem illa, minime vero sentitur. In Sapphus autem carmine illo quis non videt, omnia magis pertinere ad amoris vim ac vehementiam quam ad formae pulchritudinem significandam? Si vero loqui adcurate velimus, non quae, sed quanta sit pulchritudo, ejus ostendunt effecta hocque adeo consilio isthoc artificio poeta recte utetur. Sed maximopere fallatur, qui quod singulorum membrorum non posse effici descriptione supra ostendimus, ut corporis formam animo tueamur, illud se speraverit hac via consecuturum; falsumque et inane est illud, quod Lessingius dicit, qui amorem atque admirationem pinxerit, ipsam pinxisse pulchritudinem.

Paullo longiores fuimus in isthoc argumento, quia haud inutiliter nos operam consumturos arbitrabamur

in confutanda erroris levitate, qui non satis adhuc cognitus, nedum sublatus nobis videtur. Pergimus ad alterum genus falsorum eloquentiae luminum, quod diximus esse illorum quorum reprehenditur forma. Cujus generis partem efficiunt priorem ea, quae speciem habent nimium vulgarem.

Vulgare autem est omne illud, quod intra communem plerorumque sentiendi aut cogitandi modum subsistit, adeoque videtur ab homine minime ingenioso facile potuisse dici. Jam nos, qui supra monuimus, luminum vim in ejus quod dicitur aut fingitur excellentia esse positam, nunc quidem possemus existimari temere reprehensuri vitium in hoc genus non cadens, siquidem quae sunt vulgaria ab luminum per se abhorrent natura neque ad illorum laudem vel adspirare posse videntur. Quemadmodum in homine simplicem sine omni ornamento vestem induto, ornamenta possunt quidem illa desiderari, non item reprehendi. Verum enimvero in hac causa vel inprimis tenendum est illud, non omnia quae sunt vulgaria a nobis inter falsa eloquentiae lumina referri, verum ex toto isthoc genere ad nostram reprehensionem tantum illa pertinere, quae speciem quamdam prae se ferunt excellentiae, et in quibus tanquam minime vulgaribus poetam sibi valde placuisse clare intelligitur. Nam et quaedam ornamenta vilia sunt atque vulgaria, velut si quis aurum orichalco aut lapillos vitro imitaretur, et quae sunt alia similia.

Quemadmodum autem in vestitu, quae sint ornamenta, ex eorum usu et quem in ceteris tenent loco facile patet, ita in carminibus quoque quae a poeta tanquam lumina sint dicta, certis colligi potest indiciis, quae ita varia sunt, ut sentiri atque intelligi multo facilius possint, quam praeceptione universa comprehendi. Omnium quidem minime fallax ibi est judicium, ubi vulgare nihil per se poterat dici, velut in epigrammate

atque inscriptionum genere universo. Ejus enim natura nihil fert modicum, nullumque epigramma potest probari, nisi cujus sententia illa quae est praecipua, lumen fuerit. Lumen dico non modo sententiam acumine aures ferientem, sine quo nullum hodie Francogallis placet epigramma, sed sensum vel virilem et magnum, vel exquisitum et delicatum, quamvis simplicem comprehensam, cujusmodi sunt quae praestantissima habentur Graecorum in hoc genere carmina.

Sed ut haec declaremus exemplis, quis dubitat eosdem Francogallos, Fraenklini illius statuae, si vera ephemerides retulerunt, unam vocem HOMO insculpentes, eam inscriptionem praeclaram existimasse? Atqui vulgarius dici aut fieri nihil poterat. Quid enim? Eum tu simpliciter hominem dices, qui inter omnes homines paucissimos sui habeat similes? Magnificas vero laudes! At neque Alexandri Bucephalum laudaturus quisquam equum dixisset. Quid ita? Quoniam generis nomen nullam habet excellentiam, verum res sibi subjectas amplectitur omnes, neque pessimas quasque minus quam optimas. Unde fit, ut quem dixeris hominem, illum neque laudaveris sane neque vituperaveris: nihil enim de illo praedicas nisi quod commune sit quam plurimis, interque hos etiam his cum quibus Fraenklinus minime sese velit confundi. Quanto melius Itali, qui in Torquati Tassoni tumulo nil praeter haec verba posuerunt, OSSA TASSONI? illud videlicet significantes, ipsum viri nomen omni elogio esse majus *).

*) Quanquam, si verum dicendum sit, in hac re Italorum minus ingenium laudandum est quam dilectus. Nam et in veteribus inscriptionibus pluribus occurrit haec formula: * * * OSSA HEIC SITA SUNT, vid. Grut. p. DLXXV, 8. DCCCLXII, 5. DCCCCIII, 12 cet. Atque prorsus similis Tassoni extat titulus p. DCCCCIX, 1. OSSA. COSMI. PUBLICI. quem ut ineditum dat Murator. pag. 1806, 4. Adde Grut. pag. DCCCCXIV, 6.

Quasi vero, inquis, obscurum esset, in superiori illa inscriptione Fraenklinum eo plane modo hominem dici, quo veteres Homerum poetam, Platonem philosophum dixerunt, hoc nimirum volentes indicare, ceteros omnes poetas et philosophos, si cum his conferantur, parum esse isthoc nomine dignos. At videant illi, ne sint in hominum genus iniquiores, si quod huic tribuunt nomen ceteris eunt ereptum. Sed mittamus hóc, an ideo minus erit illud vulgare? Veteres quidem Homerum poetam dicentes certe nil dignum admiratione se dicere sunt arbitrati. Virum vero sapientem atque praeclarum hominem dicere, id est, isto nomine vere dignum, hoc quaeso quid est vulgarius? Et tamen isthaec inscriptio ingenii atque acuminis laudem nescio quomodo videtur ipsa sibi arrogare, haud meo sensu ingeniosior illa, quam si quis pro ea qua continetur voce, isthaec verba, VIR EGREGIUS, posuisset.

Mihi quidem etiam vehementer languent illi Besseri, poetae cujusdam Germani, in nobilem feminam versus:

> Dieſs ist das sittsame Gesicht,
> Dieſs ist die Doris, die Geliebte,
> Die ihren Caniz eher nicht
> Als nur durch ihren Tod betrübte.

Quos versiculos ego ne satis quidem dignos censura existimarem, nisi laudatos reperirem ab Sulzero, haud tenui auctoritate viro, in opere illo quo omnem elegantioris disciplinae ambitum est amplexus. Quid enim in his est laudabile? Nimirum conjugem ab se uno ipsius funere esse contristatum, si verum est, tam magnum est certe in conjuge concordiae, quam id dixisse ingenii prorsus nullum argumentum. Nam quis in simili caussa isthoc non dixit, vel dicentes audivit? Adeo id quidem sollemni parentantium usu tritum est atque pervulgatum, ut a poeta nollem omnino dictum, nedum luminis loco expositum possim probare.

Neque aliter ego me fateor adfici, Kleistii poetae multo quidem praestantioris illud epigramma legentem:

Mit welcher Landschaft hat dein Pinsel Leander's
Saal geziert?
Sie starret, wie der Winter selber; ich seh' sie an,
mich friert.

Haec quidem multis placere nihil est cur dubitem, atque ipse vidi qui nihil dici posse magnificentius judicarent. Mihi nihil videtur vulgarius. Etenim adduc quamlibet femellam in tabulae regionem gelu nivibusque rigentem referentis et vel mediocriter pictae adspectum, et dic esse quod miretur, neque audies modo eadem ipsa dicentem quae poeta dixit, sed videbis toto corpore eleganter cohorrentem. Et mirabimur poetam propter laudem, quam ipse artifex dedignaretur: aut quod homo inelegans quisque atque inficetus facillime dixerit, idem in carmine dictum an videbitur ingeniosum?

Nonne autem vel maxima laus est, artificem imitatione tam prope accessisse ad naturae similitudinem, ut opus ejus contemplantes nobis videamur non imaginem sed res ipsas spectare? Omnino id quidem summum est, praesertim si tale fuerit oculorum intelligentium atque exercitatorum judicium vel potius error. At haec ipsa laus verbis simpliciter comprehensa, ut vera sit, certe neque exquisita est neque ingeniosa. Est enim ita in promtu, ut qui hoc dixerit nihilo plus dicat quam qui opus dixerit esse praeclarum atque egregium. Atque nimirum quomodo trita isthaec atque pervulgata ita possint tractari, ut suo quodam eniteant splendore et ad luminum vim atque excellentiam attollantur, optime nos docebunt Graeci, optimi profecto etiam hujus artificii auctores.

Quid vulgarius est quam si dixeris, signum aliquod tamquam vivum tibi videri spirare? Vide autem, quantopere simplicem isthanc sententiam in una Myronis

bove Graecorum poetarum ingenium exornaverit. Alius quidem ostendit vitulum illius vaccae ubera adpetentem. Illud dico Antipatri Sidonii nobile epigramma:

> *Μόσχε, τί μοι λαγόνεσσι προσέρχεαι; τίπτε δὲ μυκᾷς;*
> *Ἁ τέχνα μαζοῖς οὐκ ἐνέθηκε γάλα.*

Isthaec quae fingitur res nonne ad laudem est exquisita, omnique disertior verborum praeconio? Hic quidem vituli est error. At nescio an gratius adhuc sit quod Demetrius Bithynus fingit, pastorem illam velut relictam lapidibus petentem:

> *Ὧδε Μύρων μ᾽ ἔστησε βοΐδιον, οἱ δὲ νομῆες*
> *Βάλλουσίν με λίθοις, ὡς ἀπολειπόμεναν.*

vel quod Julianus eumdem inducit eam stimulis fodicantem:

> *Βουκόλε, ποῖ προθέειν με βιάζεαι; ἴσχεο νύσσων.*
> *Οὐ γάρ μοι τέχνη καὶ τόδ᾽ ἔδωκεν ἔχειν.*

Isthaec quidem omnia, sed meo sensu optime postrema imitatione expressit Ausonius:

> Necdum caduco sole, jam sub vespere,
> Ageret juvencas quum domum pastor suas,
> Suam relinquens, me minabat ut suam.

Neque male poeta quidem Germanus nescio quis:

> O Hirte, warum laufest du
> So weit zurück nach mir?
> Stichst mit dem Stachel auf mich zu
> Und rufest: Fort von hier!
> Ich bin des Künstlers, Myron's, Kuh
> Und gehe nicht mit dir.

Praetereo alia ab aliis non minus fortasse probabiliter in idem Myronis signum dicta. Nam in isthoc argumento poetae videntur summa inter sese contentione certasse.

Quid porro est tam vulgare ac tritum, quam formosi juvenis cum Amore aut mulieris cum Venere com-

paratio. Et placebit hoc quidem utrumque dictum per se, velut apud Wielandum:

Er glich im Stahl dem Freund der Göttinn von Cythere,
Und ohne Rüstung schien's, als ob er Amor wäre.

Eadem res nude simpliciterque dicta pro lumine valde languebit. At luminis habet splendorem atque dignitatem, ut est in illo sive Asclepiadis sive Posidippi epigrammate tractata *):

Εἰ καθύπερθε λάβοις χρύσεα πτερὰ καί σευ ἀπ' ὤμων
Τείνοιτ' ἀργυρέη ἰοδόκος φαρέτρη,
Καὶ σταίης παρ' Ἔρωτα φιλάγλαον, οὐ μὰ τὸν Ἑρμῆν
Οὐδ' αὐτὴ Κύπρις γνώσεται ὃν τέτυκε.

Nam quid quaeso majus dici potuit quam e duobus non posse ipsam Venerem dignoscere utrum pepererit? Quantum enim hoc est ipsam matrem falli in filio! Tantum profecto, ut qui se ipsum falli fateatur, hoc est qui suo quidem judicio illum quem laudaverit Amoris dicat esse simillimum, si cum hoc conferas, nihil dixerit. Propius ab hujus epigrammatis laude mihi videntur abesse sequentes Maroti versiculi, meo sensu satis illi delicati, quamvis in clausula pro simplici Graeci sententia solemni Francogallorum more aculeum habentes:

Amour trouva celle, qui m' est amère,
Et j'y estois, j'en sçais bien mieux le conte.
Bon jour, dit-il, bon jour, Venus, ma mère.
Puis tout-à-coup il voit qu' il se méconte;
Dont la couleur au visage luy monte
D'avoir failli, honteux Dieu sçait combien;
Non, non, Amour, ce dis-je, n'ayez honte;
Plus clair-voyans que vous s'y trompent bien.

Ex his omnibus satis, arbitror, patet, qua in re hujus generis artificium sit positum. Nimirum istis poetis omni-

*) Vid. Stratonis aliorumque veterum poetarum Graecorum epigrammata nunc primum edita a Christ. Adolpho Klotzio. Altenburgi. 1764. pag. 69.

bus minime satis fuit dicere, quomodo earum rerum, quas laudant adspectu ipsi adficerentur. Quin potius nobis ostendunt admirabilem illarum vim et singularia prorsus effecta, e quibus sponte ipsarum quanta sit praestantia intelligatur. Quae talis laudandi ratio una et poetica est et ingeniosa.

Altera hujus generis forma illis continetur, quae adfectata sunt atque parum naturalia. Inest autem omnis adfectatio in nimio res magnas atque inauditas dicendi studio. At neque isthac via, quae magna sunt, reperiuntur, omnisque pulchritudo oblata potius delectat quam quaesita: quemadmodum in vita et usu quotidiano qui mores atque sermonem quam diligentissime componunt, quam maxime fiunt inepti, et quibus placendi summum est studium, illi minime placent. Etenim nihil pulchrum est nisi naturale, neque magnitudo ab simplicitate aut a facilitate venustas separari ullo modo potest. Itaque etiam lumen in dicendo unumquodvis ultro nasci debet, ab animo ejus rei, de qua dicitur, sensu ac cogitatione aut suaviter perfuso aut vehementer commoto, qui quidem ipse resplendens in oratione, omnis verae pulchritudinis unus et fons est et origo. At qui ipse minime incalescens magna tamen et praeclara conetur dicere, neque id quod velit adsequetur, atque praeterea conamine omni ad irritum cadente plurimum displicebit. Neque enim studium isthoc, ubicunque adest, vel tegi potest vel dissimulari, sed ipso labore fit manifestum, inanisque contentionis molestia ex ingrata quadam elucet operis difficultate. Quae quoniam exempla optime docebunt, verbis copiosius disserenda non puto.

Lumen est sine dubio illud quod de excisa Troja dicitur a Lucano:

— — — tota teguntur
Pergama dumetis: etiam periere ruinae.

Neque fortasse erat quod in his vel desiderarem vel reprehenderem, nisi simul recordarer egregiam illam atque vel brevitate vel magnitudine vel inprimis simplicitate inimitabilem Virgilii sententiam:

> Littora quum patriae lacrymans portusque relinquo
> Et campos, ubi Troja fuit.

Magnum est, fateor, vastationis argumentum, ne superesse quidem ruinas: ut qui hoc dixit illud nimirum dixerit quod erat summum; neque ego contendo, Lucanum sententiae magnitudine a Virgilio esse superatum. Qui enim poterat? Illam vero simplicitatem, quam in altero miramur, quis alteri ausit vindicare? Virgilius quidem perinde atque Lucanus, ut Macrobii verbis utar, paucissimis verbis maximam civitatem hausit et absorpsit: non reliquit illi nec ruinam. Neque vero ipse hoc dixit, sed intelligi voluit a legentibus. Quod ita prorsus gratum est, velut ea quibus intellectis Quinctilianus dicit audientes acumine suo delectari atque gaudere, non quasi audiverint, sed quasi invenerint. Lucanus vero, nescias an diffisus lectorum ingenio, certe acuminis laudem noluit amittere, illamque ita tenuit, ut clarum sit, eum minus quid diceret, quam ut optime illud diceret, cogitasse.

Sed tamen isthaec sunt leviora. Gravius autem castigandi sunt illi qui adfectatione sententiam prorsus corrumpunt, nimioque bene dicendi studio efficiunt, ut nec bene nec probabiliter ullo modo videantur dixisse. In praestantioribus Graecorum epigrammatis a me illud habetur, quod est ab incerto auctore in Veneris Gnidiae signum confectum. In quo miratur Venus, ubi nudam se viderit Praxiteles. Sed carmen ipsum potius hic adscribam:

> *Ἁ Κύπρις τὰν Κύπριν ἐνὶ Κνίδῳ εἶπεν ἰδοῦσα·*
> *Φεῦ, φεῦ, ποῦ γυμνὴν εἶδέ με Πραξιτέλης;*

Nihil mea sententia praestantius est his versibus neque

simplicius. Quidquid porro addideris, et nimium erit illorumque deteret fulgorem. Aliter quidem visum Platoni illi, cujus in idem signum sequentes leguntur versus:

Ἡ Παφίη Κυθέρεια δι' οἴδματος ἐς Κνίδον ἦλθε,
  Βουλομένη κατιδεῖν εἰκόνα τὴν ἰδίην.
Πάντῃ δ' ἀθρήσασα περισκέπτῳ ἐνὶ χώρῳ
  Φθέγξατο· ποῦ γυμνὴν εἶδέ με Πραξιτέλης;
Πραξιτέλης οὐκ εἶδεν, ἃ μὴ θέμις, ἀλλ' ὁ σίδηρος
  Ἔξεσ', Ἄρης οἷαν ἤθελε τὴν Παφίην.

In hoc quidquid est boni, priori surreptum est: et tamen Ausonius, quo erat judicio, deteriora fere melioribus anteferens superiora praeteriit, haec vero ita reddidit latine:

Vera Venus Gnidiam quum vidit Cyprida, dixit:
  Vidisti nudam me, puto, Praxitele.
Non vidi, nec fas: sed ferro opus omne polimus,
  Ferrum Gradivi Martis in arbitrio.
Qualem igitur domino scierant placuisse Cytheren,
  Talem fecerunt ferrea caela Deam.

Ain' vero? Ferreum caelum hoc scivisse, et ut sciverit ita sponte fecisse? At vel poetae quidlibet potius, quam hoc credam. Enimvero quam durum est, quam quaesitum, quam adfectatum, quam minime naturale! ut mihi quidem, cui id placeat, nihil videatur probaturus, nisi quod longissime fuerit petitum. Atque isthoc vel ipsum Ausonium obscuro quodam animi sensu intellexisse, certissimum illud est argumentum, quod Graeci verba aliquo interpretationis lumine indigere judicavit. Unde natus est ille versus:

Ferrum Gradivi Martis in arbitrio.

Qui sane nihil est aliud nisi sententiae obscurioris quoddam glossema. Atqui simplex et naturalis nulla res dici potest, nisi quae suo quodam interno lumine splendeat ipsaque per se sine omni additamento facile intelli-

gatur. Verum haec minima pars est erroris. Neque enim hoc ipsum quod tam longo itinere quaesivit, est omnino a poeta repertum. Illud nempe quid esse dicam? Ut artificem laudaret? Egregiam vero Praxitelis laudem, si quidquid in signo illo et laudabile erat et divinum et simillimum Veneris, non est ab ipso sed ab eo quo usus fuit instrumento profectum. Ita ne Praxitelis quidem opera desiderabatur, et vilissimus quisque opifex idem praestitisset. Quin ne opus quidem fuit ulla hominis manu. Fortasse autem ipsum per se artificium laudatur? At hoc laudari non poterat sine artificis respectu. Nam admirationem habebat nullam, nisi ab homine profectum. Dei autem arbitrio atque numine si erat factum, nihil in illo accidit mirabile neque laudandum. Quod ipsum alio loco declaravit Ausonius hoc versu:

Non sunt facta Dei mira, sed artificis.

Sed nulla major in hoc genere pestis est illa, quae versatur in diversis animi motibus atque perturbationibus. Nam in ceteris fere omnibus rebus, si quid ab hac parte fuerit peccatum, illud et modice fertur et simpliciter displicet. In his autem, si quid parum est naturale, aut ab humana mentis indole alienum, vehementer nauseamus saepissimeque inde animi commotiones illis quae quaeruntur existunt contrariae. Nam pro terrore indignatio, pro misericordia fastidium, pro lacrymis risus ita facillime movetur. Quo vitium nullum frequentius est in poetis Francogallis; quorum in scena heroea ingenio certant, amantes antithetis ingemiscunt, atque moribundi in acumine aliquo exspirant. Atque haec quidem, ne quis nimia dici a nobis existimet, exemplis, quantum satis videbitur, declarabimus.

Hujusmodi plura nobis suppeditabit Petrus ille Cornelius, quem Magnum Francogalli solent appellare. Qui, cum Surena, Parthorum dux, ob Euridices amo-

res regis filiam in matrimonium ducere recusasset ideoque ab rege esset interfectus, ejus sororem ita inducit cum Euridice colloquentem:

Et vous, Madame, vous, dont l'amour inutile,
Dont l'intrépide orgueil paroît encor tranquille,
Vous, qui brûlant pour lui sans vous déterminer,
Ne l'avez tant aimé que pour l'assassiner;
Allez d'un tel amour, allez voir tout l'ouvrage,
En recueillir le fruit, en goûter l'avantage:
Quoi! vous causez sa mort et n'avez point de pleurs?

Ad haec Euridice ita respondet:

Non, je ne pleure point, Madame, mais je meurs!

Atque ne quis frustra hoc dici putet, in scena subito collapsa expirat. Haec et videntes et audientes plaudant licet, alii velut in vero funere vehementer perterreantur: ego tranquillus spectabo omnia atque minimo commotus, ut qui sciam, eorum qui ingenti dolore oppressi moriuntur neminem tam sublime mori neque tam ingeniose. Minime equidem ignoro, multos saepe constanter, multos hilariter mortem obiisse, nonnullos etiam jocose, in ipso ejus articulo ludentes. Sed longe diversa est ratio ejus, quem terribilis nuntii ingens ac repentinus dolor suffocat potius quam extinguit. Huic cum sit ad gemitus atque lamentationem vocis iter praeclusum, an satis animi credamus superesse, ut terrore muta et doloris ponderi succumbens, a quoquam lacessita hoc audiat, nedum linguae convicia responsi compescat amaritudine? Id quidem prorsus abhorret a natura mentis humanae. Quodsi Cornelius Euridicen induxisset, nuntio de caede sponsi accepto statim collapsam atque morientem, hoc et praeclare inventum dicerem et haberet ea res apud me fidem: nunc autem cum isthaec ex Euridice audio, ipsum poetam audio sublimia adfectantem, atque prorsus mihi constat, isthoc letale vulnus non esse illamque ita mori, ut moriuntur in scena.

Ecce vero aliam, quae in eodem Cornelio narrat patris caedem his verbis:

Sire, mon père est mort, mes yeux ont vû son sang
Couler à gros bouillons de son généraux flanc,
Ce sang, qui tant de fois garantit vos murailles,
Ce sang, qui tant de fois vous gagna des batailles,
Ce sang, qui tout sorti fume encor de courroux,
De se voir repandu pour d'autres que pour vous;
Qu'au milieu des hazards n'osoit verser la guerre,
Rodrigue en votre cour vient d'en couvrir la terre.

Haec quidem vult videri commiserans. Ego autem vehementer vereor, ut quemquam ad doloris perducat societatem. Nam qualis haec est oratio? Itane loquitur verus dolor? Itane est disertus et oratoria captat ornamenta et jactat figuras et flosculos delibat et verborum sequitur lenocinia? Puerilia quidem sunt omnia putidaeque adfectationis plena, sed praecipue immane quoddam frigus inest in illis:

Ce sang, qui tout sorti fume encor de courroux,
De se voir repandu pour d'autres que pour vous.

Hoc igitur unum erat, quod fumantem patris sanguinem videns filia cogitaret? Egregiam vero pietatem, quae in hujuscemodi nugis argutiisque sibi placet, Theophili illi pugioni sanguine adsperso erubescenti haud praestantibus. Huicne credamus quod dicit postea:

— — — — Excuses ma douleur,
Sire! la voix me manque à ce récit funeste,
Mes pleurs et mes soupirs vous diront mieux le reste.

Equidem quae tu narras de dolore non audio, vocem te deficere prius maluissem. Quod autem de lacrymis atque gemitu memoras, ab his utique tibi erat incipiendum; post illa quidem, quae antea dixisti, etiam haec frustra sunt. Sed enim satiari ludens non potest. Audiamus igitur et sequentia:

Son flanc étoit ouvert, et pour mieux m'émouvoir,
Son sang sur la poussière écrivit mon devoir;

Où plutôt sa valeur en cet état réduite
Me parla par sa playe et hâtoit ma poursuite.

At hercle mira narras de isthoc sanguine. In illo vidisti omnia rerum portenta, illud unum non vidisti quod oportebat. Quare tu quidem haud feres indigne, istam sanguinis paulo ante irati, nunc vero etiam officium tuum in pulvere scribentis mentionem nec flebilem nobis neque lamentabilem, sed prorsus festivam atque ridiculam videri.

Et morientes vidimus et lugentes, jam prodeat etiam quae sciat irasci. Hujus quam terribilis est comminatio!

La vapeur de mon sang ira grossir la foudre,
Que Dieu tient déjà prête à te réduire en poudre.

Haec quidem, ut puto, ea perdidisse non vult, quae in physicis didicerat. Certe satis illa docte loquitur, parum autem irate. Nam iratum neminem ego unquam ita vel locuturum existimo vel locutum. Etenim lentum est isthoc poetae sententiae quoddam pondus non vulgare adfectantis artificium, non animi commoti atque exaestuantis oratio. Tam enim est remotum ab usu communi tamque longe petitum, ut qui hoc dicat, illum necesse sit alia multa prius cogitasse, quam in hoc incideret. Quod vel maxime est irae contrarium. Ea nempe subito excandescens non quaerit arma, sed rapit, neque, quid et quomodo vehementissime dicat, diligenter considerat, verum ex praesentium cogitationum copia animosissimam quamque propellit. Quare si quis moriturus hosti sceleris vindictam minetur, sanguinis effusi vaporibus armare fulmen nimis longum est. Melius haec apud Virgilium Dido:

— — — Sequar atris ignibus absens:
Et quum frigida mors anima seduxerit artus,
Omnibus umbra locis adero. Dabis, improbe, poenas.
Audiam, et haec manis veniet mihi fama sub imos.

Haec igitur valent ad terrorem, superiora autem illa ad risum.

Multa nobis praetereunda sunt festinantibus ad finem. Quanquam, nisi fallor, ex his jam satis intelligitur hujus vitii et natura et turpitudo. Quare pergimus tandem ad postremum genus falsorum eloquentiae luminum, cujus omnis a loco est reprehensio.

Igitur minime sufficit egregie aliquid dici aut fingi, idque omni in se vitio carere: nam loco non suo dictum certe nunquam placebit, saepenumero etiam displicebit vehementer. Id quoniam per se claret atque multo magis etiam exemplis intelligetur, verbis demonstrare prorsus supervacaneum existimo. Locum vero alienum tenere censentur illa, quae cum alicubi recte dici potuerint, ibi certe, ubi sunt dicta, vel simpliciter abundant vel ceteris quoque, quibuscum sunt juncta, videntur officere. Quanquam autem in omni opere pulchro quidquid usum nullum habet per se nocet, ejusque perfectioni obest quidquid abundat, tamen ea quae hic dicimus officere *insignius quoddam* adferunt detrimentum, propterea quod non modo melius abessent, sed praesentia ceterorum et tollunt veritatem et disturbant concentum. Sed de singulis ordine dicemus.

Prius itaque genus vel inprimis continet rerum descriptiones minime necessarias, quae ut in se nulla ex parte deficiant, ibi tamen ubi instituuntur, neque locum neque usum omnino habent. Est autem non omnium, quae et quare aut describenda aut simpliciter dicenda aut etiam omittenda sint, intelligere. Atque multorum ea judicii est imbecillitas, ut res per sese spectent atque nulla ceterorum habita ratione illa potissimum sibi putent describenda, quae tractata facillime nitescant et in quibus minima opera ingenium possint ostentare. Itaque habent illi rerum describendarum quosdam quasi locos, quibus eorum in hac caussa judicium semper et ubique regatur. Tempestatis erit facienda mentio. Non illi quaerent, utrum se huic immorari rerum ceterarum ratio atque consilium exigat,

sed nimirum quia argumentum isthoc sua natura ornamentorum poeticorum feracissimum atque uberrimum est, statim laxabunt ingenio frena, coelumque et terras atque maria miscentes plurimorum versuum terribili strepitu atque fragore, lectoris non jam ad hoc spectaculum accedentis vel confundent animum vel patientiam exercebunt. Quo ineptius aut perversius nil potest cogitari. Verum intueamur Virgilium. In hoc quid caussae esse putemus, quod, cum primo Aeneidos libro in describenda tempestate tam sit adcuratus et copiosus, eadem re in libro tertio paucissimis verbis defungatur? Nimirum hoc, quod priorem illam tempestatem Junonis ira immisit, ipsius Aeoli usae ministerio, atque universae Trojanorum classi exitium interitumque parantis. Itaque alterius Numinis vis, alterius furor effectis fuit declarandus, atque ingens illud discrimen ostendendum, in quod Trojanorum reliquiae vixdum solutis navibus adducebantur. Posteriori vero loco nonnisi ad Strophadum insulas deferendus erat Aeneas, quod fieri sine magno strepitu atque tumultu facile et potuit et debuit. Idem judicium fuit Wielandi, summi poetae, a quo in divino illo cui Oberon titulus est carmine, tempestas a Genio propter dulce Huontis atque Retiae furtum irato immissa pluribus ita describitur:

Stracks schwärzt der Himmel sich, es löschen alle Sterne;
Die Glücklichen, sie werden's nicht gewahr.
Mit sturmbeladnem Flügel braus't von ferne
Der fessellosen Winde rohe Schaar;
Sie hören's nicht. Umhüllt von finstrem Grimme
Rauscht Oberon vorbey an ihrem Angesicht;
Sie hören's nicht. Schon rollt des Donners droh'nde Stimme
Zum drittenmal, und ach! sie hören's nicht!

Inzwischen bricht mit fürchterlichem Sausen
Ein unerhörter Sturm von allen Seiten los;
Des Erdballs Axe kracht, der Wolken schwarzer Schoos
Giefst Feuerströme aus, das Meer beginnt zu brausen,

Die Wogen thürmen sich wie Berge schäumend auf,
Die Pinke treibt in ungewissem Lauf;
Der Bootsmann schreyt umsonst in sturmbetäubte Ohren,
Laut heult's durch's ganze Schiff, weh' uns! wir sind verloren!

Der ungezähmten Winde Wut,
Der ganze Horizont in einen Höllenrachen
Verwandelt, lauter Glut, des Schiffes stetes Krachen,
Das wechselweis bald von der tiefsten Flut
Verschlungen scheint, bald himmelan getrieben
Auf Wogenspitzen schwebt, die unter ihm zerstieben:
Dies alles, stark genug die Todten aufzuschrecken,
Mufst' endlich unser Paar aus seinem Taumel wecken.

In his omnibus qui non sua sponte sentiat, nihil inepte, nihil intempestive, nihil inutiliter, denique non suo loco dici, illi frustra hoc explicaremus. Earum autem tempestatum, quibus et libro undecimo Fatme familiaris Retiae puella, et libro duodecimo ipsa Retia a piratis capta in eamdem oram fuerant deferendae, quam est simplex mentio et castigata et sobria! ita quidem, ut posteriori loco paucissimis versibus et fulminis ictu incendatur navis et flammis sese eripientem turbam excipiens cymba fluctibus obruatur.

Auf einmal stürzt aus wolkenlosen Höhen
Zikzak ein feuriger Stral herab,
Und mit dem ersten Stofs, den ihm ein Sturmwind gab,
Sieht man das ganze Schiff in voller Flamme stehen.

An Löschen denkt kein Mensch in solcher Noth;
Das Feuer tobt. Vom fürchterlichsten Sod
Umschlungen, springt aus seinem Flammenrachen,
Wer springen kann, und wirft sich in den Nachen.
Der Wind macht bald sie von dem Schiffe los,
Treibt sie dem Ufer zu; doch eine Viertelstunde
Vom Strand ergreift den Kahn ein neuer Wirbelstofs
Und stürzt ihn um, und alles geht zu Grunde.

Sed neque omnium est poetarum isthoc judicium: atque multi ingenio satis illi quidem commendabiles neque rerum describendarum ullum habent dilectum, neque, si quid describere coeperunt, modum tenent aut finem omnino reperiunt. Inprimis apud Germanos quosdam poetas, maxime recentes, ea invaluit consuetudo, qui ita videntur existimare, omnem poeseos vim in hac facultate esse positam, et quidquid oculis fuerit aspectabile, illud a poeta describi et posse et debere.

Verum et paucis est dicendum de iis, quae non modo abundant, sed vel maxime officiunt ceteris. Eo inprimis pertinent singulae sententiae, ut in se pulchrae atque egregiae, ita minime illi quem tenent loco adcommodatae, neque ceterarum vel rerum vel sententiarum naturae convenientes. Unde quaedam nascitur vel morum vel sensus quasi repugnantia plurimum iis ingrata, qui et mentis humanae indolem perspectam habent atque unicuique rei quid sit conveniens, optime intelligunt. Quo in negotio vel inprimis attendendum est ad carminum genus atque naturam. Ea res saepenumero plurimum valet vel ad reprehendendum poetam vel ad excusandum. Alia enim lex est carminis lyrici, alia satyrici, et quae in poemate epico ferri non poterant, illa in epigrammate fortasse placebunt vehementer. Id adeo nisi quis continue respiciat, facillime falletur, et modo vituperanda probabit, modo etiam reprehendet quae potius videantur laudanda. Hujusmodi errores doctissimorum virorum cum possim referre innumerabiles, unum commemorabo exemplum Werenfelsii, viri et satis eruditi et acumine philosophico ceteroqui minime carentis. Is in eo libello, quem inscripsit de meteoris orationis, velut nimis quaesitum atque adfectata sublimitate frigens reprehendit sequens Ausonii in Didonem epigramma, quod ego inter ejus optima facile numeraverim:

Infelix Dido, nulli bene nupta marito:
Hoc pereunte fugis, hoc fugiente peris.

Hoc, inquit Werenfelsius, quisquis legit, non Didonis interitum miseratur, sed poetae argutiam miratur. Augustinus certe, qui lecto quarto libro Aeneidos Virgilianae mortem Didonis lacrymis prosecutus est, siccis hoc epigramma oculis legisset. Quasi vero isthoc poetae consilium fuisset aut omnino esse debuisset, ut legentium oculis lacrymas excuteret: qui certe nihil spectavit aliud nisi hoc unum, ut singulare illud Didonis infortunium et paucissimis verbis et eo declararet modo, qui valeret ad admirationem. Quod partim sententiae simplicitate partim admirabili antitheti concinnitate ita prorsus est adsecutus, ut melius non potuerit. Mirari igitur nos voluit poeta hoc tale Didonis infortunium, Didonem autem miserari aut lacrymis etiam prosequi non voluit neque velle potuit, quoniam non est hoc ullius epigrammatis munus aut consilium. Omnino si ipsa Dido vel in carmine epico vel in tragoedia induceretur, ita loquens, Me miseram! nulli equidem marito sum bene nupta; hoc pereunte fugio, pereo illo fugiente: id quam maxime foret absurdum, quia haec non est ipsam se miserantis oratio. Sed a poeta et in epigrammate dictum, idem et praeclare dicitur et suo loco.

Sed praeter carminum genera atque diversitatem inprimis etiam consideranda est ratio personarum, a quibus quaeque dicuntur. Neque enim eadem omni tempore aut loco dicta ab iisdem, eodem modo aestimantur, aliaque singulis etiam in sententiis animi compositi et tranquilli est oratio, alia vehementiori quodam motu agitati. Quae res tam clara est in se, ut neque uberius explicanda neque multorum exemplorum lumine illustranda videatur. Unum adferam e Virgilio, quod nescio an aliis quoque, mihi certe semper displicuit. Nobilem illam dico omniumque sermone tritam sententiam;

Una salus victis, nullam sperare salutem.

Hoc si in se spectes, non ferri modo posse, sed etiam valde placere, minime ego negaverim. Atque plurimis certe omni fere tempore ita visum esse, patet ex magna similium sententiarum copia, quae partim a Cerda ad hunc locum, partim ad Velleji Paterculi L. II. c. 5. ab Ruhnkenio viro clarissimo laudantur. Ego autem ut ceterorum, qui idem iisdem pene verbis dixerunt, fortasse neminem vituperandum existimem, haud tamen verear reprehendere Virgilium, et quo rerum statu et a quonam isthaec dicantur mecum considerans. Nempe haec est Aeneae oratio in repentino hostium tumultu, per summam festinationem parvam juvenum manum sibi adglomerantis, quos ad certum exitium ituros hortatur, nec patriae nec sibi ullam salutem sperantes in media hostium arma ruere atque servitutis dedecus pulchra morte evitare. Fortiter et viriliter omnia, modo isthoc epiphonema abesset, mihi certe intempestivo acumine frigens. Nam profecto eo temporis puncto, quo conclamatum est actumque de patria, in fortissimi etiam ducis ad morituros milites oratione oxymoron aliquod nemo, ut opinor, exspectat.

Satis videmur nobis exposuisse de falsorum eloquentiae luminum caussis et natura. De veris autem eadem opera a nobis est dictum: quoniam omne lumen iis carens vitiis quae enumeravimus, eo ipso verum esse censendum est. Itaque superest tandem, ut breviter ostendamus artes illas, quibus omnis in hoc genere judicii perversitas optime caveri posse videatur.

Quoniam autem omne malum antevertere quam tollere multo praestat, saepiusque sera nimis inveteratorum cura est, ante omnia dicendum erit, quaenam non praeceptoris tantum, verum etiam parentum in hoc negotio sint partes, jam illo tempore quo is, cui consultum volumus, ipse sibi prospicere minime possit. Atque nos quidem rem ultra litterarum rudimenta a

primis infantiae annis et a cunis fere usque repetere nemo mirabitur intelligens, quae pulchra sint, et in libris et in rebus quotidiano adspectu oculum ferientibus iisdem omnino constare principiis, longaque rerum turpium, foedarum ineptarumque adsuetudine paullatim etiam sensum judiciumque vel debilitari vel corrumpi. Quod intelligens prudens pater jam a tenerrimis annis, quantumcunque id fieri possit, adsuescat pueri oculum nonnisi pulchris rerum formis, atque ab ejus adspectu removeat, quidquid illi displicere ad pulchritudinis sensum fuerit optabile. Atque etiam vel crepundiorum aliquem habeat dilectum, ne ille ludendi suavitate deceptus, non ferenda primum ferre discat, deinde probare. Nam quae per se minime placent, si gratam adferunt oblectationem, facillime sese insinuant animis, et quam ab se non habent commendationem, voluptatis inde profectae consortione nanciscuntur. Levia haec quidem multis videbuntur, quibus perinde est, quomodocunque tempus fallant infantes, dum innocuo aliquo ludo detineantur; mihi autem satis grave est, quidquid ad verum pulchri sensum pervertendum potest valere. Neque enim si quae inde labes concepta est, illa simul cum ludo tollitur, quaeque infantes amare didicimus in crepundiis, iisdem certe adulti in rebus aliis omnibus minus offendemur. Denique nos neque ludum improbamus neque crepundia volumus sublata; modo ne sint inelegantia, inepta, inficeta, quorum profecto nihil pertinet ad eam quae huic aetati quaeritur oblectationem.

Idem omnino intelligi velim de cultu vestituque et universo domus adparatu. A quo absint et inutilia rerum ornamenta, et species atque splendor inanis, omnis denique pulchritudo adfectata, ut vel vultum tollens infans ubique et munditias videat et simplicitatem, nihil autem usquam videat, quod ei minus expediat placere. Haec quidem ita a nobis praecipi multi fortasse

mirabuntur, parum intelligentes, quid nobis tam scrupulosa diligentia velimus. Mihi vero inter caussas illas, propter quas in tanta doctorum hominum multitudine tam sit incredibilis eorum paucitas, in quibus judicii elegantia et genuinus pulchri sensus non plane desideretur, haec non videtur esse postrema, quod a prima inde aetate iis videndis audiendisque adsuescimus, quorum desuetudine demum aditus paratur ad illam quam nos quaerimus facultatem. Quo fit, ut judicium, antequam coeperit formari, corrumpatur, vitiaque prius sint evellenda, quam virtutis ulla semina spargenda. Itaque nobis quidem monstri simile videtur legentibus, apud veteres tam subtile aurium vel in plebe infima judicium fuisse, ut et Graecula quaedam in foro femella in Theophrasto Attici sermonis desiderans elegantiam, eum peregrinum esse intelligeret, et Romae numerose in fine periodi cadentibus verbis tota saepe concio exclamaret. Mihi haec et talia non nimium videntur miranda. Neque enim apud illos elegantiae et pulchritudinis judicium vel scholis erat inclusum, vel paucorum hominum lucubratione continebatur, sed quotidie audiebant summos oratores atque poetas vel in concione verba facientes vel de eloquentiae aut poeseos palma inter se publice certantes: perfectae autem pulchritudinis formas partim in aedificiorum intuebantur magnificentia atque simplicitate, partim in summorum artificum communi in adspectu positis monumentis, partim in Graecorum corporum admirabili pulchritudine atque venustate: postremo ea omnia, quae nobis vel in scholis vel in libris vel in occlusis principum museis porticibusque sunt quaerenda, in oculis semper habebant. Quibus rebus ab incunabulis fere formatos et innutritos multos ex plebe homines de omni elegantia rectius saepe sensisse, quam qui apud nos de litteris judicium audent sibi vindicare, nemini, ut opinor, prorsus incredibile videbitur. Nobis contra pro magnitudine

fastus, pro simplicitate inanis pompae ostentatio, pro nativa pulchritudine fucus atque putida quaedam adfectatio in vita, moribus omnique adparatu cum publico tum privato sunt quotidiana; multa domi forisque inepta, insulsa atque inficeta audimus, multa spectamus: per quae tot impedimenta ad veram elegantiam sanumque pulchri judicium vel nitentibus quam difficile est iter! Eorum autem summam si possimus minuere, cur nolimus, equidem parum intelligo.

Quid quod ne in his quidem puerilis ac domesticae vitae cautionibus nostra subsistit oratio? Neque enim mihi satis est, infantis oculis auribusque omnem caveri corruptelam, nisi simul ab ejus corpore animoque removerim vitae mollioris atque luxuriosae pestem magis illam adhuc perniciosam. Id quo pertineat, neminem fugiet eorum, qui intellexerint, quanta sit quamque necessaria conspiratio sensus et quo corporis et illius quo animi voluptas judicatur. Quorum in altero quae existet corruptio, ad alterum necessaria quadam serpet contagione. Neque enim fieri profecto potest, quin illi, cui in cultu victuque sordere coepit omnis naturalis simplicitas, nulla quoque vel in artibus vel in eloquentia et poesi placeat et vera et simplex et naturalis pulchritudo. Nam et adfectatio omnis cum in vestibus aut supellectili, tum in libris ab eadem proficiscitur judicii perversitate, et quibus pro cibo sunt condimenta, iis illa demum grata erit oratio, quae sententiarum acumine et corruptis sensiculis antithetisque aurem sine requie feriat, neque is mihi omnino stilum probabit gravem, simplicem atque virilem, cui in vita nonnisi luxuriosa, delicata, mollia atque enervata placuerint. Id inprimis docent variae apud diversos populos eloquentiae atque poeseos conversiones: quae ubique cum moribus simul et mutari coeperunt, et depravatae sunt et extinctae. Velut apud Romanos praecipue Neronum aetate, cum morum depravatio

extitisset tanta, ut nulla fere nisi monstrosa placeret voluptas, hanc pestem e vita in libros transfuderunt eorum scriptores: unde natae sunt graves illae Quinctiliani querelae. Declamationes, inquit, olim jam ab illa vera imagine orandi recesserunt atque ad solam compositae voluptatem, nervis carent, non alio medius fidius vitio dicentium, quam quo mancipiorum negotiatores formae puerorum, virilitate excisa, lenocinantur. Nam ut illi robur atque lacertos barbamque ante omnia et alia, quae natura propria maribus dedit, parum existimant decora, quaeque fortia, si liceret, forent, ut dura molliunt; ita nos habitum ipsum orationis virilem et illam vim stricte robusteque dicendi, tenera quadam elocutionis arte operimus, et dum levia sint ac nitida, quantum valeant, nihil interesse arbitramur. Sed mihi naturam intuenti, nemo non vir spadone formosior erit. Haec Quinctilianus. Quid? Francogalli nonne in scriptis morum atque vitae quamdam referunt imaginem? Qui argutias pro ingenio, ingenium pro ratione recta atque simplici venditant, quique, quod idem in suis hominibus reprehendit Quinctilianus, nunc illud volunt, ut omnis locus, omnis sensus in fine sermonis feriat aurem. Itaque olim illis periit Graecae illius simplicitatis sensus: siquidem jam Racanus teste Buhursio Graecorum in epigrammatis ingenium prorsus desideravit. Qui forte in convivio quodam jusculum valde insulsum degustans, amici proxime adsidentis latus vellicans, hoc quidem ferculum, inquit, tam est Graecum, ut magis non possit. Quae quidem atque plura mihi apud animum versanti, nulla profecto circa mores victumque et cultum corporis omnem nimia in illo diligentia videtur, cujus sperem aliquando et sensum in eloquentia verum atque genuinum et judicium sanum incorruptumque fore.

Haec autem jam prima pueri educatione partim provisa partim inchoata sapientiae studium magis et

iam perficiet atque firmabit. Quo quidem ad hanc quam quaerimus facultatem quod prius magisve commendem, profecto nihil habeo. Nam velut et ceteris disciplinis omnibus philosophia facem praefert, ita inprimis in hac parte doctrinae est ejus quoddam praecipuum munus, quoniam sane nihil est aliud pulchri scientia, quam philosophia ad eam rerum qualitatem translata. Atque quemadmodum hoc destitutus praesidio nemo fere in ullo litterarum genere operae pretium fecerit, ita neque poeta carmen ullum perfectum condet; de artibus vero elegantioribus docte subtiliterque nemo unquam nisi philosophus judicavit. Illos quidem, quos naturalis quidam mentis stupor ad omnem pulchri sensum reddidit inertes, neque ars ulla neque ratio sanabit, ut neque oculum coeco neque aliud quodcunque membrum non habentibus dare ulla medicina potest; verum et latentes ingenii igniculos excitabit philosophia, et vagi incertique sensus temeritatem ad certae rationis perducet constantiam neque a vero fine facile patietur aberrare. Enimvero hoc ejus maximum est munus atque beneficium, quod illa duce et ubique cernamus acutum, et quale quidque sit multo citius certiusque intelligamus. Neque enim ejus face animus collustratus vel inani specie deludetur, vel pro rebus umbram amplectetur, sed earum vim naturamque perscrutatus, singula vero suoque pretio aestimabit. Quod ut in una saltem eorum quae ante diximus parte declaremus, quis dubitat, quin eorum, quorum primi generis falsa lumina commemoravimus, nemo pro veris falsa fuisset amplexus, si vel satis ingenium philosophia excoluisset, vel illo certe tempore, quo haec scribebat, ejus praeceptis obtemperasset? Eodemque modo de ceteris omnibus est judicandum. Neque enim vel nimia dicet, vel cum parvis magna confundet, vel in re ingrata vires frustra exercebit, vel denique aut forma aut loco peccabit is, qui de unaquaque re quid sit sta-

tuendum intellexerit. Inde nimirum est, quod Horatius, elegantiae summus arbiter, recte scribendi sapere et principium et fontem esse dixit, atque Socraticas chartas inprimis poetarum lectioni commendavit. Eas quidem et nos vehementer cupimus commendatas illis omnibus, qui de litteris elegantioribus recte subtiliterque velint judicare. Illi diligenter pervolvant et veterum philosophorum optimum quemque, et si qui recentiorum hisce vel judicii acumine vel ingenii venustate ac disserendi elegantia similes extiterunt. Philosophiam quidem illam umbraticam atque scholastica barbarie horridam non est cur cuiquam commendemus. Quae tricis atque argutiis oblectata omnemque sponte exosa venustatem ad rectum pulchri sensum vel gignendum vel alendum confirmandumque adeo nihil confert, ut potius judicium pervertat indolemque quamvis laetam corrumpat. Illa vero quam dicimus cum omnino ad animorum cultum, tum ad hanc facultatem consequendam regendamque nihil est salutarius, qua prorsus carens vel poeta vel carminum existimator innumerabilibus et locis et modis turpissime labetur.

Cum philosophiae autem studio conjungenda erit frequens ipsorum poetarum lectio. Ad quam partem, et qui legendi sint et quo modo, paucis dicemus. Atque illud quidem satis praecipi non potest, initio paucos neque inter hos quemquam nisi optimum esse legendum. Nam quae prima percipiuntur, praesertim ex illorum genere, quae ad phantasiam pertinent, altissime in animum descendunt atque ibi vestigia imprimunt, vix ulla melioris cultus sollicitudine iterum delenda. Idque ita fieri tanto magis est necesse, quod recentem pueri animum prima quaeque voluptas ut nova vehementissime concutit, cum postea multarum rerum imaginibus obsessa et occupata mens nihil fere tanquam insolitum miretur, atque longo earum fructu velut exsaturata, quamvis eximiae pulchritudinis contemplatione len-

tius adficiatur. Unde necessario consequitur illud, ut quoniam cujusque carminis praestantiam voluptatis inde perceptae metimur magnitudine, per omnem saepe vitam illa maxime excellere judicemus, quae sunt eorum, quorum specie olim animum correptum fuisse recordamur, simillima. Itaque saepe ego vidi viros et doctrina praestantes et valentes judicio, qui quum de plerisque rebus vere adcurateque dissererent atque eleganter sentirent, carminibus illis, in quibus pueri poesin degustavissent, adulti, etsi vel mala essent vel certe mediocria, ita tamen oblectarentur, ut multo melioribus illa praeferrent. Qui si quod in hoc genere judicium ferrent sinistrius, saepe ejus caussam hacce investigatam via deprehendi, saepius sine dubio deprehensurus, si puerilium studiorum rationem omnem tenuissem. Atque si velimus quisque ad nos ipsos diligenter attendere, animique sensum excutere severius, nemo fortasse nostrum erit, quin idem sibi ex parte saltem accidisse experiatur. Mihi quidem puero poetarum lectionem primus fere commendavit Ovidius. Et quamvis sapientis magistri ad singula ejus vitia me admonentis vox minime deesset, tamen haec ipsa, ut puto, non magis naturali quadam judicii perversitate quam propter virtutum adfinitatem placebant. Itaque illum longo post tempore et Virgilio praetuli, et nunc quoque multa ejus loca reprehendens, nescio quomodo illis interdum oblector ipsis, quae tamen minime laudabilia esse certis indubitatisque intelligo rationibus. Ergo hoc sedulo est anticipandum, tenerique puerorum animi illo statim imbuendi sensu, ad quem illos expediat postea omne pulchritudinis judicium exigere.

Atque qui sint pauci illi ex omni scriptorum numero cum primi tum per omnem vitam maxime legendi, quanquam neminem fugere potest litterarum elegantiorum non prorsus rudem, tamen ne quid praetermittere videar, quam brevissime potero dicam. Primi omnium

et antiquitate et virtute sunt Graeci, quorum ingenium ut nonnulli fortasse ex recentioribus aequaverint, simplicem certe magnitudinem tranquillamque majestatem et nativam pulchritudinem nemo unquam est adsecutus. E quibus omnibus Homerum nomino, non quod unum, sed quia ante alios legendum puto vel potius e manu nunquam ponendum. Hunc qui admirari semel didicerit, quantopere contemnet atque fastidiet et omnes sententiarum argutias et inanem vel in rebus vel in verbis ostentationis pompam! Proximi sunt hisce Romani, qui Augusti aetate pauloque vel ante vel post illum floruerunt! In quibus tamen et aliquis commendandus erit dilectus. Neque enim omnia, quae scenae atque populo servientes dixere comici, (quanquam jam longius illi distantes ab Augusto,) puero velim placere, et majorem inde excludam partem Ovidii, luxurie argutiisque Francogallorum ingenio mirum in modum similis. Eorum autem qui sunt legendi, sine dubio principes habentur Horatius atque Virgilius. Quorum alter in odis vel fortis, sublimis atque audax, vel mollis, tener atque delicatus, in satyris epistolisque tersus, facetus atque urbanus, per omnia philosophiae facem sibi praeferentis sequitur vestigia, alter medium quoddam tenens iter inter Graecorum simplicitatem, saepius fere incompositam, atque effusam recentiorum pompam, sine ostentatione est magnificus, sine jactatione fortis atque virilis, denique comtus et elegans sine adfectatione. His autem adjungi quotumquemque recentiorum dignum existimabimus? Mihi inter eos quos novi digni ante alios videntur, e Francogallorum poetis Boilavius, e Germanorum Gessnerus. In quorum alterius satyris, excepta illa quam in urbem Parisiorum fecit, ut opinor, adolescens, inest nativum quoddam robur atque virilis maturitas. Qui quidquid sibi sumsit ridendum, sententiarum pondere ac veritate non minus conficit quam acumine, certissimo telo quidquid petit feriens. Alte-

rius neque ingenium judicio neque lima ingenio unquam obfuit. Nam per omnia plenus venustate atque lepore, et prima lectione rapit in admirationem animum, neque censoris singula rimantis lentam refugit pervestigationem, et cum multa ostendat, plura habet in recessu. Adeo enim et arte perfectus est et natura, ut scriptorem magis castigatum aut absolutum vix ulla tulerit aetas. His et talibus magistris imbutus adolescens neque ea profecto discet, quae postea magno labore fuerint dediscenda, atque iis initiis munito satis perfectoque judicio cetera quaelibet facile sine periculo leget.

Atque hos quidem etiam seorsim magno cum fructu versabit adolescens: ad eorum autem, qui sibi sint explicandi, lectionem adesse velim liberalis et erectioris ingenii praeceptorem, qui sciat ultra vocabulorum copiam et linguarum Graecae atque Latinae facultatem aliquid esse in veteris aevi scriptoribus quaerendum: quique et suo judicio legat, et quominus ea quae sunt reprehendenda castiget, nulla vel antiquitatis vel magnitudinis auctoritate impediatur. Nam qui omnia probaturus ad pervolvendos veterum libros accesserit, is profecto inde parum proficiet ad judicium, atque ego quidem lenius feram nonnulla immerito reprehendentem, quam temere laudabilia mirantem. Ergo hoc sciant et magister et discipulus, humani ingenii aut industriae opus nullum esse perfectum, ipsumque adeo bonum aliquando dormitare Homerum: in rebus autem vel mirandis vel reprehendendis neque vago et instabili sensu ducantur neque libidine, verum ad certas singula caussas revocent, complicatamque studeant evolvere animi notionem. Inanis quidem est, certe perexigui ad judicium emolimenti nonnullorum labor, qui dum existimari volunt omnem persentire veterum scriptorum praestantiam, in singulis versibus, quam praeclarum est hoc, quam divinum! exclamant, atque modo ornans epitheton, modo pulchram imaginem,

modo egregiam comparationem, singula velut digito ostendentes, interpretis elegantioris munere praeclare sese putant defunctos. Atqui nemo fere tam est infans, quin haec sponte sentiat, quamquam cur quaevis pulchra sint, et quam vel a sua natura vel a scriptoris consilio aut quem in ceteris tenent loco, habeant praestantiam, paucissimi omnino intelligunt.

Neque ego sane velim pueri sensum magistri ad omnia sibi praeeuntis regi judicio. Quare nil equidem ejus verbis credat neque fide ducatur, sed ratione. Quod malum cavere non erit discipuli, verum praeceptoris. Qui quotiescunque viderit, illum ab se tentatum loci cujusdam minus adsequi vel artificium vel pulchritudinem, nolit antevertere ejus sive judicium sive aetatem, memor talia minime esse ediscenda, verum cum sentienda tum intelligenda. In illis autem ipsis, quibus ferendis eum parem esse animadvertat, saepius illi se comitem quam ducem offerat: id est, suum de rebus premens judicium, alteri quid et quare sic videatur, exquirat, atque etiam aberrantem apte interrogando ita in viam reducat, ut ille, quidquid profecerit, non didicisse, verum invenisse sibi videatur. Neque isthanc ego invideam laudem, qua nihil magis valet cum ad incendendum studium tum ad intentionis vim acuendam. Quo pacto vero singulorum luminum vel verorum sit virtus explicanda, vel falsorum excutienda inanitas, quoniam in parte superiori quam plurimis ostendimus, certe ostendere connisi sumus exemplis, hoc loco dicendum non puto. Judicium autem vel sit simplex, modo plenum et adcuratum, vel contineatur scriptorum aliorum cum aliis comparatione. Igitur puer velim discat in iisdem caussis modo Lucanum Ovidiumque e Virgilio, modo Virgilium emendare ex Homero: jam inter plures dispiciat, qui laudabilius, jam qui deterius eamdem rem dixerit: modo expendat, quae caussa eadem dicente in alio sit ad reprehensionem, in

alio vel ad laudem vel ad excusationem. Quae res tanto erit fructuosior ad judicium, quanto et expeditior est et luculentior cum virtutum tum vitiorum in contrariis exemplis quam per se intelligentia. Neque inutile fuerit, interdum magistrum explorantem discipuli profectum, deterioris caussae patrocinium simulare, et aut quae probet, rationibus impugnare, aut defendere ea quae recte minime defendi posse ipse intelligat. Ita demum satis clarum fiet, quantum ille suis opibus valeat, quae vel audita leviter adripuerit, vel penitus hausta perspectaque in rem suam converterit. Denique et illud suadeam, ut saepius hunc in modum exercitatus, subinde omnem suam de loco aliquo insigniore sententiam signet stilo, et quid qua de causa sibi videatur, adcurate et copiose perscribat. Quo genere exercitationis cum ad omnem in litteris profectum nihil sit utilius, tum praecipue in hac causa fieri melius nihil potest. Nam quae sermone tantum disserimus, ea neque ordine satis et verbis interdum minime aptis explicamus, unde facile existit rerum notionumque confusio aut permutatio, judicii vel elegantiae vel subtilitati plurimum obfutura. Quae autem scribimus, ea et per se ponderamus diligentius, propterea quod impensius displicet litteris mandata quam praetervolans aurem disputandi futilitas, et quia ratione saltem dicendum est, ipsa mentis varia agitatione cum ad disserendi acumen acquirimus, tum ad perspicuitatem.

Ita vero habitus institutusque adolescens antequam animum ipse ad scribendum adpellat, expetat hominum elegantiorum politiorumque consuetudinem, quorum frequenti usu et conversatione eorum, quae discens legensque adhuc perceperit, partem certe firmabit atque perficiet illam, quae elegantiam, urbanitatem sollicitumque magis cum sententiarum tum verborum spectat dilectum. Quanquam enim haud ignorem, sanae eloquentiae et naturalis pulchritudinis arbitros in illa ho-

minum classe vulgo minime esse quaerendos, multosque ibi inepte ingeniosos et falso acumine delectari, et pro luminibus venditare ea, quae sapiens nemo vellet dixisse, nemo dicta probaret, tamen, ut puto, illud negari non potest, ab istis quos dicimus hominum utriusque sexus ingenuorum circulis omnem abesse sermonis rusticitatem, illosque, quidquid in rebus aut verbis humile, sordidum, abjectum plebejumque est, summo studio cavere atque aversari. Atqui sine isthac laute, urbane eleganterque dicendi cura nemo unquam scriptor opus ullum commendabit aeternitati. Et quanquam haec res non magis ad istam de luminibus praeceptionem, quam omnino ad styli elegantiam atque venustatem pertinet, tamen quia vel verbum parum diligenter lectum permultum uniuscujusqne luminis deteret splendori, eo minus hoc loco nobis visa est praetermittenda, quod et praeter ceteros auctores ea maxime indigent admonitione poetae, atque plurima pars juvenum illorum, qui ex academiis reversi statim ad scribenda carmina accedunt, ab hac parte in maximam incurrunt reprehensionem. Quod inprimis valet de Germanorum poetis, in quibus quos hominum venustiorum lectioni commendes, praeter Gessnerum et Wielandum paucos forte reperias, cum contra eorum plurimi in sordida plebejaque dictorum licentia ingenii videantur laudem quaerere. Atque ut capite censos nullaque alia re commendabiles praeteream, duos modo nominabo, quorum alter in suo genere parem non habet, alter praeclara quaevis et egregia minatur, Bürgerum atque Blumauerum. Quorum prior in carmine satis cetera faceto haec habet, elegantiori, ut opinor, nemini placitura:

Bedenk' er 'mal! wie schön das ist!
Verleger, wohlgezogen,
Bezalen oft, zu dieser Frist,
Mit Louisd'or den Bogen.

Wächst nun im zehnten sauern Jahr
Zehn-Bogen stark sein Bändchen,
So schnappt er ja an Trankgeld baar
Zehn Blinde, ohne Rändchen.

Und das ist doch kein Katzendreck,
Wofür man sich kasteiet.
Es kömmt ja kein gebratner Speck
Umsonst in's Maul geschneiet.

Alter in primo statim carmine ita adloquens Musam parum suae apud lectores quosvis fastidiosos consuluit existimationi:

Wer, Muse, dein göttliches Angesicht sieht,
Dem lodert's im Busen, dem zittert und glüht
Im Auge die brünstige Seele;
In dreymal gedoppelten Schlägen geht hoch
Das Herz ihm, pocht höher und mächtiger noch
Und pochet hinan bis zur Kehle.

In quibus illa cordis ad guttura subsilientis non ridicula modo, sed parum delicata mihi videtur mentio. Aliquanto turpius lapsus est idem, ubi sequentes ex Aeneidos libro secundo versus

Hic primum ex alto delubri culmine telis
Nostrorum obruimur oriturque miserrima caedes,
Armorum facie et Grajarum errore jubarum,

ludicra sic reddidit imitatione:

Wir packten zwar, als wie ein Hund,
Der Mäus' und Ratten beutelt,
Allein das Kniffchen ward zur Stund
Uns jämmerlich vereitelt;
Denn mancher volle Kammertopf
Flog uns als Griechen auf den Kopf;
Das stank ganz bestialisch.

Equidem minime ignoro, magna esse hujus generis licentiam: quae tamen non eo valet, ut talia dicantur, quae festiva nemo nisi plebecula judicet et in quibus ingenuum quemvis nauseare fuerit necesse. Ab hujuscemodi autem dictorum foeditate diligentius sibi poetae

caverent, si et mores et orationem saepius hominum venustiorum polirent consuetudine, atque omnino tenerent illud, quod est sine dubio verissimum, nemini neque poetae neque ullius generis auctori quidquam esse scribendum, quod in ullo eorum quos diximus hominum coetu recitasse pudori fuerit.

Atque his tandem omnibus, uti praecepimus, ita diligenter peractis, illud unum denique commendabimus scripturo, ut ea quae didicerat fideliter tenens neque ab suomet ipse sensu unquam desciscat, neque vanae cujusdam instabilisque gloriolae cupidine illectus pro vera pulchritudine inanem ejus speciem atque umbram sectetur. Neque profecto ingenii firmam manentemque laudem atque famam quaerentem oportet aut de multitudinis judicio laborare, aut quid sit placiturum quam plurimis, diligenter secum perpendere. Est autem sine dubio animi cujusdam magni, non eodem, qui cetera rapit, impetu auferri, atque ultro aversari omnem laudem facile quidem sed non vera via neque laudabili ratione obtinendam. Tam enim diligens est et studiosa sui uniuscujusque natura, ut quae in aliis contemnimus, cum iis in gratiam facillime redeamus, simulatque nobis ad opes, gloriam atque honorem conducere intelligamus, perinde ac si istarum rerum non ab sua natura, sed ab eorum qui faciunt respectu proficisci deberet existimatio. A qua labe quo certius sit cautum nostro, saepius velim hoc cogitet, quam sit aspernabilis atque minime expetenda eorum laus, quorum contemnas singulorum judicia, quantaque sapientum jactura stultorum suffragia captentur. Ergo scribens sibi ob oculos ponat et optimum quemque suae aetatis virum atque ex omni posteritate illos, quibus placuisse inprimis sit honorificum: hacque corona rem agat, hos judices ille intueatur, palmam omnem recusans nisi istorum consensu sibi delatam.

Quod si tandem sese videat, quamvis hoc minime

agentem, tamen multitudinis judicio probari, eo magis firmandus erit animus, ne forte in hujus laudis possessione sibi nimium placens ejusque tuendae cupidus sensim a vera via deflectat. Quapropter erit necesse, ut tanto diligentius ad se attendat, penitusque sese pertentet, num forte propter ea placuerit, ob quae multo sibi melius fuerit reprehendi. Atque tametsi optime sibi per omnia conscius, tamen neque sic nimium gaudeat populari fama, qua nihil est inconstantius, ut forte loco pulsus a deteriore et leniter hoc ferat, neque ejus recuperandi caussa quidquam faciat, quod parum se dignum videatur. Quae profecto res satis urgeri non potest, quoniam ab hac parte maxima humanae naturae est imbecillitas, multosque parum tempestive sibi plaudentium studia ita perdiderunt, ut ex bonis atque probabilibus facile pessimi redderentur. Neque enim incensum semel gloriae studium aut modo ullo aut fine potest contineri, sed temere evagatur: eoque animus obsessus ultra vires se jactat, et quae ut bona vidit probari, dum studet emendare atque in majus attollere, penitus corrumpit. Etenim in hoc saepe viri simillimi sumus infantum, qui dum nos vident eorum alicui dicto arridere, idem toties repetunt atque in omnem partem versum tam saepe ingeminant, donec tacere jussi multo minus placuerint festivitate quam displicuerint garrula ineptaque adfectatione. Ita ego plures vidi scriptores ingenio praestantes, quos ita infatuasset multitudinis admiratio, ut jam propemodum senes viderentur repuerascere, atque in illis ipsis maxime essent inepti, ob quae fortasse primum non vitiosa erant laudati.

Verum hujus etiam pestis immunem ab alia non minus illa perniciosa jubebo sibi quam diligentissime cavere: qua nempe nonnulli correpti, cum toti et singulares et sui alteri nemini quidquam videri volunt debere, per omnia et nova et inaudita nullique ante se dicta summo studio sectantur. Qui si reputarent, esse ali-

quid inter servum aliorum imitatorem eumque, qui cum optimo quoque eosdem veri pulchrique adeat fontes, atque unam omnino esse ad veram certamque ingenii laudem viam, summorum omnis aetatis scriptorum vestigiis tritam, non illi per avia flexusque hoc peterent, quod in promptu positum, quo magis in itinere instituto procedunt, eo longius post se relinquunt. Ea fere corruptae vel in populis vel in singulis hominibus eloquentiae sunt initia: dum veterum pertaesi, nova expetunt, minime quidem intelligentes, in eloquentia neque vetera esse neque alia nova, verumque et rectum elegantiae atque pulchritudinis omnis judicium antiquari non posse. Horum igitur vestigia nostrum terreant, cum viderit, temporariae cujusdam gloriolae fructum sanioris posteritatis pensandum esse contemtu.

Ipse autem sese minime metiatur illorum comparatione, quos et frequentissime legi et a plurimis suspici omniumque sermone celebrari audiverit, quin potius cum illis sese gaudeat conferre, quibus omnis sapientia doctrinaque cultior aetas per tot saecula in his litteris detulit principatum. Cum his magis sibi ducat gloriosum contemni, quam cum aliis laudari, atque constanter ita sibi persuadeat, se, quanto magis ab horum recesserit similitudine, tanto magis a vera gloria distare.

SCHOLAE
PHILOLOGICAE.



I.

DE

PYTHAGORA OVIDIANO.

Metam. L. XV. vs. 60 — 478.



P. I.

Quum praeclare habeat permulta Ovidii carmen illud, quod dicitur Metamorphoseon, tum equidem maxime delector iis, quibus aliquam certe doctrinae Pythagoricae partem fuit amplexus. Etenim poetam argumentum perquam grave versibus sic exornasse reperio, ut rerum dignitatem ac pondus oratione penitus sit adsecutus. Atque, quod merito mireris, non modo hic habet illa, quibus semper abundat, admirabilem scilicet ingenii ubertatem, summam elegantiam ac suavitatem, tantum denique cum sententiarum tum numerorum facilitatem, ut sponte quaevis nata, non quaesita neque arte composita videantur, tum et vitiis caret illis, quibus pulcherrimum opus permultis sane locis infectum esse constat. Nam inde a v. 60. usque ad 272. quae pars est hujus loci praecipua, legens nec, qualem fere semper, opibus praeter modum luxuriantem, nec, quem saepius, inepte ingeniosum aut pueriliter ludentem deprehendo, sed castigatum, sed sobrium, eum denique, in quo plurima admiranda, paucissima reprehendenda videantur. Quod sive fortuna quadam accidit, sive argumenti gravitate ingenii luxuriem coercente, ego certe hunc locum inter illos refero, quos in Ovidio et lego frequentius, et impensius admiror. Quumque publice scribendi officium ad me rediisset, rem auditoribus nostris haud inutilem me facturum sum arbitratus, si de hoc ipso paullo plenius disseruissem, poetaeque cum doctrinam tum ingenium declarassem.

Erit autem haec disputatio tripartita. Ac prima quidem pars circa operis materiam versabitur ita, ut, quid ex vetere de Pythagora vel historia vel traditione poeta hauserit, collatis scriptorum locis ostendamus. Deinde, quo modo ejus ingenium hoc omne tractaverit atque exornaverit, secunda parte exponetur. Tertia denique loca quaedam corrupta ac depravata restituere in integrum conabimur.

Primum omnium illud quaeri possit, qua caussa permotus Ovidius Pythagoram eo potissimum loco doctrinam suam induxerit exponentem. Atque hoc quidem, opinor, clarum est, illum, quum res in varia corpora transformatas caneret, nobilem illam philosophi Samii μετεμψυχωσιν, vel verius μετενσωματωσιν praeterire vix potuisse, eo minus autem voluisse, quod hoc argumentum omnino pulcerrimum erat, in quo ostentare vim ingenii posset. Cur vero hoc potius quam alio omni loco illud interserendum putarit, ego ne quaerendum quidem existimarem, nisi quaesitum esset a Banierio et Warburtono, viris doctissimis. Quorum ille quidem hanc rationem adfert, ut dicat, poetam, absoluta rerum transformatione historica, alteram illam, videlicet physicam, subjungere constituisse, quae Pythagorae verbis Crotonensibus explicaretur *). Quae causa quam sit inanis atque falsa, non est necesse ut dicam, cum partim per se pateat, partim poetam, expositis doctrinae Pythagoricae praeceptis, mox ad historica reverti, jam recte fuerit observatum a Warburtono. Neque vero hic, quamvis subtilius de eadem re disputans, mihi ullo modo persuadet, vera esse quae dicit: μεταμορφωσιν atque μετεμψυχωσιν veterum religione ita ab se differre existimatas esse, ut altera in vita, altera post mortem homines scelerum atque impietatis poenas luere puta-

*) Les Metamorphoses d' Ovide avec des remarques et des explications historiques. Tom. III.

rentur: Ovidium autem in conscribendo Metamorphoseon carmine hoc egisse, ut plenam quamdam divinae providentiae justam sceleri poenam irrogantis velut historiam ordine contexeret. Quod ut sapientes intelligerent, sub finem operis Pythagoram induxisse, doctrinam de animorum in alia corpora migratione exponentem, quo, facta videlicet poenarum post mortem divinarum ista commemoratione, clarum fieret, ea, quae de mutatis corporibus hactenus docuisset, ad eundem finem esse referenda. *) Quae certe subtilius dicuntur; quam verius. Ut igitur alia omnia taceam, vel hoc uno satis ista opinio convellitur, quod ingens est fabularum hisce libris enarratarum multitudo, quae nulla profecto ratione ad hoc, quod ille putat, divinae providentiae impietatem plectentis consilium trahi possint. Quod, qui semel hoc carmen legit, ita verum esse statim intelliget, ut exempla demum proferre prorsus supervacaneum putem. Quid autem opus est tanta tamque artificiosa machinatione? Mihi quidem plane persuasum est, Ovidium in hac re nullum neque majus neque altius consilium agitasse animo, quam ut operis materiam seligeret eam, quam suo ingenio prae caeteris unam maxime adcommodatam esse sentiret. Atque sic mecum, opinor, existimabunt omnes, qui Ovidii indolem penitus perspexerunt. Nullum enim profecto argumentum excogitari possit, quod illum ingenii lusum, illa antitheta, acumina, argutias quoque, omnia nostro tam familiaria, aeque ferat, atque continua illa rerum miracula ac portentosae corporum transformationes. Hoc autem semel constituto, ut corporum in novas formas mutationem caneret, isthoc de animorum migratione commentum, ut supra diximus, omittere nec facile poterat, neque sane volebat. Ad eamque rem transiit

*) Wilhelm Warburtons göttliche Sendung Mosis etc. Tom. I. p. 531 — 537.

injecta Crotonis, in qua urbe commoratus esset Pythagoras, mentione *). Atque hoc nimirum uno vinculo isthaec carminis pulcherrima pars e caeteris apta nexaque est, ut minime necesse sit, de subtiliore quadam atque artificiosa connexione cogitare. In quo nec aliter egit Ovidius ac solet, permagnam fabularum partem sic nectens, ut e tenuissimo velut filo suspensae satis interdum male sese sustineant. Proinde ego prorsus nullo modo intelligo, quid in hoc carmine viderint, qui eam rerum farraginem tanquam congruentem undique summoque artificio compositam coagmentationem tantopere sunt admirati.

Verum haec, ut parum ad instituti nostri rationem pertinentia, mittamus. Illud jam videbimus, quaenam rerum in isthoc de Pythagora loco prolatarum vestigia in vetere cum historia tum traditione deprehendantur. Quo in negotio non hoc nobis sumimus, ut plenam de Pythagora ejusque praeceptis critica diligentia narrationem contexamus, quod cum ab aliis, tum inprimis novissime praestitum est a Meinersio ac Tiedemanno, clarissimis viris **). Nostra quidem omnis opera in hoc potissimum versabitur, ut partim poetae doctrinam declaremus, partim singulorum locorum sensum, collatis scriptorum testimoniis locisque similibus, uberius explicemus.

Ante omnia illud satis constat, Pythagoram, relicta Samo, Crotona magnae Graeciae urbem petivisse ***). De anno vel tempore adventus quaeritur. Verisimil-

*) vs. 55 seqq.

**) Geschichte des Ursprungs, Fortgangs und Verfalls der Wissenschaften in Griechenland und Rom, von Christoph Meiners etc. Tom. I. — Griechenlands erste Philosophen, oder Leben und Systeme des Orpheus, Pherecydes, Thales und Pythagoras, von Dieterich Tiedemann etc.

***) JUSTIN. XX. 4. DIOG. LAERT. VIII. 3. JAMBLICH. de vita Pyth. 29.

lima autem est ratio eorum, qui illum putant circa Olympiada LX. in Italiam venisse. Livius quidem jam Servio Tullio regnante Romae, circa Metapontum Heracleamque et Crotona juvenum aemulantium studia coetus habuisse tradit *). A quo paullulum dissentit Cicero, ejus in illas regiones adventum ad Tarquinii demum Superbi tempus referens **), quem viri docti probabiliter putant regnasse post Olympiada LX. ***) Atqui hac ipsa Olympiade inclaruisse Pythagoram, auctor est Diogenes Laertius †). Inclaruit autem maxime, ex quo in Italia sedem fixisset. Unde illum postremis Servii Tullii annis illuc migrasse, probabili conjectura efficitur. Hanc quidem rationem deseruit Ovidius, aliamque secutus est, nullo alio fundamento praeterquam vulgari sermone ac traditione nixam: quod nec inscitia, sed consilio factum est, ut suo loco pluribus a nobis ostendetur. Migrationis autem illius caussam scriptores aliam alii tradunt. Noster illam amplexus est, quae esset philosopho tali, qualem fuisse Pythagoram constat, dignissima utique: in eoque consentientes habet auctores cum alios plurimos, tum gravissimum inprimis testem Aristoxenum, qui illum in Italiam abivisse, quod Polycratis dominationem acerbiorem, nec jam ferendam homini ingenuo esse videret, apud Porphyrium testatur ††). Quanta autem

*) L. I. c. 18.

**) Tusc. qu. I. c. 16.

***) Anno quarto Ol. LXI. imperii potitum tradit DION. HALIC. Ant. Rom. L. IV. qui quidem Pythagorae in Italiam adventum multis annis antiquiorem facit, quandoquidem illum post Ol. L. in Italia docuisse L. II. tradit.

†) VIII. 45.

††) DIOG. LAERT. VIII. 3. — PLUTARCH. de placit. philos. I. 3. in fine. — PORPHYR. de vita Pythag. 9. Alias caussas refert JAMBLICH. 28. qui interea Pythagoram juvenem

hujus viri cum apud Crotonenses, tum per omnem Italiam fuerit admiratio, e Cicerone et Justino licet intelligere, quorum ille multa post secula sic ait viguisse Pythagoreorum nomen, ut nulli alii docti viderentur, alter eum disputationum assiduitate hoc consecutum narrat, ut matronae auratas vestes, caeteraque dignitatis suae ornamenta, velut instrumenta luxuriae deponerent, eaque omnia delata in Junonis aedem, ipsi deae consecrarent, prae se ferentes, vera ornamenta matronarum pudicitiam, non vestes esse; additque, quum postea Metaponti decessisset, ex ejus domo templum factum, ipsumque pro Deo cultum esse. *) Quin etiam in urbe Roma insignem huic philosopho honorem fuisse habitum, illud vel inprimis magnum est documentum, quod tanquam sapientissimo Graecorum statuam illi in cornibus comitii celebri loco positam, auctor est Plinius, **) Plutarchus vero et hoc, praetereaque illud tradit ex Epicharmo, Romanorum illum civitati adscriptum fuisse, ***) ut nullum profecto sit dubium, quin isthac carminis Ovidiani parte Romani mirifice fuerint oblectati.

In tanta igitur hujus philosophi admiratione, multa partim singularia, partim etiam inepta et a fide prorsus abhorrentia de illo antiquitatem vulgasse, nemini certe mirum aut inexpectatum videri debet. Quis enim fuit omnium gentium atque aetatum vir magna nominis celebritate, cui non magis aut minus hoc accidisse

---

adhuc Polycratis tyrannidem animo prospicientem, noctu clam omnibus ad Pherecydem, Anaximandrum, ac denique Miletum ad Thaletem trajecisse, in ejus vita 11. narrat. Cf. APULEJUS Floridor. L. II. sub fin. Neque tamen ipse Iamblichus alteram illam opinionem ignoravit. Cf. Id. 88.

*) CICERO Tusc. quaest. I. 16. — IUSTIN. XX. 4.

**) Natur. hist. L. XXXIV. c. 6.

***) In vita Numae.

reperiamus. Pythagorae quidem ita accidit, ut tot res tam absurdae, quot qualesque nescio an ullo alio de homine, memoriae sint proditae. Caetera omittemus, illud uberius explicandum videtur, quod de *coetu silentum dictaque mirantum* paucis attigit Ovidius.

Videlicet inter alia multa, virtutis, ingenii, atque morum experimenta, quae a discipulis Pythagoras, antequam suorum coetui adscriberentur, ceperit, illud etiam fuisse narrant, ut illis plurium annorum silentium, quod ἐχεμυθίαν nomine dicebant, imperaret. Quod quale fuerit, aut quo spectaverit, parum inter se viri docti consentiunt. Atque adeo fuerunt, qui, rem absurdissimam commentu, trium vel quinque etiam annorum spatio continuo, his, qui illa tacendi lege obligarentur, ne ullum quidem, ullo vel tempore vel loco, verbum eloqui licuisse existimarent. Additur alia haud sane verisimilior fabula illa eorum, qui dicunt, intra hoc omne tempus Pythagoram, cum doceret, praepanso velo obtectum, se audiendum modo discipulis, neque vero videndum praebuisse. *). Haec et similia plura ab iis, qui res singulares atque mirandas de tanto viro circumferre ac memoria prodere gestirent, partim conficta esse, partim corrupta atque immutata, quis dubitaverit? Eaque res, ut in scriptore historico summae levitatis merito censetur esse, sic in poeta non excusationem modo, verum et laudem meretur, e cujus re erat, ea seligere, quae non verosimillima essent, sed maximam haberent admirationem. Quod ipsum tamen minime ita dico, quasi omnem de isthoc silentio Pythagorico mentionem confictam esse, aut nihil habere existimarem, unde nata videri possit. Hoc autem quale fuerit, aut quod consilium habuerit, in hac scriptorum partim novitate, partim inconstantia et dis-

*) DIOG. LAERT. VIII. 10. IAMBLICH. 72.

sensu statuere, nimirum est difficilius. *) Ego quidem ut simplicissimam ejus rei, ita proximam vero interpretationem illam esse existimem, ut dicamus, Pythagoram intelligentem, quantopere doctrinae atque scientiae incrementis obesset hominum imperitorum intempestiva curiositas, discipulis, quoad disciplinae tirocinia posuissent, omnem de rebus dubiis et obscuris quaerendi disceptandique facultatem negasse. Quam rationem si teneamus, videbimus quidem, illam nescio quorum mysteriorum velut nubem, qua isthaec silentia antiquitas obvolverat, illico dissipari, sed ita, ut tanto major augustiorque philosophi species adpareat. Aut quis hoc potius reprehenderit, quam laudaverit, si Pythagoras, disciplinarum fere omnium rudimenta fide potius quam persuasione constare expertus, rerum, quae nec intelligi ab imperitis possent, rationem minime reddendam, neque evellendis, qui paullo post sponte exciderent, scrupulis tempus frustra terendum arbitraretur? Has autem similesque hujus silentii caussas fuisse, e loco de ea re classico apud Gellium partim intelligere licet, partim ibidem claris verbis a Tauro philosopho dicitur. **) Primum enim *ἐχεμυθιάν* illam

---

*) *Μετα δε τουτο*, inquit Iamblich. 72. *τοις προσιουσι προσεταττε σιωπην πενταετη, ἀποπειρωμενος, πως ἐγκρατως ἐχουσιν, ὡς χαλεπωτερον των ἀλλων ἐγκρατευματων τουτο, το γλωσσης κρατειν.* — Conf. Rittershusii notas in Porphyr. pag. 20.

**) Jam a principio (Pythagoras) adolescentes, qui sese ad discendum obtulerant, *ἐφυσιογνωμονει*. Id verbum significat, mores naturasque hominum conjectatione quadam de oris et vultus ingenio deque totius corporis filo atque habitu sciscitari. — (*An haec forte post Graecum vocabulum omnia sunt glossatoris?*) — Tum, qui exploratus ab eo, idoneusque fuerat, recipi in disciplinam statim jubebat, et certum tempus tacere; non omnes idem, sed alios aliud tempus, pro aestimato captu sollertiae. Is autem, qui tacebat, quae dicebantur ab aliis audiebat; neque percunctari, si parum intellexerat, neque commentari, quae audierat, fas erat. Sed non minus

non alias res praeter litterarum disciplinam ac philosophiae institutionem spectasse, eo significatur, quod ibi dicitur Pythagoras non omnibus idem, sed aliis aliud tacendi tempus pro aestimato captu sollertiae praescripsisse. Nempe qui ingenio plus valebant, iis, quod citius in sapientiae studio profecissent, maturius quoque suam de rebus sententiam promendi facultatem concedi, erat aequissimum. Quod si contra, ut alii existimant, ipsa per se tacendi virtus spectata fuisset, ea non ex ingenio, sed ex aliis rebus utique erat judicanda. Sed ne dubitemus, etiam hoc additur, ei, qui taceret, modo audire, neque percunctari, si parum intellexisset, neque commentari, quae audivisset, licuisse. Atque haec quidem Taurus dicit, novus sane auctor, sed qui ab antiquis habuisse potest, et philosophus.

Idem prorsus judicandum puto de nobili illa formula *αὐτος ἐφα*, ad quam sine dubio respexit noster, cum Pythagorae discipulos coetum *dicta mirantum* adpellaret. Quam quidem formulam et veteres et recentiores multi ita intellexerunt, quasi una magistri auctoritas apud discipulos in omni re etiam sine ratione valuisset. *) Quod si de omnibus sine discrimine dicitur, est sine dubio falsissimum: si de illis tantum, qui, ingenio nondum subacto, ad interioris disciplinae praeceptionem demum praeparandi informandique erant,

quisquam tacuit, quam biennium. Hi prorsus appellabantur intra tempus tacendi audiendique ἀκουστικοί. Ast ubi res didicerant rerum omnium difficillimas, tacere audireque, (legendum puto: "ast ubi rem didicerant omnium difficillimam eet. quo fere modo Iamblichus l. c.) atque jam esse coeperant silentio eruditi, cui erat nomen ἐχεμυθία; tum verba facere et quaerere, quaeque audissent scribere, et quae ipsi opinarentur expromere potestas erat. *A. Gellii noct. Att.* I. 9.

*) CICERO de nat. Deor. I. 5. VALERIUS MAX. VIII. 16.

nihil profecto habet, quod vel summi philosophi sapientia indignum videri possit. Atqui Pythagoram non omnes discipulos eodem modo habuisse, eorumque solum, qui silerent, ideoque sive ἀκουστικοι sive ἀκουσματικοι dicebantur, praeceptionem historicam, caeterorum philosophicam fuisse, cum aliunde, tum inprimis ex Porphyrio liquet. *) Cumque Acusmaticos illos plerumque non ipsius Pythagorae, sed discipulorum illorum, qui adcuratius eruditi Mathematicorum nomine erant insignes, institutione usos esse, liceat conjicere ex Jamblicho, **) mihi certe verosimillimum videtur, illud αὐτος ἐφα ab his ipsis fuisse usurpatum, quoties illi rerum sibi traditarum rationes intempestive requirerent. ***) In quo nihil, opinor, inest, quod merito quemquam offendere, aut, quod Ciceroni accidit, in illam adducere possit opinionem, quasi Pythagoras veri indagandi laudabile studium in suis coercere ac deprimere, eosve, qui de rebus ipsi judicare potuissent, suae auctoritati adstringere voluisset.

Verum haec hactenus rite praefati novum studiorum cursum indicimus, quem utinam Deus O. M. nobis omnibus faustum laetumque exoriri jubeat! — Caetera singulis occasionibus deinceps persequemur.

---

*) Διττον ἠν αὐτου της διδασκαλιας το σχημα. Και των προσιοντων οἱ μεν ἐκαλουντο μαθηματικοι, οἱ δε ἀκουσματικοι. Και μαθηματικοι μεν, οἱ τον περιττοτερον και προς ἀκριβειαν διαπεπονημενον της ἐπιστημης λογον ἐκμεμαθηκοτες. Ἀκουσματικοι δ᾽, οἱ μονας τας κεφαλαιωδεις ὑποθηκας των γραμματων ἀνευ ἀκριβεστερας διηγησεως ἀκηκοοτες. PORPHYR. 37. cf. IAMBLICH. 82.

**) 80. 81. Adde Suidam in v. Pythag. Ed. Kust. Tom. III. pag. 236.

***) Idem prorsus super hac re sentit Tiedemannus p. 292.

P. II.

Primus, quem noster e philosophia Pythagorica tractavit, locus est de abstinentia ab animalium carne. De qua re, cum diversae omnino sint veterum recentiorumque scriptorum sententiae, *) nos quidem non dicemus universe, illa modo evestigantes sive hujus narrationis capita, sive antiquorum auctorum loca, e quibus in hac parte exornanda profecisse videri potest Ovidius. Equidem, ut illum in universa isthac Pythagorae oratione diversorum, qui temporis injuria perierunt, cum solutae tum ligatae orationis scriptorum vestigia secutum existimem, maxime inducor locorum quorumdam similitudine, quae illum partim expressisse imitando, partim etiam convertisse animadverto. Proximis quidem versibus, quibus alimentorum, praeter animalium carnem, et copiam et varietatem exponit, illum scriptoris cujusquam ante se verba spectasse, nihil credere jubet, nisi quis forte Plutarchi quemdam huic non dissimilem locum in eam nos suspicionem adducere posse arbitretur. **) De quo utcunque sentiendum videatur, nos certe utriusque verba contentionis caussa proferemus. Ovidii quidem versus puto illos:

Parcite, mortales, dapibus temerare nefandis
Corpora. Sunt fruges: sunt deducentia ramos

*) Loca veterum scriptorum, et eorum, qui dicunt, et eorum, qui negant Pythagoram a vescenda animalium carne suos abstinere voluisse, adcurate recensent *Meinersius Gesch. der Wissensch.* etc. T. I. pag. 419 seqq. atque *Tiedemannus Griechenl. erste Philos.* pag. 510 seq.

**) *De vsu carnium oratio I.*

Pondere poma suo, tumidaeque in vitibus uvae:
Sunt herbae dulces: sunt, quae mitescere flamma,
Mollirique queant. Nec vobis lacteus humor
Eripitur, nec mella thymi redolentia florem.
Prodiga divitias, alimentaque mitia tellus
Suggerit, atque epulas sine caede et sanguine praebet.
Carne ferae sedant jejunia: nec tamen omnes.
Quippe equus, et pecudes, armentaque gramine vivunt.
At quibus ingenium est immansuetumque ferumque
Armeniae tigres, iracundique leones,
Cumque lupis ursi, dapibus cum sanguine gaudent.

Jam Plutarchi verba e Gulielmi Xylandri versione sic habent. „Quam multa vobis nascuntur! quam locu-„ples vobis rerum vindemia! quantum e campis divi-„tiarum, quantas e stirpibus voluptates percipitis! ita „quidem, ut potiri illis et luxuriare vobis absque ulla „pollutione detur.“ Idemque post paulo: „Vos autem „quo modo nunc rabies quaedam et oestrus agit ad cae-„des sceleratas, in tanta rerum necessariarum abun-„dantia? Cur terram mendacio gravatis, tanquam quae „alere vos nequeat? Cur legiferam Cererem impie of-„fenditis, cur mansuetum atque mitem hac contume-„lia adficitis Liberum, ut non satis vos ab illis accipere „prae vobis geratis? Non pudet mites fructus cum san-„guine et caede miscere? Dracones, pantheras, leones „dum saevitiae adcusatis, ipsi interim improbis caedi-„bus eorum feritati nihil ceditis.“ Eam igitur in utroque sententiarum adfinitatem si quis casu natam existimet, equidem nihil pugnabo: si cui secus videatur, facile quidem a me impetrabit, ut, quoniam Plutarchum ad nostri versus respexisse ob Romani sermonis inscitiam verisimile non est, utrumque sua putem ex veterum Pythagoreorum iisdem reliquiis hausisse. Habet et illud praeter alia commune cum Plutarcho Ovidius, quod animalium domesticorum utiliumque carne

vescendi consuetudinem a ferarum noxiarum caede necessaria derivat.

Primaque e caede ferarum
Incaluisse putem maculatum sanguine ferrum.

Eodem modo, quamvis aliud agens, Plutarchus, *) „Sic ab initio, inquit, ferum aliquod et noxium ani„mal devoratum fuit: deinde avis aliqua aut piscis, do„nec in his condocefacta et gustui adsueta libido ad bo„vem operarium progressa est, et ovem quae nos or„nat, custodemque domus gallum." Verum haec ut et leviora et non satis certa mittamus.

Neque illud porro facile dixerim, utrum in sequentibus,

Nec satis est, quod tale nefas committitur: ipsos
Inscripsere Deos sceleri: numenque supernum
Caede laboriferi credunt gaudere juvenci.

in hisce igitur utrum Ovidius fortasse respexerit ad illos auctores, qui negant Pythagoram animalium ulla sacrificia Diis obtulisse. Qua quidem in opinione, alia referentibus aliis, nonnullos fuisse, vel ex Jamblicho patet. Is enim scribit, Pythagoram et discipulis illis, qui in contemplatione maxime versarentur, i. e. ut opinor, qui disciplinae suae arcanis essent initiati, iis igitur extitisse auctorem, ne vel animalibus vescerentur, vel Diis hostias immolarent; ipsum vero et a carne omnino abstinuisse, et Deorum Numina ad aras sanguine numquam adspersas veneratum esse. **) Isthuc igitur

*) Ibid. orat. post.

**) 107. 108 et 150. Cf. SEXT. EMPIRIC. *advers. Phys.* IX. 128. et DIOG. LAERT. VIII. 13. Qui illum *aram tantum Delii Apollinis, cui frumentum et placentas, sine victima offerri mos esset, coluisse*, ex *Aristotele* narrat. Unde nescio, an fallantur, qui Pythagoram discipulos suos a vescendis carnibus abstinere minime voluisse, ejusdem Aristotelis apud Gellium usi auctoritate, contendunt. v. *Meiners.* l. c. p. 422.

illam perversi moris reprehensionem referendam esse, mihi quidem verosimillimum videtur.

De qua quidem re aliquanto facilius foret judicium, si Aristotelis non modo verba, quae ex Plutarcho Gellius laudat, sed locum ipsum in contextu haberemus. Atque fortasse, quae Aristoteles de Pythagoreorum illa classe, quae erat *Acusmaticorum*, dixerat, ea sive Plutarchus, sive Gellius perperam traxit ad universos. Verba autem ipsa apud Gellium sic habent. *Ἀριστοτελης δε μητρας, και καρδιας, και ἀκαληφης και τοιουτων ἀλλων ἀπεχεσθαι φησι τους πυθαγορικους, χρησθαι δε τοις ἀλλοις.* Eadem fere de *Acusmaticis* tradit IAMBLICHUS 109. Cf. 150. Neque est, quod quemquam vox illa turbet *πυθαγορικους*, qua *Esotericos* illos Pythagorae discipulos significari opinantur nonnulli, inducti videlicet veteris ad *Theocriti Eidyll.* XIV. commentatoris loco, cujus auctoritas tanti non est. Illud me multo magis movet, quod minime videtur cruentas dapes probare, aut suis sine discrimine omnibus concedere potuisse is, qui ab omni animalium sacrificio abhorruerit. Itaque labefactatur sane hac re ejus loci auctoritas, quem in potissimis habere solent, qui animalium carnibus vescendi licentiam Pythagoreis vindicant. Alter est *Aristoxeni* apud eundem Gellium: qui Pythagoram ipsum porculis hoedisque tenerioribus victitasse tradidit. Cf. DIOG. LAERT. VIII. 20. et ATHENAEUS L. X. p. 418. fere ima. Ejus testimonium certe minime ambiguum nos facile concuteret, nisi contraria opinio auctores haberet, non minus graves illos, neque modo plures, verum in his etiam nonnullos antiquiores. Illud miror, quo pacto Gellius potuerit tanquam suae opinionis testem laudare poetam *Alexin*, cujus tamen, qui contraria statuunt, sibi favere existimant versus ab *Athenaeo* (p. 161.) servatos; quibus praeter alia hoc dicit: *famam ferre, Pythagorae discipulos ab omni animatorum victu abstinere; unum autem ex illis Epicharidem canes mandere, verum ante occisos; tunc videlicet animatos non esse.* Quod si Gellius istorum versuum nequitiam parum intelligens, eos ipsos ad rem suam facere existimasset, id sane festivum foret. Neque vero *Plutarchus*, quod Meinersio v. cl. videtur, eam opinionem est secutus. Inducit quidem ille *Sympos.* VIII. 8. Syllam dicentem, *Pythagoreos et libasse Diis et sacrificia gustasse.* Ipsum vero aliter sensisse, cum alia loca, tum vel

Huic vero loco, e disciplina Pythagorae, commode tamquam partem intexuit Ovidius alterum illum, de animorum post hanc vitam in diversa animantium corpora migratione. Res quidem ipsa satis est pervulgata, nec non obvia ubivis loca auctorum, qui de illa tradunt universe. Quod autem Pythagoram poëta inducit isthoc ipsum dogma sua ipsius reminiscentia confirmantem, ne hoc quidem finxit ex sese, re satis quidem scriptorum veterum plurimorum consensu testata. *) Nam et de Euphorbo tradunt permulti, atque hujus clypeum, in Apollinis fano apud Branchidas Ponticus Heraclides, in Junonis Argivae templo cum nostro Porphyrius atque Jamblichus agnitum referunt. **) Unde praeter alia fluxerunt notissimi illi Horatii versus Od. I. 28.

---

principium *orationis de esu carn. prioris* docet. — Denique scio esse, qui Pythagoram, invento illo theoremate, Musis vel bovem, vel adeo hecatomben immolasse dicant. Sed neque id *Cicero* credit *de natur. Deor.* III. 36. et bovem *ex farina confectum* (σταιτινον) illum obtulisse, scribit *Porphyr.* 36. addens, *ita tradere, qui sint adcuratiores.* Quae postrema verba satis, ut puto, refellunt Rittershusium pro σταιτινον, στεατινον i. e. *pinguem* conjicientem, plaudentibus iis, qui Pythagoram a carnium esu et animalium oblatione non abstinuisse defendunt. Enimvero illa conjectura ob facilitatem blanditur valde; sed cum lectionem difficiliorem mutet cum faciliori, probabilitatem criticam non habet.

*) Loca de hac re veterum omnia collegit, ejusque fidem ac veritatem ostendere conatus est *Nauzeus* v. cl. singulari dissertatione sic inscripta: „*Seconde dissertation sur Pythagore,* „*où l'on prouve la realité d'un discours attribué à ce philoso-* „*phe.*" Ea inserta est *Commentariis Academiae Regiae Parisiensis inscr. et litt. Tom. XIV.*

**) DIOG. LAERT. VIII. 4. — PORPHYR. 27. IAMBLICH. 63. — Tertium huic clypeo locum in Apollinis delphici templo assignat TERTULLIANUS *de anima* cap. 28.

— habentque
Tartara Panthoiden, iterum Orco
Demissum; quamvis clypeo Trojana refixo
Tempora testatus, nihil ultra
Nervos atque cutem morti concesserat atrae.

Illud in hac traditione consulto novasse videtur Ovidius, quod ejus Pythagoras Euphorbi clypeum ab sese et quidem *nuper* agnitum dicit, quam rem Heraclides tribuit Hermotimo, in quem transiens Euphorbus, post duplicem demum migrationem, Pythagoras evasit.

Jam vero ut ipsi Pythagorae existimemus creditam isthanc animorum in varia corpora migrationem unam ex caussis illis fuisse, propter quas a mactandis vescendisque animalibus abstineri vellet, quanquam nonnulli negant, *) tamen et res ipsa suadet, et hoc multi scriptores memoriae prodiderunt. Neque modo universe hac ratione usos Pythagoreos reperio, verum in hoc etiam noster illorum secutus est consuetudinem, quod ad revocandos ab animalium caede victuque homines adhibuit parricidii metum atque terrorem. Illa dico:

Ergo ne pietas sit victa cupidine ventris,
Parcite (vaticinor) cognatas caede nefanda
Exturbare animas; nec sanguine sanguis alatur.

Atque porro infra vs. 459. seqq.

Corpora, quae possint animas habuisse parentum,
Aut fratrum, aut aliquo junctorum foedere nobis,
Aut hominum certe, tuta esse et honesta sinamus;
Neve Thyesteis cumulemur viscera mensis.

Cum his velim conferantur, et quae in eandem sententiam apud Senecam disputat Sotion, et quae simillima item leguntur in Plutarchi de esu carnium oratione al-

---

*) Vid. *Meiners Gesch. der Wissensch.* etc. *Tom. I. p.* 424. et *Guilielmi Irhovii* liber *de Palingenesia veterum* etc. *Amst.* 1733. quo libro hoc docere vult, omnem isthanc Pythagorae de metempsychosi doctrinam symbolice esse accipiendam.

tera. *) Et Senecae quidem fortasse etiam Ovidium, omnibus vero obversatos puto sequentes apud Sextum Empiricum Empedoclis versus:

Ου παυσεσθε φονοιο δυσηχεος; ουκ ἐσορατε
Αλληλους δαπτοντες ἀκηδειῃσι νοοιο;

* * *

Μορφην δ' ἀλλαξαντα πατηρ φιλον υἱον ἀειρας
Σφαζει ἐπευχομενος μεγα νηπιος· οἱ δε πορευντες

---

*) „Pythagoras omnium inter omnia cognationem esse dicebat, „et aliorum commercium in alias atque alias formas transeun„tium. Nulla, si illi credas, anima interit, nec cessat qui„dem, nisi tempore exiguo, dum in aliud corpus transfundi„tur. Viderimus, per quas temporum vices, et quando per„erratis pluribus domiciliis, in hominem revertatur. Interim „sceleris hominibus ac parricidii metum fecit, cum possint „in parentis animam inscii incurrere, et ferro morsuve vio„lare, in quo cognatus aliquis spiritus hospitaretur." SENECA *Ep.* 108. — PLUTARCHUS vero l. c. haec habet: „Jam hoc, inquit, considera, utri philosophorum nos melius cicures humanosque faciant: iine, qui liberos, amicos, parentes, uxores a nobis manducari volunt, ut morte vere extinctos; an Pythagoras et Empedocles, qui nos condocefaciunt, etiam erga alius generis animalia justitiam exercere? Tu quidem rides eum, qui ab ovis esu abstinet. Is tamen dicet: cum vos videmus mortui patris aut matris portiones abscindere, amicisque eas absentibus mittere, praesentes vero invitare, carnesque illis larga manu apponere, non rideam?" — Empedoclis, quos in contextu ponimus versus, ita latine seu vertit, seu imitando expressit Chalcidius.

Comprimite, o gentes, homicidia: nonne videtis
Mandere vos proprios artus ac viscera vestra?

* * *

Mutatos sobolis mactat pater impius artus
Dis epulum libans: saeva prece territa mente
Hostia: luctifica funestatur dape mensa.
Natus item ut pecudes caedit matremque patremque,
Nec sentit charos mandens sub dentibus artus.

Λισσομενοι θυοντες, ὁ δ' ἀνηκουστος ὁμοκλεων,
Σφαξας, ἐν μεγαροισι κακην ἀλεγυνατο δαιτα.
Ὡς δ' αὐτως πατερ' υἱος ἑλων, και μητερα παιδες,
Θυμον ἀποῤῥαισαντα φιλας κατα σαρκας ἐδουσι.

Neque minus est Pythagorica altera illa causa, quam Ovidius exponit versu 463 et seqq.

Quam male consuescit, quam se parat ille cruori
Impius humano, vituli qui guttura cultro
Rumpit et immotas praebet mugitibus aures!
Aut qui vagitus similes puerilibus haedum
Edentem jugulare potest, aut alite vesci,
Cui dedit ipse cibos! Quantum est, quod desit in istis
Ad plenum facinus, quo transitus inde paratur!

Et sane Pythagoram isthac ab animalibus abstinentia pacem atque mansuetudinem inter homines firmari existimasse, tradit Jamblichus. Qui enim animantium caedem ut nefariam et adversam naturae abominaretur, eum homines occidere, aut bellum gerere, multo magis pro scelere habiturum. *) Plutarchus vero, quem saepius jam vidimus non modo in rerum summa, verum in singulis etiam sententiis cum nostro conspirantem, diserte dicit, hoc Pythagorae praeceptum ad vitandam inter homines crudelitatem spectasse. **) Idem alio loco, jam supra a nobis laudato, quemadmodum tyranni civium interficiendorum initia capiant a pessimo quoque, ita scribit homines sine dubio ab animalium noxiorum, ad domesticorum utiliumque, atque inde tandem ad hominum caedem sensim fuisse delapsos. ***)

Denique et illa fluxerunt ex fontibus Pythagoreis, quae de capienda ex animalibus utilitate hunc in modum proximis verbis traduntur:

---

*) 186.

**) *De capienda ex inimicis utilitate.*

***) *De esu carn. orat. post.*

Bos aret: at mortem senioribus imputet annis:
Horriferum contra Borean ovis arma ministret:
Ubera dent saturae manibus pressanda capellae.

Neque enim Pythagoram, animalium caedem victumque improbantem, rectum justumque eorumdem usum sublatum voluisse, auctor est idem Plutarchus; cujus de hac re ipsa verba huc transferam. Pythagoras, inquit, docebat, quo modo citra injustitiam utilitatem percipere ex animalibus possemus. Non enim agunt injuste, qui animalia, quae cicurari prorsus non possunt, vel damnosa omnino sunt, plectunt atque interficiunt: mansueta autem humanaque cicurando ad eas operas condocefaciunt, quae uniuscujusque naturae conveniunt.

Foetus equorum, asinorumque, et boum genus;

ut ait Aeschyli Prometheus, dat Deus

Munera rependens, quae nostris laboribus
Subeant.

Sic canum custodia capras et oves defendit, dum mulgentur, tondentur, pascuntur. — Neque injuste agunt, qui utuntur animalibus; sed qui hoc faciunt damnose, contemtim, et cum crudelitate. *) Haec itaque Plutarchus. E cujus hoc ipso loco, quod obiter monebo, intelligitur simul, quorsum et ille referatur versus:

Perdite, si qua nocent: verum haec quoque perdite tantum.

Atque in his quidem nunc quoniam cogimur subsistere, reliqua primae hujus partis capita proxima publice scribendi occasione profligabimus. Caeterum, ut novus iste, cui hactenus praelusimus, studiorum cursus laetissimis ominibus nobis exoriatur, vehementer optamus.

---

*) *De solertia animalium* etc. p. m. 964 seqq.

P. III.

Ab animorum autem ex aliis in alia corpora migratione poeta, naturali cogitationum vinculo, defertur ad perpetuum illum, quo res quaeque in mundo labuntur fluuntque, modum ac vicissitudinem. Quem locum universum ut, quantum nobis quidem constat, minime possit Pythagorae disciplina tamquam suum sibi vindicare, in nonnullis certe versibus et latent Pythagoricae doctrinae semina, et satis aperta est scriptoris cujusdam Pythagorei imitatio. Ad priorem classem pertinet ipsum hujus loci principium:

Omnia mutantur; nihil interit.

Quae verba illustrabimus infra, ubi eandem rem poeta copiosius persequitur. E caeteris duos potissimum adtingemus locos, quorum alter his continetur versibus.

Ipse Dei clypeus, terra cum tollitur ima,
Mane rubet: terraque, rubet, cum conditur ima:
Candidus in summo est: melior natura quod illic
Aetheris est, terraeque procul contagia vitat.

Nempe haud vano, arbitror, augurio suspicamur, postremis versibus poetam respicere ad illam Pythagorae opinionem, de qua Diogenes Laertius refert, dicens, illum aerem isthunc terrarum orbi circumfusum et immobilem et morbidum, quaeque in illo essent, mortalia omnia, summum vero liquidissimum ac saluberrimum, in illoque omnia immortalia atque divina existimasse. *)

---

*) *Τόν τε περὶ τὴν γῆν ἀέρα ἄσειστον εἶναι καὶ νοσερὸν, καὶ τὰ ἐν αὐτῷ πάντα θνητὰ, τὸν δὲ ἀνωτάτω ἀεικίνητόν τε εἶναι καὶ καθαρὸν, καὶ ὑγιᾶ· καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτῷ ἀθάνατα, καὶ διὰ τοῦτο θεῖα.* VIII. 26.

Eadem fere sententia est Ocelli Lucani, seu quisquis alius familiae Pythagoreorum popularis libellum de universo prodidit, mortalitatem lunae cursu metitus, quidquid autem supra illam esset, Deorum adsignans habitationi. *) Hanc vero talem notionum adfinitatem quemadmodum casu facile nasci potuisse minime diffitemur, tamen ne sic statuamus, ea maxime impedimur caussa, quod poetae, etsi jam nullum disciplinae Pythagoricae caput tractaret, tamen, quoad philosophum isthunc inducit loquentem, ejus doctrinae quaedam subinde velut semina spargere, eodemque colore universam ejus contingere orationem expediebat.

Atque ea quidem res pertinet non tantum ad Pythagoreorum opiniones atque sententias, verum etiam ad singula scriptorum loca satis interdum fideliter ab Ovidio expressa. Empedoclis certe versus cum aliquo nostri loco conspirantes supra commemoravimus, ejusdemque alios dabimus infra: proxime autem laudanda nobis sunt illa Epicharmi, a Diogene nobis servata **).

— — — *νῦν ὄρη καὶ τὼς ἀνθρώπως.*
Ὁ μὲν γὰρ αὔξεθ᾽, ὁ δέ γα μὰν φθίνει.
Ἐν μεταλλαγᾷ δὲ πάντες ἐντὶ πάντα τὸν χρόνον.
Ὁ δὲ μεταλλάσσει κατὰ φύσιν, καὶ οὔποκ᾽ ἐν ταυτῷ μένει.
Ἀλλὰ ἕτερον εἴη κ᾽ αὐτὸ δὴ τοῦ παρεξεστακότος.
Καὶ τὺ δὴ κἀγὼ χθὲς ἄλλοι, καὶ νῦν ἄλλοι τελέθομες,
Καὖθις ἄλλοι, κ᾽ οὔπω χ᾽ αὐτοὶ καττὸν λόγον.

Isthaec igitur legentes, videlicet intelligemus, ex quo fonte manarint sequentes Ovidii versus:

Nostra quoque ipsorum semper, requieque sine ulla,
Corpora vertuntur: nec, quod fuimusve, sumusve,
Cras erimus.

---

*) Vid. *Opuscula mythologica, physica et ethica*, ed. a Th. Gale, pag. 515 seq.

**) III. 11.

Tertius, quem noster e philosophia Pythagorica tractavit, locus iis continetur, quae de rerum principiis, eorumque mutua inter se mutatione huncce in modum exposuit.

Quatuor aeternus genitalia corpora mundus
Continet. ex illis duo sunt onerosa, suoque
Pondere in inferius, tellus atque unda, feruntur:
Et totidem gravitate carent; nulloque premente
Alta petunt, aer, atque aere purior ignis.
Quae quamquam spatio distant; tamen omnia fiunt
Ex ipsis, et in ipsa cadunt; resolutaque tellus
In liquidas rorescit aquas: tenuatus in auras
Aeraque humor abit: demto quoque pondere, rursus
In superos aer tenuissimus emicat ignes.
Inde retro redeunt: idemque retexitur ordo.
Ignis enim densum spissatus in aera transit:
Hic in aquas: tellus glomerata cogitur unda.

Primum itaque, quod mundum *aeternum* dicit, jam in hoc statim quorumdam certe Pythagoreorum agnoscas morem atque rationem: Philolaum dico atque Ocellum Lucanum, quorum posterior ab initio libri de universo pluribus hoc agit, ut ostendat, mundum nec ortum habuisse, neque interitum illum consecuturum. *) Quae autem de elementorum aliorum in alia transitu atque commutatione dicuntur, illa plane Pythagorica esse, multorum gravissimorumque testium auctoritate facillime potest evinci. Aliquanto quidem sunt obscuriora, quae de ipso Pythagora refert Diogenes Laertius, illum quatuor corporum principia, ignem, aquam, terram atque aërem, omnia pervadere atque verti existimasse. **) Nam quod haec verti dicit, utrum alia transire in alia atque mutari, an aliam quamdam vicissitudinem intelligi velit, mihi quidem haud satis li-

*) *Opusc. mythol. phys. et eth.* pag. 505 sqq.

**) — *στοιχεῖα εἶναι τέτταρα, πῦρ, ὕδωρ, γῆν, ἀέρα· ἃ μεταβάλλειν τε καὶ τρέπεσθαι δι᾽ ὅλων, κ. τ. λ.* VIII, 25.

quet. Id in hoc scriptore, et ingenii acumine, et adcurata verborum diligentia nulla ex parte commendabili, quemadmodum minime est mirandum, ita nobis opportune accidit aliorum circa hanc rem et certior illa et clarior mentio, unde, quid de hoc loco ipso videatur statuendum, haud improbabili certe conjectura colligamus. Primum de Empedocle minime ambiguum est testimonium Lucretii, quod legitur L. I. v. 782. seqq.

Quin etiam repetunt a coelo, atque ignibus ejus,
Et primum faciunt ignem se vertere in auras
Aeris: hinc imbrem gigni, terramque creari
Ex imbri, retroque a terra cuncta reverti,
Humorem primum, post aera, deinde calorem:
Nec cessare haec inter se mutare, meare
De coelo ad terram, de terra ad sidera mundi.

Simile quid de Hippaso Plutarchus refert: *) nisi quod hic videtur elementorum inter se commixtorum confusorumque unius ope ignis secretionem potius, quam aliorum in alia transitum et mutationem statuisse. Ita quidem Plutarchus, qui eum dicit super hac re idem cum Heraclito sentire. Quod si ita est, fortasse nunc quidem Plutarchus corrigendus fuerit e Diogene Laertio, de Heraclito ea referente, quae cum superioribus illis Ovidii Lucretiique locis prorsus conspirant. Sed utcunque de ea re videatur statuendum, nos certe Diogenis verba contentionis causa textui subjiciemus. **)

---

*) *Ἡράκλειτος καὶ Ἵππασος ὁ Μεταποντῖνος ἀρχὴν τῶν ὅλων τὸ πῦρ. — Τούτου δὲ κατασβεννυμένου κοσμοποιεῖσθαι τὰ πάντα· πρῶτον μὲν γὰρ τὸ παχυμερέστατον αὐτοῦ εἰς αὐτὸ συστελλόμενον γῆν γίνεσθαι, ἔπειτα ἀναχαλωμένην τὴν γῆν ὑπὸ τοῦ πυρὸς φύσει, ὕδωρ ὑποτελεῖσθαι, ἀναθυμιώμενον δὲ, ἀέρα γίγνεσθαι, κ. τ. λ.* *De placitis philosophorum* L. I. cap. 3.

**) *Πυκνούμενον γὰρ τὸ πῦρ ἐξυγραίνεσθαι, συνιστάμενόν τε γίνεσθαι ὕδωρ, πηγνύμενον δὲ τὸ ὕδωρ εἰς γῆν τρέπεσθαι· καὶ ταύτην ὁδὸν ἐπὶ τὸ κάτω εἶναι. πάλιν τε αὐτὴν τὴν γῆν χεῖσθαι, ἐξ ἧς τὸ ὕδωρ γίνεσθαι· ἐκ τούτου δὲ τὰ λοιπὰ σχεδὸν πάντα,*

Alia atque minime ambigua illa auctoritas accedit Ocelli Lucani: cujus in libello supra a nobis laudato sequentia leguntur verba. „Ignis condensatus aerem „gignit, aer aquam, aqua terram. A terra autem retro „usque ad ignem, a quo coeperat, eadem commutatio„nis est ratio.“ *) Huic denique addemus Timaeum Locrum. Qui in libello de anima mundi ignem certe, aerem atque aquam inter se dicit commutari, aliaque in alia verti, eam tamen vicissitudinem ad terram pertinere negans, propterea quod hoc esset elementum maxime iners ac ponderosum, nullam habens adfinitatem cum genere triangulorum, e quo caetera constarent. Unde falsus est Tiedemannus v. cl. ea, quae Timaeus de partibus dixisset, trahens ad universa. **)

Postremus denique locus, in quo non modo doctrinae Pythagoricae vestigia, sed vel scriptoris Pythagorei nobis deprehendisse visi sumus imitationem, hic est:

Nec perit in tanto quidquam (mihi credite) mundo:
Sed variat, faciemque novat; nascique vocatur,
Incipere esse aliud, quam quod fuit ante; morique
Desinere illud idem. Cum sint huc forsitan illa,
Haec translata illuc; summa tamen omnia constant.

Corporum quidem interitum nullum, sed nonnisi secretionem esse, non Pythagorei solum statuerunt; quin haec ipsis opinio cum philosophis aliis pluribus erat communis. Velut Lucretius, ut unum ex omnibus nominem, Epicureorum disciplinam carmine complexus,

---

ἐπὶ τὴν ἀναθυμίασιν ἀνάγων τὴν ἀπὸ τῆς θαλάττης· αὕτη δὲ ἐστιν ἡ ἐπὶ τὸ ἄνω ὁδός. IX. 9.

*) *Opusc. myth. phys. et eth.* pag. 513.

**) *Καττοῦτο δὲ βαρύτατόν τε καὶ δυσκίνατον ἁ γᾶ, ἀμετάβλητόν τε σῶμα ἐς ἄλλα, διὰ τὸ ἀκοινώνευτον εἶμεν τῷ ἄλλῳ γένεϊ τῷ τριγώνῳ κ. τ. λ.* Ibid. p. 553 sq. Conf. *Griechenlands erste Philosophen* cet. pag. 436 seq.

primo libro permultis hoc agit, ut ostendat, ad nihilum nullam rem redigi. Et profecto quis, aliter sentiens, philosophum se profiteri audeat? Verum nostrum illa scribentem existimaverim sequentes Empedoclis apud Plutarchum versus ob oculos habuisse: *)

Ἄλλο δὲ σοὶ ἐρέω· φύσις οὐδενός ἐστιν ἑκάστου
Θνητῶν, οὐδέ τις οὐλομένη θανάτοιο γενέθλη,
Ἀλλὰ μόνον μίξις τε διάλλαξίς τε μιγέντων
Ἐστὶ, φύσις δ' ἐπὶ τοῖς ὀνομάζεται ἀνθρώποισι.

* * *,

Οἱ δ' ὅτε κατὰ φῶτα μίγεν φῶς αἰθέρι
Ἢ κατὰ θηρῶν ἀγροτέρων γένος ἢ κατὰ θάμνων
Ἠὲ κατ' οἰωνῶν, τότε μὲν τῶν
Γενέσθαι, εὖτε δ' ἀποκριθῶσι, τὰ δ' αὖ
Δυςδαίμονα πότμον εἶναι καλέουσιν. **)

* * *

*) In his versibus quem habeat sensum vox *φύσις*, Plutarchus docet sequentibus verbis: *ὅτι ἀντὶ τῆς γενέσεως εἴρηκε τὴν φύσιν, ἀντιθεὶς τὸν θάνατον αὐτῇ, δεδήλωκεν ὁ Ἐμπεδοκλῆς. Adversus Colotem. Tom. II.* pag. 1111 seqq. Scilicet postremo versu simpliciter *ortum*, primo autem *ortum ex nihilo* significat.

**) Istos versus corruptos atque nonnullis partibus truncatos ita et emendari posse et restitui, existimavit Reiskius vir incomparabilis, addens videlicet versui postremo nonnullas, quae in contextu sequuntur, voces:

Οἱ δ', ὅτε ἢ κατὰ φῶτα μιγὲν φάνῃ αἰθέρι λαμπρῷ,
Ἢ κατὰ θηρῶν ἀγροτέρων γένος, ἢ κατὰ θάμνων,
Ἠὲ κατ' οἰωνῶν, τότε μὲν τὸ λέγουσι γενέσθαι.
Εὖτε δ' ἀποκριθῶσι, τὸ δ' αὖ δυςδαίμονα πότμον
Ἔν γε νόμῳ καλέουσι, νόμῳ δ' ἐπίφημι καὶ αὐτός.

Ea vero deinde sic convertit: „Si apud hominem aliquid commixtum prodeat in lucem, aut apud saeculum ferarum bestiarum, aut apud saeculum avium, virgultorumve, id ajunt natum esse: quando illa rursus discreta a se recedant, tum id infaustam mortem appellant more vulgari, legis vim nacto; cui ego ipse quoque assentior.“

Νήπιοι· οὐ γάρ σφιν δολιχόφρονές εἰσι μέριμναι,
Οἳ δὴ γίνεσθαι πάρος οὐκ ἐὸν ἐλπίζουσιν,
Ἤτοι καταθνήσκειν τε καὶ ἐξόλλυσθαι πάντῃ. *)

Atque haec quidem sunt, nisi quae forte nos fefellerunt, doctrinae Pythagoricae in isthoc Ovidii loco vestigia omnia. Nam quae ejus pars, inter versum 260. atque 453. interjecta, ingentem rerum mutatarum continet recensum, ea quidem ad Pythagoram ipsum minime pertinet, neque alio sane consilio caeteris est intertexta, nisi quod poeta, isthanc rerum maxime ad naturae historiam atque scientiam spectantium commemorationem philosopho tribui posse convenientissime, judicavit. Quare prima hujus disputationis parte absoluta, secundam proxima scribendi occasione inchoabimus. Ad quam utinam fausto laetoque, quem indicimus, studiorum decursu, nec sine magno auditorum emolumento deferamur!

P. IV.

Quam olim de Pythagora Ovidiano instituimus disputationem, illam rei nobis laetissimae indicio superiori anno interruptam nunc integrantes, eo nos animadvertimus delatos, ut, quomodo poeta ea, quae partim ex doctrinae Pythagoricae monumentis vidimus hausta, tractaverit, aperiamus. Quae res non quidem eo pertinet, ut de singulorum versuum ornatu aut qualicunque praestantia exponatur, quod et nimis longum foret, neque omnino putamus necessarium. Quin potius isthaec opera nostra in eo maxime versabitur, ut, quam rationem in rebus legendis, quem in iisdem componendis ordinem Ovidius tenuerit, eum cum ipsius

---

*) *Ἤ τι καταθνήσκειν κἀξόλλυσθαι πάνυ πάντῃ.* Reiskius.

consilio, tum rei poeticae legibus fuisse convenientissimum, declaremus. Atque inde illud omnino perspicuum fore speramus, si quae forte hic occurrant veritati historicae non satis consentanea, ea multo minus poetae cuidam errori, quam vero judicio esse tribuenda.

Tale statim est illud, quod vulgari famae assentiens Pythagoram Numae Pompilii fecit praeceptorem, *) quem certe longe illo fuisse antiquiorem constat. Ne quis autem existimet, Ovidium inscitia temporum rationem ita turbasse, illud ante omnia obstat, quod famam illam esse falsam veterum nemo quisquam doctior ignoravit. Jam vero, quem errorem non Cicero tantum atque Livius, verum etiam Plutarchus et Dionysius refellerunt, **) ejus vanitatem nostrum fugisse, quis nisi inepte opinaretur? Maluit igitur sine dubio in hacce re et in aliis nunc jam errare cum multitudine, quam adcurati rerum investigatoris tenere diligentiam, propterea quod plane intelligebat, Romanis suis ista legentibus multo id gratius fore, quam si veriora tra-

*) Vide initium hujus libri, et conf. vs. 479 seqq.

> Talibus atque aliis instructo pectore dictis,
> In patriam remeasse ferunt; ultroque petitum
> Accepisse Numam populi Latialis habenas.

**) CICERO *de oratore* II. 37. „Quidam, inquit, Numam Pompilium, regem nostrum, fuisse Pythagoreum ferunt; qui annis permultis ante fuit, quam ipse Pythagoras: quo etiam major vir habendus est, cum illam sapientiam constituendae civitatis duobus prope saeculis ante cognovit, quam eam Graeci natam esse senserunt." — Conf. Tusc. quaest. IV. 1. itemque LIVIUS hist. I. 18. DIONYS. HALICARNASS. antiquitt. Rom. II. PLUTARCH. *in Numa in.* ubi dicitur alius quidam Pythagoras Lacedaemonius Numae in constituendo regno fuisse socius; eumque cum Pythagora Samio confusum, illi fabulae locum dedisse, praeter alios, recte, ut puto, novissime statuerunt *Christophorus Saxius v. cl. Onomast. lit. Tom. I.* p. 27. et *Tiedemannus, Griechenlands erste Philosophen* p. 248.

didisset. Neque vero in eo quidquam fecisse est censendus, quod parum esset praestantis poëtae dignum judicio. Etenim huic verissimis falsa sed gratiora anteferre saepissime fas est, praesertim in rebus jam vetustate obscuris, quarumque falsitatem non unusquisque legentium facile deprehendere aut refellere possit. Proinde rei poëticae legem atque naturam penitus ignorant, resque dissimillimas confundunt, qui, quemadmodum olim Hyginus apud Gellium*) in Virgilio, scrupulosam historicorum scriptorum in poëtis requirunt diligentiam. Carmina certe legentes, neque rerum solemus aestimare fidem, neque annorum supputare numerum, verum poëtae quaevis fingendi, componendi, aut mutandi damus licentiam, dummodo maneant intemerata, quae ita plane in vulgari notitia atque velut conspectu sunt posita, ut, qualia sint, nunquam non possimus meminisse.

Eadem omnino ratio valebit ad excusandum poëtam in aliis quoque rebus, quas praeter veritatem in hoc loco traditas ab illo animadvertimus. Nam quod versu supra ducentesimum nonagesimo tertio Helicen atque Burin Achaidas urbes aquis submersas legimus, id Olympiade centesima, longoque adeo post Pythagoram tempore accidisse, testatur chronicon Eusebianum. Hoc igitur latuisse Ovidium haud magis existimo, quam illud, quod discimus ex Dionysio Halicarnasseo, urbem Crotona, quam noster cum aliis recte Pythagorae sedem facit, tum, cum ad imperium Numa accederet, fundatam nondum fuisse. Neque profecto idem tam vetustatis erat ignarus, ut nesciret, et Athenas Pythagorae aetate maxime floruisse, neque Thebas nisi longo post illum tempore fuisse ab Alexandro deletas, etiamsi eumdem philosophum post versum 425. ita inducit loquentem:

---

*) AULI GELLII *Noct. Attic.* X. 16.

Clara fuit Sparte: magnae viguere Mycenae:
Nec non Cecropiae, nec non Amphionis arces.
Vile solum Sparte est: altae cecidere Mycenae.
Oedipodioniae quid sunt, nisi fabula, Thebae?
Quid Pandioniae restant, nisi nomen, Athenae?

de quibus ego sane haud cum Gerardo Vossio *) Ovidium tamquam oblitum, se Pythagoram inducere loquentem, reprehendam, multoque minus, versus istos hancce ob caussam esse tollendos, Heinsii mihi persuaserit auctoritas.

Hoc igitur maneat, nostrum cum in hisce, tum in superioribus minime errore, verum consilio vulgaris famae falsitatem antetulisse exploratae veritati, cumque in primis philosophum Samium sapientissimo Romanorum regi daret praeceptorem, id cum ex philosophi dignitate, tum volentibus maxime lectoribus Romanis, adeoque magis poëtice illum fecisse. Ejus autem doctrinae quas partes, quoque et ordine et dilectu exposuerit, deinceps videamus.

Atque hic primum aliquis fortasse miretur, velut reconditas sapientiae Pythagoricae partes, ante omnia illa commemorari:

— — magni primordia mundi,
Et rerum caussas, et quid natura docebat,
Quid Deus; unde nives, quae fulminis esset origo;
Juppiter, an venti discussa nube tonarent;
Quid quateret terras; qua sidera lege mearent;
Et quodcunque latet.

Quid enim? Istane aut solus Pythagoras, aut primus investigavit? Immo vero pleraque tam fuerunt omni tempore inter philosophos pervulgata, ut ne referenda quidem inter arcana et occulta naturae ea videantur. Num igitur ideo poëtam reprehendemus, an potius illud habebimus pro gravi argumento aetatis harum rerum

*) *Commentariorum rhetoricorum, sive orator. institutionum,* V. 11. 7.

rudis, minimeque adhuc in physicis exercitatae? Mihi neutrum recte fieri videtur, quamquam in posteriorem fere sententiam de simillimis huic nostro Virgilii Horatiique locis disserit Algarottus, elegantis doctrinae atque judicii vir. *) Qua in re ego ejus acumen valde desidero. Quis enim non videt, hanc quaestionem ex rei poëticae natura atque intelligentia esse profligandam, cujus haud gnarus sit, vel parum memor, qui poëtam philosophiae partes atque munera describentem eadem, qua philosophum, subtilitate urgendum existimaverit? Videlicet ea, quae alter vel nuda comprehendit definitione, vel verbis maxime propriis aptisque efferre solet, eadem alter a notionibus communibus ad partes revocat singulares, ut maxime ad sensus phantasiamque pertinentes, ita optime lectas. Igitur rebus abstrusioribus et reconditis plana atque vulgaria anteponit, dum ornatum illum admittant, sine quo poëticum nihil debet existimari. Eam legem qui teneat, is facile Virgilium, Horatium aliosque poëtas veteres in hujusmodi locis sine aliquo aetatis suae detrimento absolvet, simulque intelliget, quare Ovidius, antequam ad praeceptorum quorumdam Pythagoricorum expositionem accederet, simplicem illam sententiam, Pythagoram discipulos suos *rerum divinarum humanarumque causas docuisse*, (id enim ipsum dicunt isti versus) eo, quo vidimus, modo extulerit.

---

*) Virgile et Horace, poëtes aussi savans que judicieux, mettent au nombre des sécrets de la nature, l'un la cause de la brièveté des jours d'hiver, l'autre celle des differentes phases de la lune. Ce qui fait voir, que la plupart des grandes questions que l'on agitoit dans l'heureux siècle d'Auguste, ne seroient aujourd'hui regardées que comme des notions élementaires, qu'un enfant auroit honte d'ignorer. Oeuvres du Comte Algarotti, traduits de l'Italien. Tom. III. p. 232. Cf. VIRGILII *Georg.* II. 475. s. HORATII *epist.* I. 2. 15. PROPERTII *eleg.* V. 25. PAPINII STATII *silv.* L. V. III. 19. Item Thebaid. VI. 360.

Nunc vero illud velim observari, quam recte atque adposite ad commendandam legentibus omnem philosophi orationem incipiatur a gravissima perversi animalia necandi, eorumque carnibus vescendi moris reprehensione. Qua quidem primum animis vehementius impulsis, egregie postea illud de animorum migratione dogma attexitur, a quo item facillimus fit transitus ad caeterarum rerum omnium vicissitudinem, perennemque in omni mundo mutationem. Eaque omnia quam sunt inter se apta atque nexa, quam certo et aequabili a principio ad finem deducuntur tenore, ita, ut nasci magis ex aliis alia evolvique, quam arte composita succedere sibi videantur! Atqui alius fortasse contra existimaverit, illum ordinem magis fuisse naturalem, si poëta, inversa ratione, ab animorum in varia corpora migratione ad alterum illud caput transiisset, eo, quod nimirum ita demum impia ac detestanda animalium caedes videri debeat, si humanas cognatasque nobis mentes tamquam e domicilio suo inde expulsas cogitaverimus. Verum eam rem secus se habere, ad sequentia adtendenti, ut opinor, patebit. Videlicet ita transpositis partibus, reliqua omnia, quae inde a versu 176, usque ad finem hujus loci leguntur, aut omittenda poëtae fuissent, aut quocumque tandem modo, quoniam aptari caeteris non poterant, subjungenda. Neque enim video, quo pacto a superioribus illis transitus facilis fieri potuisset ad communem illam rerum omnium mutationem. At vero contra, postquam illa praecessissent:

Omnia mutantur, nihil interit: errat et illinc
Huc venit, hinc illuc, et quos libet occupat artus
Spiritus, eque feris humana in corpora transit,
Inque feras noster, nec tempore deperit ullo, etc.

ei igitur, quae istis verbis continetur, sententiae peropportune accedunt sequentia:

Et quoniam magno feror aequore, plenaque ventis

Vela dedi; nihil est toto quod perstet in orbe:
Cuncta fluunt, et q. s.

Quibus immutatis, pulcherrima coagmentatio poëtae periisset.

Sed fac, ejus ingenium iis, quae nobis fere insociabilia videntur, qualicunque tandem arte nectendis suffecisse, vel sic tamen eum, quem secutus est, ordinem longe praestare defendemus. Nempe Pythagoras animalia necari mensisque imponi arguens, non una utitur ratione. Primum quidem illam consuetudinem ut feram parumque dignam hominis natura reprehendit: deinde vero diversas, quae ex pecudibus armentisque percipiuntur, exprobrat utilitates: postremo addit graves ex animorum in ferina corpora migratione terrores. Omnia quidem gradatim, ut primo momento perculsos prosternat postremum et gravissimum pondus. At si idem orsus esset a novissimis, quantopere post illa cetera omnia languerent!

Denique, si non modo harum inter se partium rationem, sed cujusque etiam per se naturam spectemus, item hoc reperiemus confirmatum, eum ordinem, ut maxime naturalem, ita optimum fuisse. Illud enim dubium habet nullum, quin poëta dogmata quaedam atque praecepta philosophica expositurus, ab illis maxime debuerit incipere, quae ornatum poëticum minus quam caetera recusarent, ne videlicet arida atque exili subtilitate legendi ardor subito restingueretur. Ab his autem per proxima quaevis tandem ad abstrusa etiam et spinosa fit recta progressio; neque contra. Eam vero legem praeclare tenuit Ovidius; qui primum illum locum et satis speciosum, et novitatis commendationem habentem exornavit ita, ut legentium studia vehementer accensa semel, non modo cognatum illi de animorum migratione argumentum facillime perferant, sed ne jejuna quidem in sese de elementorum vicissitudine

doctrina refrigerentur. Atque haec pars postrema omnium maxime arida quemadmodum utrimque sapienter sustinetur ubertate rerum majori, ita neque illud mihi temere videtur factum, ut poeta in fine illuc, unde exorsus erat, reversus philosophi tandem animalium causam iterum agentis gravissima desineret admonitione. Ita enim legentes, si quid forte studii erat remissum, recuperamus, priorque illa voluptas ipsa pulcherrimorum versuum reminiscentia integratur.

Atque haec quidem universe de rerum hoc loco expositarum dispositione. In singulis vero partibus quid maxime vel laude dignum vel reprehensione nobis videatur, alia, ut speramus, dicendi ad nos redibit occasio. Superest, ut vos, Auditores, ad novum, cui hactenus praelusimus, studiorum cursum, nova animorum viriumque intentione ingrediendum exhortemur. Idque nos haud frustra facturos esse, sperare jubet laudabilis illa opera, quam in enodandis quaestionibus superiori cursu promulgatis plures vestrum posuerunt ita, ut omnes industriam atque voluntatem, nonnulli etiam ingenium profectumque nobis probarent. E quibus honoris caussa nominabimus *Georgium Gesnerum, Conradum Fischerum* et *Iacobum Escherum,* ante alios vero *Ioannem Schulthessium,* qui novissime e coetu vestro dimissus, tum quidem duplex numi aurei praemium cunctis judicum suffragiis tulit, pertinacis studii litteris non sine laeto successu navati remunerationem. Cujus rei cogitatio apud vos, ut speramus, valebit ad expetendam magno conatu similem laudis possessionem.

Hoc autem instituto superiori anno sancito, sine dubio praeclare de vobis vestrisque studiis meruit egregiorum quorumdam virorum voluntas. Utinam, quod iidem hoc ipso anno de nobis decretum, re novum, exemplo salutare, consilio supra modum laudabile fecerunt, quo vestris commodis in perpetuum adstringeremur, hoc item ex vestra utilitate fecisse videantur! Nos

certe, quantum inde officii pondus sustineamus, haud latet, et quanquam fere deprimat animum infirmitatis nostrae conscientia, tamen, quantum poterimus, enitemur, ne illos, quibus hoc debemus, suae de nobis opinionis umquam poeniteat. Modo Deus vires cum valetudine sufficiat, voluntatem nos quidem praestabimus.

At tu salve, o alma patria, magna parens virum, a qua nos divelli numquam fuissemus nisi aegerrime passi! Tibi nos redditi, vel potius addicti obstrictique, si quid sumus possumusve, id omne tuum esse, lubentissime ac merito profitemur. Tu, quae in nobis majorum potius nostrorum quam nostrum aliquod de te meritum remunerasti, vel eorum ipsorum causa porro nobis fave, unice beatis, si qualicumque tandem modo ad tuendam illam, qua per tot saecula floruisti, litterarum doctrinaeque laudem vel minimum nos contulisse, proxima judicaverit aetas.

P. V.

Cum de callida partium loci istius, in quo enarrando versamur, Ovidiani coagmentatione superiori anno satis a nobis sit dictum, superest, ut de ipsarum denique partium singularum virtute, quam possimus, breviter exponamus.

Atque de ipsius philosophiae commemoratione, quam ex constanti veterum poëtarum usu, non communi comprehendit notione, sed partium ejus singularium optime lectarum extulit ornamento, jam monuimus. Proxima est perversi animalium caesorum carnibus vescendi moris reprehensio, recte instituta primum a caeterorum alimentorum cum copia, tum varietate.

— sunt fruges, sunt deducentia ramos

> Pondere poma suo, tumidaeque in vitibus uvae.
> Sunt herbae dulces, sunt, quae mitescere flamma
> Mollirique queant; nec vobis lacteus humor
> Eripitur, nec mella thymi redolentia florem.

Quos versus legens, quis est tam inelegans, quin intelligat, quam vim et verbum habeat, ter repetitum, et grata illa imago *pomorum ramos pondere suo deducentium*, et uvae a *tumore*, ab *odore* mella notata? Neque enim iste ornatus omnis aut inanis est, aut voluptatis modo causa quaesitus, sed plane adcommodatus poëtae consilio, eum, quem dixi, alimentorum sine sanguine, tam varium tamque abundantem penum, non simpliciter modo commemorare, sed sensibus velut exponere volentis. Cum quibus velim conferatur poëtae cujusdam Germani languida imitatio. *)

> Was für Mengen von herrlichen Früchten verschüttet das Jahr nicht!
> Und doch konnte der Mensch zur Nahrung von Blut sich gewöhnen,
> Zum Tyrannen der Thiere sich würgen, und reine Gerichte,
> Nicht mit Blute befleckt, verschmähn! Indem ihn die Erde
> Ueberflüfsig versorgt mit paradiesischer Nahrung,
> Mordet er doch! —

Idem omnino licet observare paulo post, de versibus illis:

> Heu quantum scelus est, in viscera viscera condi,
> Congestoque avidum pinguescere corpore corpus,
> Alteriusque animantem animantis vivere leto!

In quibus parum perite Schirachius nihil vidit, nisi inanem verborum lusum. Cujus quidem Ovidius saepe nimium amans, hic certe omni culpa est liberandus. Nam, qui carnibus vescendi consuetudinem absurdam,

---

*) Poetische Schriften von Friedrich Wilhelm Zachariae. IV. B. Der Morgen.

naturaeque contrariam esse contendebat, melius profecto id declarare haud poterat, nisi *viscera visceribus*, *corpus corpori*, *animam animanti*, *vitam leto* velut juxta ponens. In hisce igitur verbis singulis ingens pondus inest, latentque multae gravisque orationis semina in ea sermonis brevitate inclusa.

Bene post haec opponitur aetatis aureae exemplum, cujus cum innocentiam, tum summam felicitatem antiquitas celebravit, quamque animalium caedem et victum ignorasse constans fuit, ac poëtarum carminibus frequentata saepe opinio. *) Illa enim priscorum terrae incolarum vita non beata modo, verum et simplex et sancta, tanta hominum viguit existimatione, ut vel minima quaevis ab illa degeneratio in culpae ac depravationis suspicionem per se fuerit vocata. Bene vero et illud, quod animantium carnibus vescendi consuetudinem derivat ab necessaria vel ferarum hominis vitae insidiantium, vel caeterarum quoque bestiarum qualicumque modo noxiarum caede. Hoc enim posito, ille, quem reprehendit morem, tanto magis abhorrere ab ipsa videri debet humanitate, cum nonnisi sensim gradatimque existimari possint homines eo pervenisse. At-

*) Dicaearchus in libris antiquitatum et descriptione Graeciae refert, sub Saturno, id est, in aureo seculo, cum omnia humus funderet, nullum comedisse carnes, sed universos vixisse frugibus, et pomis, quae sponte terra gignebat. HIERONYMUS adv. Iovinianum L. II.

> Ante etiam sceptrum Dictaei regis, et ante
> Impia quam caesis gens est epulata juvencis,
> Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.

VIRGILII *Georg.* II. 536 seqq. — CICERO item *de nat. Deor.* II. 63. bubus, inquit, ab illo aureo genere, ut poëtae loquuntur, vis numquam ulla afferebatur:

> Ferrea tum vero proles exorta repente est,
> Ausaque funestum prima est fabricarier ensem,
> Et gustare manu victum, domitumque juvencum.

que etiam hoc turpiorem apparere necesse est illum errorem, quo humanum genus in utilissima sibi pecora immanitatem exercuit, in ferarum bestiarum hostilitate vix excusandam. Illorum vero sortem indignam deplorans poëta prorsus eximius est. Quid enim fingi aut praestantius possit, aut ad commovendos animos efficacius versibus illis?

Quid meruistis, oves, placidum pecus, inque tuendos
Natum homines, pleno quae fertis in ubere nectar?
Mollia quae nobis vestras velamina lanas
Praebetis, vitaque magis, quam morte juvatis.

Neque vero male ille, quem supra laudavimus, Zachariae:

Siehe! hier liegt das schuldlose Lamm, erst gestern von Wiesen,
Wo es spielte, der Mutter geraubt, und der Wollust geopfert.

Quamquam hic quidem agnum ab nativa modo simplicitate, Ovidius vero praeterea etiam ab eximia designavit utilitate. Qua re et commiserationis sensus augetur, et homines tanto gravior urget ab immemori beneficiorum animo crudelitatis culpa. Eundem plane sensum spirant versus sequentes, quam molles illi, quamque aequabili lenitate fluentes!

Quid meruere boves, animal sine fraude dolisque,
Innocuum, simplex, natum tolerare labores?
Immemor est demum, nec frugum munere dignus,
Qui potuit, curvi demto modo pondere aratri,
Ruricolam mactare suum: qui trita labore
Illa, quibus toties durum renovaverat arvum,
Tot dederat messes, percussit colla securi.

Quos versus qui legerit, is quo pacto poterit perferre tenuem prorsus atque pedestrem Zachariae imitationem!

Selber den nützlichen Stier, der mit geduldiger Arbeit
Manchen Acker gepflügt, und ihn mit Erndten gekleidet,

Nahm der Landmann, und hat ihn erwürgt, voll Undank erwürget!

Quid igitur inter haec atque illa interest? Nimirum hic bovem dicit *operis patientem*, ille nobis *trita labore ejus colla, curvique aratri* ostendit *pondus*; hic eumdem bovem ab *ingrato* colono memorat *mactatum*, ille *trita* eadem *labore colla*, paulo ante *soluta jugo*, nunc *securi percussa*, nobis exhibet spectanda: denique alter omnia pingens poetae fungitur munere, alter omnia narrans inglorio sese versificis labore continuit.

Praecludit jam inde poeta effugium, quod occupare poterant dapum sanguinearum defensores, Deorum nempe praetexentes auctoritatem, quibus victimas immolare hominum soleat religio. Quam rem ipsam ille dat errori vanaeque superstitioni, indignam certe alienamque judicans Deorum sapientia ac bonitate, praestantissimis hisce versibus:

Nec satis est, quod tale nefas committitur; ipsos
Inscripsere Deos sceleri, numenque supernum
Caede laboriferi credunt gaudere juvenci.

Quibus versibus quam bene conjectum telum retorquetur, quamque scite defensio convertitur in adcusationem! Neque iners est, aut otiosa, quod forte quis existimaverit, egregia illa victimae ad aram adductae descriptio, quam, ut hoc obiter moneam, ob oculos habuisse videri potest eximius poeta Hagedornius in praestantissimo illo atque spiritus poetici pleno carmine, quod scripsit *in vinum*. *) Illa enim ipsa multa conti-

*) Der Opferbrand wird angeschürt,
Die Priester stellen sich in Reihen,
Es wird ein Bock herbeygeführt,
Den sie mit Mehl und Salz bestreuen;
Man rauft aus seiner Stirne Haar,
Und wirft es auf den Rauchaltar,
Läfst Wein auf seine Hörner fliefsen,
Und zuckt den Stahl, und naht der Gluth,

net, e quibus talia sacrificia neque Diis placere posse, et ab ratione omni abhorrere intelligitur. Tale et illud est, *nam placuisse nocet*, et quod dicitur victima *ignara*, i. e. nil metuens mali, precantem audire, et quod iis ipsis, *quas coluit, frugibus* adspergitur. Quin illud ipsum, quod dicitur *cultros in liquida unda forsitan praevisos inficere*, etsi meri ornatus causa additum, nec quidquam valere ad indignitatem rei demonstrandam, vel ad commiserationem faciendam, novissimus metamorphoseon editor judicat, tamen magnam vim habet ad declarandam victimae benefactorum modo sibi consciae securitatem.

Atque hancce omnem admonitionem quemadmodum poeta, ut hactenus vidimus, diversis animi motibus miscuit, ita tandem praeclare desinit versibus ad commovendum fastidii horrorisque sensum efficacissimis longe, eorumque, quae antea explicasset, velut densatum glomeratumque pondus animo objicientibus.

> Cumque boum dabitis caesorum membra palato,
> Mandere vos vestros scite et sentite colonos.

Haud quidem nos patitur hujus scriptionis modus ea persequi omnia, quae a poeta deinde ad ornandam illam de animorum migratione doctrinam, exponendamve perennem rerum omnium mutationem vel bene inventa sunt, vel egregie tractata. Quare caeteris omissis, de posteriori loco inprimis duo nobis videntur monenda. Quorum alterum spectat eximium illum poetae dilectum, quo dogmatis philosophici cum subtilitati, tum tenuitati laetiorem habitum conciliavit, illud

---

Und eilt das längst verwirkte Blut
Des Rebenfeindes zu vergiessen. —
Er zappelt, stirbt, und wird zerstückt.
Man untersucht die Eingeweide;
Herz, Lung' und Leber sind beglückt,
Und jedes Zeichen weissagt Freude.

nimirum ad talia revocans exempla, quae et obvia sensibus et ornatus poetici omnium maxime essent feracia: dierum dico noctiumque vicissitudinem, variam coeli, solis, atque lunae speciem, quatuor anni tempora, diversasque humanae vitae aetates. In quibus omnibus quantum insit pulchritudinis, nimis longum est dicere. Alterum pertinet ad facultatem poeticam, quae vel in illo eminet loco, jam subtiliori, qui elementorum aliorum in alia transeuntium exponit permutationem.

— — — — — resolutaque tellus
In liquidas rorescit aquas: tenuatus in auras
Aeraque humor abit: demto quoque pondere rursus
In superos aer tenuissimus emicat ignes.
Inde retro redeunt, idemque retexitur ordo.
Ignis enim densum spissatus in aera transit:
Hic in aquas: tellus glomerata cogitur unda.

Quorum versuum elegantiam rationemque vere poeticam is demum sentiet, qui illos cum simillimi argumenti loco, quem in anni 1784. prolusione e Lucretio dedimus, paulo diligentius voluerit comparare.

Atque his tandem breviter peractis, nonnulla insuper erant, quae in loco isthoc Ovidiano nobis videbantur reprehendenda, praeterea etiam pars hujus disputationis restabat tertia, qua locis quibusdam corruptis nos medicinam allaturos olim promisimus. Verum cum et huic muneri ex illo tempore alio loco a nobis jam sit satisfactum *), illud unum denique superest, ut de duobus locis, tum a nobis neglectis, nostram sententiam promamus, alteri quidem accuratiori consulentes interpunctione, alterum ab infausta Marklandi mutatione vindicantes.

*) Vid. M. T. CICERONIS Eclogae, gesammelt von Herrn Abt d'Olivet, und zum Gebrauche der Zürcherischen Schule von Neuem mit Anmerkungen erläutert. 1783. p. 223 seqq.

Primum igitur versus sequentes sic fere solent interpungi:

— — coetusque silentum
Dictaque mirantum, magni primordia mundi,
Et rerum caussas, et quid natura, docebat:
Quid Deus: unde nives: quae fulminis esset origo.

Atqui ea distinguendi ratio verba illa, *quid Deus*, absurde jungit cum sequentibus, *unde nives* etc., cum omnino sint conjungenda cum superioribus. *) Etenim aperte hoc dicit poeta: Pythagoram discipulos *rerum caussas, et quae cum naturae, tum divini Numinis esset ratio, docuisse*, ne scilicet, vulgi more, inani superstitione turbati, quae ad caussas naturales erant referenda, ea divina vi effici, iratique Numinis signa esse existimarent, qualia sunt illa, quae deinde commemorantur, *nives, fulmina, tonitrua, terrarumque motus*. Qui sensus cum per se sit commendabilis, tum inprimis firmatur illo versu:

Iuppiter an venti discussa nube tonarent.

Ex quo clarum fit, vocem *Deus* aliquo intervallo ac legendi velut mora esse a sequentibus separandam, quod ipsum verior ista interpunctio praestabit:

Et rerum caussas, et quid natura, docebat,
Quid Deus; unde nives, etc.

Alter locus legitur post versum 155. eumque ita distingui jubet Marklandus: **)

Corpora sive rogus flamma, seu tabe vetustas
Abstulerit, mala posse pati non ulla putetis,
Morte carent animae, cet.

---

*) Hunc locum etiam a PAPINIO STATIO male esse intellectum, docet ejus imitatio Silv. V. 3. 19.

At tu, seu membris emissus in ardua tendis,
Fulgentesque plagas, rerumque elementa recenses,
Quis Deus, unde ignes, quas ducat semita Solem.

**) In notis ad STATII Silv. II. 4. 74.

Itaque ille vocem *animae* etiam ad praecedentia pertinere, constructionemque hanc esse existimat: *ne putetis, animas posse pati mala ulla; quippe morte carent animae.* Ego vero ita mihi persuadeo, virum doctissimum, si omnem loci contextum diligentius expendisset, eam, quam tam fidenter commendat, interpungendi rationem ultro fuisse abjecturum. Nam, quem ille hac via efficit sensum, *animas post mortem pati ulla mala non posse*, is certe consistere nequit, cum animos in nova corpora migrantes, necesse sit, eamdem, quam in hac vita subierant, fortunae inconstantiam manere. Praeterea hoc tenendum est, poetam ex philosophi mente hic illos oppugnare terrores, qui ex subeundis apud inferos suppliciis nascebantur. Quos vanos esse, duplici ostendit ratione. Ad corpus quidem, inquit, illa, quae finguntur, apud inferos tormenta pertinere non possunt, quoniam illud, sive rogo, sive tabe dissolutum dissipatumque, mali omnis est expers. Neque vero animo inde aliquid est metuendum: quoniam ille ex alio in aliud corpus identidem transiens, isthoc hujus in hisce terris perennantis vitae curriculum continuat. Ex quibus sane patet, viri egregii acumen in hujus loci sensu constituendo plane a vero aberrasse.

Verum nostra prolusio vestrae, Auditores, utilitatis causa maxime suscepta, tandem ad proprium suum munus officiumque redeat, quo monemur novum vobis rite indicere studiorum cursum, bonis verbis auspicandum, persequendumque constanti animorum alacritate ea, cujus spem nobis affert vestrum plerorumque diligens opera praestita litteris superiori cursu, cum publica, publicisque praemiis remunerata, tum privata etiam, atque a doctoribus vestris nihilo secius observata. Quod enim inter vos sodalitatem constituistis, non ludo, nec commissationibus, verum susceptis sponte honestam studiorum laudem aemulantium laboribus frequentandam, illud quis non bonus libenter laudans, lae-

tissimum existimaverit omen animorum in veram stabilemque ex literis gloriam arrectorum? Vos igitur, o boni, quemadmodum coepistis, ita pergite, ut, quanta conjunctae cum publicae institutionis solertia privatae industriae vis sit, vestro exemplo intelligatur!

SCHOLA GRAMMATICA

DE

ARGUMENTO ATQUE CONSILIO CARMINIS HORATIANI,

QUOD EST XXVIII. LIBRI I.

PARS I.

Cum in multorum carminum Horatii lyricorum argumento constituendo, vel discordare inter se videas ejus interpretes, vel incertos fluctuare, tum omnium minime mihi quidem adhuc ad liquidum perducta videtur ejus odae ratio, quae est Libri I. 28. Cujus nostrae opinionis causas lubet vobis, Auditores, hoc tempore exponere, quo solemni more atque instituto disputatione aliqua, a vestris studiis non aliena, redeuntibus cursus scholastici auspiciis nobis est praeludendum. Neque vero hujus opellae nos unquam poenitebit, si id, quod contendimus, videamur consecuti, ut vel ad unum summi poetae carmen rectius judicandum intelligendumque, primum vobis, tum et nonnullis, qui forte ista cognoscent, aliis, duces auctoresque extiterimus.

Itaque prope omnium, quod scio, Horatii interpretum, inde ab Acrone, haec fuit opinio, ut existimarent, isthanc oden totam spectare Archytam, philosophum Pythagoreum nobilem, naufragio in littus Calabriae dejectum. *) Ac sex quidem versus priores vulgo tribuunt nautae cuidam, ad eandem oram appulso, tantique viri, cujus inhumatum corpus in arena invenerat, triste fatum miranti. Huic deinceps per reliquam carminis partem omnem umbra philosophi respondet, partim ejus rei minuens admirationem, commemoratis tum hominum clarissimorum mortibus, tum variis vitae humanae periculis, e fatali cuivis diem suum obeundi necessitate, partim etiam petens ab eo corporis inhumati sepulturam, optima annuenti precando, metum contra, neganti, minis terroribusque addendo.

Ea igitur ratio quamvis carmen leviter percurrenti ipsa sese sponte offerat, neque omnino aliquid in se videatur habere, propter quod rejicienda existimari debeat, tamen, ni fallor, rebus omnibus accuratius excussis parum verosimilis reperietur. Iam ante omnia, si ad illud attendas, quod carminis summam atque caput constituit, nonne prorsus singulare est, philosophum videre Pythagoreum de corporis sui sepultura tantopere laborantem? Ista nempe, quae corporis humandi curam veteribus in primis commendabat, popularis de Styge centum annos oberranda superstitio, totaque de inferis doctrina,

Materies vatum, falsique piacula mundi,

ea igitur omnia ecquid poterant pertinere ad illum, qui alium esse animorum cursum e corpore excedentium,

*) De Cruquio, qui Horatium sub Archytae nomine *L. Tarutium*, nobilem ejus aetatis astrologum, perstringere existimat, aut de Baxtero, qui illum hac ode Bruti fata deflere opinatur, similibusque aliorum nugis dicere, haud sane est operae pretium.

fatali lege atque ordine conficiendum sibi persuasisset? At, inquit Ianus v. cl., secutus est poeta communes sensus, potuitque philosophus quoque Pythagoreus, licet illud de Styge non crederet, ut homo certe, poscere, nautam humanitati tantum tribuere, ut se humaret. Ego vero, ut facile concedam, poetam, quamvis aliter sentientem, in carmine plerumque permultum dare posse opinioni vulgari, tamen id ab meo quidem sensu judicioque numquam impetrabo, ut istiusmodi aliqua excusatione huic causae satis consultum arbitrer. Utcunque igitur tam sollicitam, tamque religiosam corporis sepeliendi curam ego in poeta, vel de se ipso, vel de alio quovis loquente, sine ulla offensione feram, tamen eadem res in omni Pythagoreorum familia, quorum tantopere fuit nobilitata illa de animorum post mortem migratione doctrina, facillime mihi valere videtur ad irrisionem; eaque me haud fere aliter affici fateor, quam si a poeta quopiam recentiore Voltaerii umbram inductam legam, ab sacerdote aliquo preces missales flagitantem. Itaque hoc, ut opinor, probabit nemo, nisi qui forte totum isthoc carmen talem aliquam disciplinae Pythagoricae spectare irrisionem existimaverit; quae certe multorum interpretum fuit opinio, in pervulgata hujus odae judicandae ratione propemodum necessaria, neque prudenter sane ab iis, qui novam rationem nullam docerent, explosa.

Sed si quem forte minus ista moveant, habemus certe alias, easque nescio an graviores, dubitandi causas, ab ipso carminis argumento, eorumque, quae in illo dicuntur, natura depromtas. Non equidem quaeram, unde nauta iste, hoc, quod in littore adspexerat, cadaver Archytae philosophi esse, tenuerit: praetereo etiam isthanc artium geometricarum, astronomicarumque admirationem, in homine mercaturam faciente paullo insolentiorem: illud autem videbimus, ecquam ipsa Archytae umbra in hoc dialogo personam sustineat, et

quanam ratione illa, quae ab eo respondentur, cum iis, quae nauta prior dixerat, videantur consentire.

Itaque primum Archytas nautae tanti philosophi casum miranti sic respondet:

Occidit et Pelopis genitor, conviva Deorum,
Tithonusque remotus in auras,
Et Iovis arcanis Minos admissus: habentque
Tartara Panthoiden, iterum Orco
Demissum; quamvis clypeo Trojana refixo
Tempora testatus, nihil ultra
Nervos atque cutem morti concesserat atrae.

Videtis versus posteriores ad Pythagoram pertinere, quem vetus fama tradidit affirmasse, se belli Trojani tempore Euphorbum Panthoi filium fuisse, quemque praeter alios Heraclides Ponticus scripsit, in Apollinis fano apud Branchidas, Euphorbi clypeum in pariete fixum agnovisse pro suo. Atque omnino haud erat inexpectata Pythagorae inter viros claros commemoratio, a philosopho Pythagoreo facta. Illud, ut puto, quisque mirabitur, hanc illius mentionem ita fieri, ut Archytas videri possit voluisse suae familiae principem nautae propinare deridendum. Neque enim emunctae naris hominem ullum fugiet versuum istorum, praecipue postremi nequitia, cum sensu ipso, tum inprimis subtili vocabulorum dilectu patens.

Verum pergit:

Iudice te non sordidus auctor
Naturae verique.

Quo judice? nauta? Absit vero hoc nefas et a Pythagora, et ab Archyta, maxime autem ab ipso Horatio! Sed, inquit Gesnerus post Dacierium, noverat scilicet Archytas, magnam esse Pythagorae in Italia auctoritatem, etiam apud vulgus. Quod ut sit verissimum, sicut est, nonne tamen vel maxime absurdum foret, Archytam ipsum philosophum de Pythagorae doctrina testem atque judicem appellare nautam? Quis recentiorum phi-

losophorum Leibnitio fuit celebrior? Cujus nomen famamque, quis vel hodie tam rudis est, atque barbarus, ut ignoret? At quam ridiculus foret poëta, Mendelsohnium inducens, de hoc viro judicium mercatori deferentem? Hoc igitur, qui intellexerunt, quale foret, iis satius visum est, nautae orationem a principio carminis continuare ad versum usque vicesimum. Scilicet, ut tanto major esset doctrinae, in homine minime erudito, admiratio. Equidem ne Sanadonis quidem rationem, quamvis multo meliorem illam, probaverim, superiora illa Archytae, haec autem postrema verba nautae tribuentis. *) Nam eorum sensus et elegantia parum sapiunt nautae indolem atque conditionem, quaeque ab Archyta dicta tandem aliquid significarent, eorum, si alteri tribueris, vis omnis plane frangetur: praeterea iste nauta sermonis vices hic ita plane praeter exspectationem excipit, ut interloquentis munus atque personam quocunque modo voluisse tueri videatur. Nonnemo autem haec Archytae auferri non posse intelligens, praesidium quaerendum existimavit ab emendatione, ita nimirum legens:

Iudice me non sordidus auctor cet.

idque tam certo conjectum judicavit Ianus, ut religioni haud duxerit, veterem lectionem constanti librorum consensu stabilitam de sede sua exturbare. Ego vero fateor, et facilem esse hanc emendationem, et necessariam iis, qui pervulgatam hujus carminis interpretandi rationem volunt tueri. Illud autem, opinor, mihi quisque dabit libenter, ut rationem potiorem judicet eam, quae emendatione quidem nulla indigeat.

Tandem Archytas corpus suum sepeliendum nautae commendat his versibus:

---

*) Ita partes quidem video distributas in editione illa, quae Parisiis prodiit anno 1756. 12.

At tu nauta vagae ne parce malignus arenae
Ossibus et capiti inhumato
Particulam dare, et q. s.

His igitur, quaero, quomodo conveniat cum iis, quae ab initio carminis sic leguntur:

Te, maris et terrae numeroque carentis arenae
Mensorem, cohibent, Archyta,
Pulveris exigui prope littus parva Matinum
Munera.

Nam si ista pulveris exigui munera Archytam jam *cohibent*, id est, si corpus ejus jam est humatum, cur illius umbra eadem ipsa pulveris munera demum a nauta flagitat, ossaque et caput *inhumata* dicit? Hunc igitur dignum vindice nodum interpretes nullo se negotio soluturos pollicentur. Sed, quod merito mireris, cum plures eam difficultatem verbis extenuent, facilemque et expeditam esse responsionem affirment, unusquisque tamen, spreta alterius ratione, suum quoddam ac diversum iter tenent, per quod unum sperant exitum posse ex istis turbis reperiri. Quid igitur haec tanta eorum dissensio declarat, nisi hoc ipsum, locum istum versari haud in mediocri difficultate, quam quidem volentem expedire, facillimum fuerit, aberrare a vero? Nos autem, num quis eorum hoc, quod speraverunt, praestitisse existimari possit, videamus.

Atque ut initium faciamus a Turnebo, ille quidem existimat, *poetam, tanquam humatione aliqua jam facta, exorsum esse: Archytam vero, tanquam projecto adhuc cadavere, loqui.* Ejus igitur ratio, si quid intelligo, haec est, ut dicamus, poetam carmen incipere, tanquam ex sua persona loquentem; ipsum pro se plorare tristem Archytae casum, non ut recentem, sed ut veterem ac magno temporum intervallo remotum; ipsum hinc naturali sensuum cogitationisque vinculo deferri ad aliorum clarorum hominum, tristi fato occidentium, reminiscentiam, et quae his similia deinceps

leguntur. Unde autem statim post haec se infert Archytae umbra? Aut quae est ista orationis atque personae tam subita commutatio, nulla arte adjuta, nulla praeparata carminis conversione? Itane? cum Horatius dixerit,

> Mixta senum ac juvenum densentur funera, nullum
> Saeva caput Proserpina fugit:

hic propere aderit Archytas, sermonem ita excipiens:

> Me quoque devexi rapidus comes Orionis
> Illyricis Notus obruit undis.
> At tu nauta vagae etc.

Erras, o bone! neque hic, quem vides, nauta est, sed elegantissimus poëta. Quod autem de corpore quereris inhumato, si nil nisi sepulcri caerimoniam quaeris; hujus tibi jam neque usus est, neque facultas facilis; sin Styga centumque annorum illum numerum horres, eo nimirum dudum defunctus es. Equidem vix existimo, Turnebum ista scribentem, aut Horatium inspexisse, aut, quid sibi vellet, cogitasse.

Dacierius vero Scaligerum aliosque in loco isthoc, facili, ut putat, reprehendit haerentes. *Sed facilis est*, inquit, *responsio. Nimirum jam alii praetereuntes pulveris aliquantulum in corpus Archytae injecerant: idemque ut nauta pergat facere, orat philosophi umbra.* Hoc ego dico esse in rebus discernendis acumen haud vulgare! Sed cum huic explicationi illud unum videri possit obstare, quod ab initio carminis munera ista pulveris quantulacunque Archytam dicuntur *cohibere*, nova sane ratione eum locum interpretatus est ita, quasi hoc diceret nauta: *parva pulveris munera tibi negata te morantur.* Verum ut haud dicam, quam sit contorta ea interpretatio, illud profecto palam est, illam a vera hujus loci vi atque sententia prorsus esse alienam. Neque enim primis hisce versibus ullus de sepultura est sermo. Illud unum dolet iste, sive nauta,

sive poëta, seu cuicunque tandem haec oratio est tribuenda, is igitur nonnisi hoc unum dolet, mortem tale ingenium abstulisse, nil Archytae profuisse ad effugiendum fatum divinum illum animi impetum ac celeritatem, qua sidera coelumque omne esset pervagatus, illum, qui mente ac cogitatione maria, terras, omnemque mundum esset amplexus, jam minimo spatio concludi, illum, qui arenarum numerum infinitum ad calculos vocasset, jam tantillo arenarum numero obrui totum. Hunc sensum per se certum atque evidentem illa etiam vindicant, quae proxime sequuntur, in quibus omnis de morte, nulla autem de sepultura est quaestio. Itaque tota jacet Dacierii ratio, neque ullo modo nodum illum dissolvit: in quo etiam Ianus frustra vires suas experitur.

Ejus autem verba haec sunt: „*Cohibere*, i. tenere, „continere, non modo locus clausus dicitur, sed univer- „se quem quis *occupat*. Sic nulla contradictio est in „his, et v. 23 sqq. Quam ut effugerent interpretes, „mire se torserunt.“ Verum ista citius dici, quam probari, quis non videt? Ego quidem vehementer vereor, ut ea, quam vir doctissimus verbo *cohibere* tribuit, significatio idoneis auctorum exemplis possit vindicari. Etenim constanti, quantum scio, scriptorum usu sic dicitur, ut aut quandam virium oppositarum velut pugnam, aut obstaculum aliquod impedimentumve significet extrinsecus objectum. De loco vero, quem aliquis occupat, illud recte dici, ego nemini facile credam, nisi certa testium probatorum auctoritate demonstranti.

Quin tu igitur, inquiat aliquis, nobis hoc expedi, quo pacto nauta illud Archytae cadaver in littore potuerit videre, si jam erat sepultum! Aut dic, quaeso, ecquam tu ipse inveneris rationem, ab iis omnibus liberam incommodis, quae inesse existimas in pervulgata hujus totius carminis interpretatione? Equidem si hoc, quod ab initio hujus disputationis eram professus, obti-

nui, ut docerem, eam, quam Horatii interpretes in hujus carminis argumento consilioque constituendo inivissent, rationem stare nullo modo posse, fidem obligatam omnem me penitus liberasse arbitror. Verumtamen, ne quem, quantum in me fuerit, destituisse videar, etiam hoc in me suscipio, suo, ut spero, tempore perficiendum, ut, nisi certa, planeque explorata, certe verisimilia doceam, ab iisque libera incommodis omnibus, quae hactenus a nobis sunt indicata.

Vos vero, Auditores, cursum illum, cui hisce praelusimus, ingredimini animorum alacritate ea, quam non legum, aut necessitatis, sed honoris vestri atque utilitatis ratio a vobis flagitat. Ita certe Deus quoque O. M. studia vestra secundabit, eamque, qua digni estis, laborum tribuet remunerationem.

P. II.

Postquam ea, quae de interpretum circa carmen illud Horatianum erroribus anno superiori monuimus, typis jam essent aliquamdiu vulgata, ejusdem fere argumenti prodiit *Heinzelmanni*, viri docti, commentatio, *) qua ille tritam ab aliis ante se viam deserens, unius litterulae mutatione, novam se, multoque commodiorem totius carminis constituendi rationem invenisse, est arbitratus. Igitur post versum 21. Heinsii, pro *me* legentis *te*, conjecturam amplexus, omnem orationem uni tribuit poëtae, animi sui de Archytae

*) Vid. Philosophische Blicke auf Wissenschaften und Menschenleben, für reifende Jünglinge, herausgegeben von I. C. F. Heinzelmann und C. D. Voss. Ersten Bandes erstes Stück. S. 120 ff.

exitio sensa ad Graeci forte cujuspiam auctoris exemplum exponenti. In qua opinione confutanda eo minus opera nostra desideratur, quod jam exstat de illa *Wolfii*, viri clarissimi, diligens admonitio, ejusdem libri tomo secundo inserta. Ut enim praeteream durissimam illam sane, atque inanem etiam poëtae, cum loco, tum multo magis tempore disjuncti adlocutionem, et, velut in recenti infortunio, luctum, et de sepultura, in corpore hoc munere dudum defuncto, obtestationem; quae sub carminis finem leguntur, ea profecto sunt talia, ut, quod verissime a Wolfio est observatum, ab nemine certe alio, nisi ab ipsa defuncti corporis umbra dicta possint existimari. *)

Quae quemadmodum recte monuisse virum doctissimum judico, ita eidem veterem carminis hujus intelligendi rationem adserenti haud quaquam profecto ego assentiar. Etenim necdum illa satis sublata incommoda videntur, quae Heinzelmannus attigerat, restantque plura adhuc anno superiori a nobis exposita. Quod quidem sane non est, ut miremur, illum, disertissimum quamvis patronum, desperatae causae consulere cupientem, spe sua conatuque excidisse. Nobis autem liceat, omisso rei, nulla arte defendendae, patrocinio, ipsi potius poëtae, quam ejus commentatoribus, praesidium aliquod quaerere ab nova ratione, quam ita velim quisque vel veram arbitretur, vel probabilem, ut cum toto carminis argumento, praecipuisque ejus momentis congruentem, tum ab omnibus liberam incommodis judicaverit, quae olim a nobis sunt indicata.

*) Die ganze Stelle, von *At tu nauta*, mit ihrem nachdrücklichen *sic*, mit ihren gehäuften kurzen Sätzen, enthält offenbar Bitten und Beschwörungen, mit einer Kraft und Wärme gesagt, wie man *nur für seine eigne Haut* thun kann. Ebendas. II. St. S. 123.

Quod igitur interpretes plerique omnes hoc carmen ad deplorandum Archytae exitium a poeta conscriptum esse existimarunt, quodque in eo plurium personarum sibi visi sunt deprehendisse dialogum, ejus quidem rei utriusque facile rationem, causam vero sic statuendi necessariam plane video nullam. Cur enim non potius putemus, aliam personam quamcumque a poëta induci loquentem, cui omnis a principio carminis usque ad finem oratio sit tribuenda? Umbram dico hominis naufragio exstincti, qui et fati sui acerbitatem, cum simili Archytae exitio, tum clarissimorum hominum comparatione, atque imposita tandem omnibus moriendi necessitate soletur, a praetervehente denique hanc oram nauta corporis sui flagitet sepulturam. Hac igitur mente mihi quis totum perlegat carmen, ac deinde dicat, an vel minima intelligendi aut explicandi sibi objiciatur difficultas, an non potius dubia omnia evanescant, singulaeque carminis partes huic consilio ultro sese videantur commodare? Id, puto, et ii, quibus vulgaris ratio fuit probata, et qui in illa se adquiescere posse negant, perinde fatebuntur. Quod si ita est, quidni potior habenda sit ratio ea, in qua neutri parti quidquam restabit desiderandum?

Sed quaeris, cujusnam tandem hominis illa sit umbra, quam induci hic a poëta existimem? Quid autem, si illud me fatebor ignorare: an ideo res ipsa minus fuerit probabilis? Aut quis, ut hoc unum afferam, de odarum libri primi decimae sextae, aut secundi quintae argumento consiliove dubitaverit, etiamsi parum constet de illarum, in quas scriptae sunt, puellarum nominibus? Caeterum ego ne in hoc quidem conjectura destituor, quam videlicet jam proferam, modo hoc pro se quisque meminerit, utcunque de illa videatur statuendum, cum proposita a me ratione id nullo modo esse conjunctum.

Dico igitur, me arbitrari, Horatium suam ipsius umbram inducere, tanquam naufragio extincti. Novum id sane, ac singulare prorsus multis visum iri, haud dubito. Quid autem? hoc mirabilius, quam quod poëtae tot veteres atque recentiores vivi in se epigrammata fecerunt, suorum sepulcrorum monumentis inscribenda? At vero, inquis, illi omnes in certum hoc fecerunt mortis eventum: quid autem magis inauditum ac novum, quam a quoquam vivo et salvo, sine ulla probabili causa, certum exitii genus fingi? Omnino, si quis Horatium hoc ita finxisse diceret, quemadmodum fingi possunt innumerabilia, quae, ut fieri potuerint, tamen futura esse, ne minima quidem umquam probabilis causa persuasit, ipse profecto hoc non singulare modo, sed vel maxime absurdum judicarem. Sed fac, illum esse naufragio aliquando periclitatum, aut certe aliqua jactatum tempestate, quid magis erat naturale, quid Horatii, ut sic dicam, similius, quam eum periculi hujusce memoriam eodem modo voluisse carmine nobilitare, quo arboris interitum sibi minitantis lapsum ode L. II. 13. celebravit?

Atqui illud, quod posui, verum esse, ipse te poëta docebit, libri III. carmine quarto, Musas sic adloquens:

Vestris amicum fontibus et choris,
 Non me Philippis versa acies retro,
Devota non extinxit arbos,
 Nec Sicula Palinurus unda.

Quamquam hic quidem locus aliquam habet dubitationem inde, quod *Palinurus*, *undaque Sicula* plane videantur esse aliena ab eo itinere, quo in nostro carmine *Illyricis undis* Notum sese fingat obruisse. Quod si tamen verum est, quod scribit Acron, superiora illa de Horatii e Macedonia reditu esse intelligenda, certe in uno eodemque itinere, primum in mari Illyrico, ac deinde a cursu suo tempestate depulsus, circumnavigata Sicilia, ad Palinurum potuit naufragii adiisse pe-

riculum. Caeterum, si quis haec malit referre ad illam tempestatem, qua Octaviani classem, in Siciliam ituri, circa Veliam Palinurique promontorium laceratam esse, Dio atque Vellejus scribunt, ego quidem haud pugnabo. Neque ideo alio destituar testimonio, quo Horatium ad has quoque, de quibus in nostro carmine loquitur, oras aliquando esse periclitatum evincam. Illa dico, quibus Galateam iter in Graeciam parantem a proposito consilio conatur absterrere:

> — vides, quanto trepidet tumultu
> Pronus Orion? ego, quid sit ater
> Adriae, novi, sinus: et quid albus
> Peccet Iapyx.

quae quidem verba de periculo, quod non audiendo modo, verum experiundo cognoverit, esse intelligenda, doctissimus quisque lector mihi, opinor, facillime concedet.

Hoc igitur, quod posuimus, effecto, age jam totum carmen ad hanc opinionem exigentes, videamus, quo pacto illi cum ea, quam finximus, ratione conveniat. Videlicet Horatio ad istam oram periclitanti, proximumque littus Matinum intuenti, non facillima modo, sed propemodum necessaria esse debuit Archytae ibidem naufragio extincti ac tumulati cogitatio. Atque tum ille fortasse haec et similia animo versabat: „Qui-„nam tandem ex istis turbis exitus me manet? An forte „idem, qui te illic, Archyta, magni nominis virum, tu-„lit, atque antea videlicet omne rerum immensum cor-„pus animo complectentem, tantillo jam arenarum cu-„mulo obruit totum? Quid autem queror? Nonne haec „communis tandem omnium sors est? Atque etiam illu-„striores te viros abstulit mors atra, in quibus ipsum „magistrum tuum Pythagoram, egregium, tuo judi-„cio, naturae verique omnis scrutatorem, atque arbi-„trum; illum inquam, qui morti vilissimam nonnisi „sui partem concedens, reditum in hanc vitam satis fe-

„stive fuit commentus. — Quid vero? De meo cor-
„pore quid fiet in littus ejecto? Insepultumne, ac sine
„honore manebit? Immo aliquis ad has oras adlapsus
„mihi justa persolvet. Hoc uti feceris, o bone! quis-
„quis eris, sic tibi ex voto omnia fluant, omnisque
„tempestatis impetus a fluctibus Hesperiis in silvas con-
„vertatur Venusinas. Quamvis autem fortasse lucri
„avidus metues facere temporis dispendium, tamen vel
„innata religio, vel memor humanae vicissitudinis ani-
„mus, non te patietur officium mihi denegare, quo tu
„ipse careres aegerrime."

Atque hanc jam rationem si quis contulerit cum illo, quem alii sibi finxerunt, Archytae nautaeque dialogo, ad meum quidem sensum mirifice languente, aut fallor, aut is reperiet, non totam modo orationis seriem facilius procedere, sed et universum carmen per se multo magis spirare, ac vigere: ut nihil dicam de illis incommodis, quae ab ista ratione abesse omnia, nunc facillime jam ostendam.

Primum igitur ea, quae fit versu 10. et seqq. dogmatis illius Pythagorici talis mentio, quam longe aliter decet Horatium, istorum somniorum derisorem, quam Archytam, ipsum hujus disciplinae sectatorem! Porro voces illae *judice te*, quae ad nautam relatae plures merito interpretes offenderunt, in Archytam quam praeclare conveniunt! Praeterea, quam notavimus, inter initium carminis, ejusdemque finem inconstantiam, ea sic nomne optime erit sublata? Denique, quod dixi, illam tam sollicitam, tamque religiosam, de corpore sepeliendo obtestationem in philosopho Pythagoreo facile valere ad irrisionem, id jam in poeta, ut minime superstitioso, ita ritus patrii, opinionisque pervulgatae haud plane incurioso, jam aliquantum mutatur. Quae omnia modo attingo, nec, ut poteram, pluribus expono, ne lectorum videar vel ingenio diffidere, vel judicio.

Hactenus quidem omnia recte et apposite in nostra ratione, quae in altera absurde. Sed unum praeterea addam, quod, ut ferri in illa possit, ita in nostra etiam dilectum habet quemdam proprium, atque singularem. Quid igitur est, quod Archytas omnem tempestatis iram a fluctibus Hesperiis in silvas *Venusinas* velit conversam? Nempe sollemni poetarum more has silvas nominat pro quibusvis. Audio, nec recuso. Quis autem non intelligit, quanto sit efficacior, atque, ut sic dicam, praegnantior sensu, isthaec talis paterni quasi fundi atque laris commemoratio, in hacce rerum connexione ab Horatio facta?

Haec igitur atque superiora omnia numquid valeant ad rationem a me propositam commendandam, aliorum esto judicium. Illud non possum quin dicam, si conjectura omnis tanto sit probabilior habenda, quanto plura rei explicandae momenta cum illa prorsus conveniant, hanc quidem mihi maxime videri confirmatam.

Sed fortasse fuerit, qui miretur, Horatium, si tamen istiusmodi periculi memoriam voluerit celebrare, eam inivisse viam, ut periculum cum ipso commutaret exitio, eoque casu, quem tempestas ipsi modo esset minitata, sese fingeret oppressum potius, quam ipsam rem, qualis fuerat, legentium velut oculis spectandam proponeret. Atqui hac re adeo non offendor, ut in hoc ipso maxime ego poetae agnoscam judicium. Quid enim faceret? Scilicet ventos incitaret, fluctus tolleret, coelum ac terras misceret, horridaeque tempestatis strepitu atque fragore impleret versus?

Omnia jam volgata. Quis aut Eurysthea durum,
Aut inlaudati nescit Busiridis aras?

Hasce igitur inanes atque leviculas nonnullorum poetarum, in describendis turbis procellisque mirifice sibi placentium, nugas Horatius relinquens, proque illis animi praesentis periculi cogitatione perculsi sensa expo-

nens, certe nihil aliud fecit, nisi quod poetae eximii dignum erat judicio.

Id autem cum per se potuit facere, tum fortasse graeci cujusdam poetae imitatione, cujus in hoc carmine vestigia sibi etiam visus est deprehendisse Janus, vir doctissimus. De qua re etsi aliquid statuere tanto sit difficilius, quod in lyricorum graecorum reliquiis nullum inventum est carmen, ad quod referenda haec ode videatur, tamen meam aliquam insuper addam conjecturam, non penitus illam fortasse aspernandam. Etenim suspicor, Horatium, quem hic potissimum sequeretur, auctorem habuisse Simonidem, quem Cicero *de divinatione* libro II. c. 27. scribit, *quum ignotum quemdam, projectumque mortuum vidisset, eumque humavisset, haberetque in animo, navem conscendere, moneri per somnum visum esse, ne id faceret, ab eo, quem sepultura adfecerat; si navigasset, eum naufragio esse periturum.* Quam eamdem rem narrans Valerius Maximus I. 7. addit: *Simonidem, memorem beneficii, elegantissimo eum, a quo esset monitus, carmine aeternitati consecravisse.*

Atque haec quidem hactenus. Restat tandem, ut ad novum hunc, cujus causa haec est a nobis prolusio instituta, studiorum cursum, auspice Deo ingrediundum, et vos, a quibus nuper non sine desiderio discessimus, et vos, quorum in posterum curam novi muneris officium nobis commendat, utriusque Collegii alumnos exhortemur. Vos igitur, o boni, cogitate, quam animorum in optimas litteras intentionem et vestra utilitas, et muneris aliquando gerendi dignatio, et praemiorum vobis propositorum cum munificentia tum splendor, ante omnia vero patriae vestrae respectus, praesertim in hac tanta seculi levitate, ac doctrinae severioris flagitiose jacentis neglectu, a vobis exigant. Quod uti feceritis, sic et nobis docentibus, et discentibus vobis laboris optime constabit ratio.

TENTATUR LOCUS CICERONIS
E PARADOX. V. CAP. 2.

Inter innumerabiles Ciceronis locos, criticorum cura nequaquam satis adhuc perpurgatos, unus e difficilioribus mihi videtur is esse, quem Paradoxon V. Cap. 2. continet, sic habentem. „Atque ut in magna familia „sunt alii lautiores, ut sibi videntur, servi, sed tamen „servi, atrienses ac topiarii, pari stultitia sunt, quos „signa, quos tabulae, quos coelatum argentum, quos „Corinthia opera, quos aedificia magnifica nimio opere „delectant." De quo loco, commilitones! ut isthac scribendi occasione diligentius commentarer, privatae nonnullorum ex vestro numero adolescentum industriae putavi tribuendum, qui nunquam non gratissimi domum meam frequentant, de communi studiorum causa me consulentes. Qui quum de horum verborum constituenda lectione ambigerent, et ego meam de eadem re promerem sententiam, simul hoc, qualecunque erat, signare stylo decrevi, ut, sive locum persanassem, cum pluribus id communicaretur, seu operam lusissem, a doctioribus eo facilius admonerer.

Sed ut omnem sive vulneris sive morbi curationem antegredi debet corporis affecti cognitio, ita, priusquam loci sanandi rationem expediamus, et quae causae corruptelae mihi afferant suspicionem, et qua in parte haerere mendum arbitrer, pluribus puto disserendum. Et quoniam meo quidem judicio ea, quam

dixi, corruptela haud in verborum aliqua depravatione, verum in sententiarum haud quaquam apta inest collocatione, ante omnia locum ipsum dabimus ab initio ad eum usque terminum, quem ipsa causae cognitio postulabit, productum.

„An ille mihi liber, inquit, cui mulier imperat? „cui leges imponit, praescribit, jubet, vetat, quod vi„detur? qui nihil imperanti negare potest, nihil recu„sare audet? Poscit? dandum est: vocat? veniendum: „ejicit? abeundum: minatur? extimescendum. Ego „vero istum non modo servum, sed nequissimum ser„vum, etiamsi in amplissima familia natus sit, appel„landum puto. Atque ut in magna familia alii sunt „lautiores (ut sibi videntur) servi, sed tamen servi, „atrienses ac topiarii, pari stultitia sunt, quos signa, „quos tabulae, quos caelatum argentum, quos Corin„thia opera, quos aedificia magnifica nimio opere dele„ctant. At sumus, inquiunt, civitatis principes. Vos „vero ne conservorum quidem vestrorum principes „estis. Sed ut in familia, qui tractant ista, qui ter„gunt, qui ungunt, qui verrunt, qui spargunt, non „honestissimum locum servitutis tenent: sic in civitate, „qui se istarum rerum cupiditatibus dediderunt, ipsius „servitutis locum paene infimum obtinent."

Ita quidem Graevius e codd. mirum in modum variantium vestigiis lectionem constituit; si de singulis verbis quaeras, meo judicio verissime; si sensum spectes, nulla ex parte bene. Quanquam locus jam habet ille prima fronte speciem aliquam integritatis, ut et multorum, post Graevium, editorum, et in his quoque Ernestii falleret acumen. Quod igitur in curandis morbis multis saepe accidit, ut externa tantum et in promtu posita spectent, ac, dum vulnus coaluerit, parum febrim praevideant, aut sanguinis ictum, ex ipsa forte curatione contractum, idem hic passum esse puto virum doctissimum, qui verbis modo restituendis

intentus, haud animadvertit graviorem illam sensus ac sententiarum perversitatem. Ut enim id, quod totum grammaticum est, praeteream, in verbis istis, *pari stultitia sunt*, vocem *sic* vel *ita*, quam particula comparativa *ut*, in superiori membro posita, exigebat, omnino durius, et haud scio an parum latine, omissam, iste talis ab eo, cui mulier imperat, ad eum, qui nimia varii generis artificiorum cupiditate tenetur, transitus quam durus est, quam parum praevisus, quam nullo denique vel verborum vel sententiarum vinculo munitus? Etenim verba illa legens, *atque ut in magna familia* cet. quis rem novi argumenti exspectat, quis non potius eorum, quae ante dicta sunt, vel confirmationem aliquam, vel illustrationem?

Ipsa autem illa servorum cum stultis comparatio quorsum pertineat, quove consilio sit instituta, equidem fateor, me parum intelligere. Nam quod dicit, servos aliis esse alios lautiores, horum etiam genera commemorans, atrienses ac topiarios, non aliter certe ad comparationem valebit, nisi idem dicat, stultos perinde aliis esse alios aut tolerabiliores aut absurdiores judicandos. Atqui plane contra, eos, quos signa, quos tabulae, caeteraque luxuriae instrumenta nimio opere delectent, pari praedicat stultitia, et, quod merito mireris, perinde pari, ut servi alii sint aliis lautiores, id est, haud pari conditione. Quo quid magis contrarium fingi posse dicam, ego profecto non habeo. Qualis autem porro isthaec est inconstantia, ut, quos hic pari cum caeteris stultitia dicit, eosdem paullo post idem contendat servitutis ejus, quae est a stultitia, locum paene infimum obtinere? Ego vero quidvis potius credam, quam Ciceronem tantam sui oblivionem capere potuisse.

Sed fortasse nos magnopere erramus, Ciceroni ea tribuentes, quae nec cogitavit, nec dixit. Quid enim? si hoc voluit: in magna familia, utut alii lautiores sibi

aliis videantur, omnes tamen esse servos; idemque, cum *pari stultitia* dixit, non modum aut mensuram, sed tantummodo genus nos voluit intelligere. Quo posito, loci istius hujuscemodi quaedam erit sententia. „Quemadmodum in magna familia illi etiam servi, qui „se ceteris lautiores existimant, tamen sunt servi, ita „etiam illi, qui signorum, tabularum, et quae sunt „ejusdem generis, aliarum rerum cupiditati serviunt, „licet ceteris forte se meliores putent, tamen non mi„nus sunt stulti.“

Mihi vero sic scribens Cicero, neque dicendi modum, neque ipsum sensum satis probabit. Cum enim ita lego: *atque ut in magna familia sunt alii lautiores, ut sibi videntur, servi, sed tamen servi*, in his equidem verbis, *ut alii servi sunt lautiores*, enunciationem ego principem ac momentum sententiae, in voce autem *lautiores* comparationis agnosco fundamentum, neque legendi peritus quisquam aliter, ut opinor, sentiet. Tu contra enunciationum formam ordinemque mutans, sententiae pondus potissimum confers in ista verba, *sed tamen servi*, quae plane formam habent enuntiationis, quam dicunt, incidentis; quo fit, ut Cicero tuus sic scripserit, ut grammaticis aut dialecticis initiatus alter nemo.

Quid? quod ne ipsum quidem sensum ego probaverim? Quod enim in omni comparatione recte requiritur, ut res illa, quae cum altera comparatur, huic ab ea quidem parte, a qua quaeritur illustratio, sit simillima, illud in hac causa dico me plane desiderare. Neque enim enuntiationis hujus, *quos signa, tabulae, et similia nimio opere delectant, stulti sunt*, eadem, quae dicitur, identitas est, quae hujus, *omnes servi sunt servi*, aut eadem pariatio, ac si *atrienses* ac *topiarios servos* dixeris. Nam in *atriensi* ac *topiario* apud Romanos *servitus* per se intelligebatur, in *luxuriosis* autem illis *stultitia* e natura luxuriae demum est evol-

venda. Ita fit, ut parum huic rei apta sit ista comparatio. Sed, quod caput est, eodem haec interpretatio incommodo urgetur, de quo supra dixi. Nam servos in magna familia lautiores Cicero opponens iis, quos signa, quos tabulae reliquaque nimium delectant, eo ipso istos cupiditatum servos velut lautiores se agnoscere declarat. Quod quomodo potest is, qui paullo post eosdem istius servitutis locum paene infimum obtinere judicat?

Satis, opinor, docui, lectionem pervulgatam hujus loci stare non posse: sequitur, ut meam de illo constituendo sententiam exponam. Atque illud jam supra fui professus, istam mihi labem non in verborum aliqua depravatione, sed in apta minime enunciationum collocatione videri quaerendam: quas quidem transpositione sic putavi ordinandas. „An ille mihi li„ber, cui mulier imperat? cui leges imponit, praescri„bit, jubet, vetat, quod videtur? qui nihil imperanti „negare potest, nihil recusare audet? Poscit? dandum „est: vocat? veniendum: ejicit? abeundum: minatur? „extimescendum. Ego vero istum non modo servum, „sed nequissimum servum, etiamsi in amplissima fa„milia natus sit, appellandum puto. Pari stultitia sunt, „quos tabulae, quos caelatum argentum, quos Corin„thia opera, quos aedificia magnifica nimio opere dele„ctant. At sumus, inquiunt, civitatis principes. Vos „vero ne conservorum quidem vestrorum principes „estis. Atque ut in magna familia sunt alii lautiores, „ut sibi videntur, servi, sed tamen servi, atrienses ac „topiarii; sed ut in familia, qui tractant ista, qui ter„gunt, qui ungunt, qui verrunt, qui spargunt, non „honestissimum locum servitutis tenent; sic in civitate, „qui se istarum rerum cupiditatibus dediderunt, istius „servitutis locum paene infimum obtinent.“

Ista igitur mutatio num non modo, id quod parum est, omnem tollat interpretandi difficultatem, sed

etiam Ciceronis indolem atque stylum referat, eorum ante alios esto judicium, qui et sensum habent hujus scriptoris assidua lectione formatum, atque aures in primis notandis numeris et orationis ambitu exercitatas. Quorum profecto nemo est, qui non statim agnoscat illum Ciceronis morem, particula *sed* orationem prope innumerabiliter sic continuantis. Quem si exemplis demum aut illustrare velim, aut vindicare, paene ineptus sim. Illa vero orationis institutae aliter, aliter continuatae discrepantia multis fortasse aliquo locorum non dissimilium indigere videatur testimonio, non satis intelligentibus, quo modo a servis lautioribus comparationem ducere incipiens Cicero, ad eos, qui non honestissimum locum servitutis teneant, subito deferatur. Qui si omnia accuratius expendant, intelligent, istam verborum magis quam sensus esse diversitatem, atque brevitatis causa Ciceronem orationis institutae velut cursum alio inflexisse. Quod enim loquentibus non raro usu venit, ut id, quod volunt, commodius se dicere posse, quam inceperant, sentientes, in ipso sermonis cursu se corrigant, idem hic puto Ciceroni accidisse, ut comparationem ita instituens intelligeret, se et brevius et magis accommodate de eo tantum genere servorum esse dicturum, quod parem cum stultis illis, de quibus loquebatur, habebat dignationem. Quod si vero inceptam rationem tenuisset, plena oratio hujuscemodi quaedam erat futura. „Quemadmodum in „magna familia sunt alii lautiores servi, alii minus ho„nesti, ita plane et isti cupiditatum suarum servi aliam „alii habent dignationem. Atque ut ii, qui signorum, „tabularum, similiumque rerum curam habent, non „honestissimum locum servitutis tenent, ita etiam ea„rundem rerum cupidi istius servitutis locum paene „infimum obtinent.“

Jam vero haec, quae nos supplevimus, facile per se intelligenda, omittens Cicero, non modo brevitas

dixit, sed et orationi sermonis familiaris, et de medio petiti speciem quamdam conciliavit, ei consilio, quo Paradoxa ista scripsit, apprime convenientem. Mihi quidem talis quaedam vel constructionis, vel sententiae perturbatio adeo non videtur reprehendenda, ut ad meum certe sensum negligentiam aliquam orationis habeat non ingratam: eaque Ciceronem saepius esse delectatum, paucis e plurimorum locorum numero demonstrabo. Primum quidem excitabo e libro *de Officiis I*, 30. ubi ista leguntur. „Quin etiam, si quis „est paullo ad voluptates propensior, modo ne sit ex pe„cudum genere (sunt enim quidam homines non re, „sed nomine,) sed si quis est paullo erectior, quamvis „voluptate capiatur, occultat et dissimulat appetitum „voluptatis propter verecundiam." In quo loco Cicero epanalepsi haud multo leniori illa primum *ad voluptates propensiorem* simpliciter commemorans, deinde subjungit *paullo erectiorem*. Alterum dabo locum ex ejusdem operis L. III. 26. „Utile videbatur Ulyssi, (ut „quidem poëtae tragici prodiderunt; nam apud Home„rum, optimum auctorem, talis de Ulysse nulla suspi„cio est) sed insimulant eum tragoediae, simulatione „insaniae militiam subterfugere voluisse." Tandem *Tusc. Qu. I.* 1. „Etenim, si orationes, inquit, quas „nos multitudinis judicio probari volebamus, (popularis „est enim illa facultas, et effectus eloquentiae est au„dientium adprobatio) sed si reperiebantur nonnulli, „qui nihil laudarent, nisi quod se imitari posse confi„derent — — — quid futurum putamus, cum adjutore „populo, quo utebamur antea, nunc minime nos uti „posse videamus?"

In horum igitur locorum neutro ea, quae orsus est dicere, finivit. Hactenus tamen, ne quid dissimulem, ab nostro discrepant uterque, quod in his modo dicendi rationem, in illo autem ipsam sententiam mutavit. Quod discrimen si cui tantum videatur, ut can-

dem se velut colligendi licentiam in verbis scriptori concedat, in rebus ferendam minime putet; ejus fastidiosae, ut nobis videtur, diligentiae, pro SED *ut in familia*, ET *ut in familia* legentes, ut parva, sic leni facile mutatione occurremus.

Sed quaerat forte quis, unde librario a vero sententiarum ordine, si hic quidem, quem volo, verus fuerit, aberrandi causam natam existimem. Atque ego, quanquam, si ordinem pervulgatum stare non posse, hunc autem optime se habere, demonstraverim, satis me arbitror mutationem a me propositam commendasse, tamen, quia perspecta aberrandi facilitate, ipsius correctionis augetur probabilitas, quid mihi, omnibus expensis, visum sit, paucis aperiam. Putabam igitur, turbas istas verborum puTO PARI dedisse proximitatem. In quibus coalescentibus cum librarius sibi visus esset deprehendisse vocem TOPIARII inferius paullo exstantem, tum reliqua inde a periodi initio verba, sua sede mota, huc transtulit. Illud unum praeterea addam, quod, si quid aliud umquam, liquido posse me adfirmare arbitror, non id, quod libri omnes habent, *ipsius servitutis* Ciceronem scripsisse, sed *istius servitutis*, *istam* nempe servitutem dicentem, quae ab istarum rerum est cupiditate.

Haec igitur, quae cum nonnullis vestrum egimus privatim, hoc tempore visum est disserere paullo enucleatius, eo magis, quod inter vos esse plures cognovimus, non modo explanandis veterum scriptorum locis conjuncto studio operam sedulo navantes, sed et artis criticae, quae lectionem vel suspectam, vel corruptam diligentius rimatur, aliquo sensu imbutos. Sine qua facultate quemadmodum nemo auctorum veterum vel doctus lector, vel probabilis interpres exstitit, ita haec quoque inter nos studia vigere, bonarum literarum plu-

rimum interesse existimamus. Quanquam, ut optimarum rerum quarumvis, ita et hujusce generis quaedam est intemperantia, in quam prolapsi aliquot superiorum in primis temporum viri docti, universae arti apud imperitos quandam infamiam contraxere. Atque mihi quamquam summorum veteris aevi scriptorum operibus maculas abstersisse, eximium quoddam, ac dignum ingenioso viro munus videatur, singulasque Bentleji, Lipsii, aliorumque emendationes peperisse, quam operis haud contemnendi auctorem me esse malim, tamen eos probare minime possim, qui veterum libros legendi tractandique consilium isthac una re terminandum censuerunt. Quare hoc quidem constanter tenendum est, auctores Graecos Latinosque non haberi, quo emendentur, sed emendari, ut rectius atque expeditius legantur: caeterum ista facultate, cum ad accuratum ac subtile rerum verborumque judicium, tum ad pulcri sensum quam plurimum profici. Ad quem finem si, ut omnes vestros labores, ita hoc quoque studium dirigetis, tum profecto erit, cur illam quoque doctrinae partem imperitorum ineptis sermonibus saepius exagitatam coluisse, ipsi vobis maximopere gratulemini.

Vos autem quaeso omnes, novi cursus, quem istis auspicamur, stadia ingressi, verae studentes laudi, ut fecistis adhuc, porro cum publica debitaque opera privatam atque honorariam industriam gnaviter conjungite. Quod uti feceritis, ita vestrae cum utilitati, tum apud optimum quemque, vestros maxime, qui vos in animo atque oculis ferunt, doctores existimationi praeclare consuletis.

SPICILEGIUM OBSERVATIONUM
IN
M. T. CICERONIS
TUSCULANARUM QUAESTIONUM LIBRUM II

Operum Ciceronis philosophicorum, si partem criticam spectes, vix aliud ullum magis purgatum, atque expolitum arbitror, quaestionibus illis, quas a villa Tusculana inscripsit. Ut enim caeteros, qui aut praecesserunt, aut subsecuti sunt, omnes taceam, unum Bentleji ingenium tot menda mirabili sagacitate aperuit, tot loca affecta persanavit, ut iniquam videri possit secum certandi omnibus deinceps editoribus reliquisse conditionem. Qui si sermonis Ciceroniani usu atque intelligentia tantum, quantum acumine, valuisset, in eo profecto critici Ciceroniani perfecti exemplum expressum intueremur. Nunc vero ab hac parte omnibus praestans, ab illa multis inferior, in mutandis iis, quae erant sanissima, toties a recta via aberravit, ut, qui pulcherrimas emendationes ab illo jam occupatas aegre ferat, certe in lectione vulgata asserenda largam de Cicerone bene merendi habeat copiam. Quod si denique *Wolfius* Halensis, vir doctissimus, quem novam horum librorum editionem moliri accepimus, institutum perfecerit, ita, opinor, huic muneri ab omni parte erit satisfactum, ut pauci ex omni numero veterum libri aeque perpurgati illustratique videantur. Quo accepto nuntio, quemadmodum Ciceronis causa fuimus laetati, ita nobis consilium natum est, librum operis hujus prio-

rem, quo legendo maximopere solemus delectari, denuo excutiendi; ut, quod vir ille doctissimus nobis aliud Ciceronis opusculum edituris officium nuperrime praestitit, *) in hoc quam gratum nobis fecerit, aliquo modo illi declaremus. Vos autem, commilitones, qui nobis ad auspicandum novum studiorum cursum commentatione aliqua rite estis vocandi, quidquid ex isthac opella utilitatis ad vos pertinere potest, id boni ominis causa vos quaeso ne ad irritum cadere patiamini. Hoc igitur agamus, conemurque lectionem modo vulgatam, sed corruptam, restituere, modo integram ab aliorum mutationibus vindicare.

Cap. XI. *Utrum igitur inter has sententias dijudicare malumus, an ad propositum redire? A. Cuperem equidem utrumque, si posset: sed est difficile, confundere.*] Hanc lectionem Bentlejus stultam ac portentosam vocat: „Quid enim obsecro, inquit, sibi vo„lunt ista: *sed est difficile confundere?* Enimvero po„tius distincte, distribute, enucleate scribere difficile est; „confundere, dormitare, labi longe facillimum." Neque magis probat illos, qui, addita negatione, sic legunt: *sed est difficile, non confundere.* Neque enim, inquit, difficile erat, *non confundere* sententias tam varias, tam inter se diversas: *animum esse cor, aut sanguinem, cerebrum, animam, ignem, harmoniam, numerum, ἐντελέχειαν, nihil.* Quare sic ille vult legi: *cuperem equidem utrumque, si posset; esse difficile confitere,* hoc est, *confiteris.* Male, ni fallor, et reluctante maxime Ciceronis genio. Omnino Bentleji acumen loci fefellit sensus, qui quidem talis est: *cuperem equidem utrumque,* te scilicet inter has de animi natura sententias dijudicare, et id agere, quod erat pro-

*) In commentatione, qua praelectiones in academia Fridericiana publice et privatim per hiemem anni 1791. habendas indixit.

positum, ut doceres, *mortem non esse malum: sed est difficile*, haec duo *confundere*, i. e. una disputatione ita complecti, ut ab se non sint separanda. Ergo *confundere* Ciceroni hic idem est, quod aliis locis dicit, *agere confuse*, de genere disserendi minime vitioso loquens; ut de nat. deor. III. 8. *Itaque maxime res tacitae praeterierunt, de divinatione, de fato; quibus de quaestionibus tu quidem strictim, nostri autem multa solent dicere; sed ab hac quaestione, quae nunc in manibus est, separantur. Quare, si videtur, noli agere confuse: ut hoc explicemus hac disputatione, quod quaeritur.* Idem pro P. Sextio II. *Sed quoniam singulis criminibus caeteri responderunt, dicam ego de omni statu P. Sextii, — — contendamque, si modo id consequi potero, ut in hac confusa, atque universa defensione nihil a me — — praetermissum esse videatur.*

XVII. *Num igitur dubitamus, an, sicut pleraque, sic et hoc? quamquam hoc quidem minime: persuadent enim mathematici, terram in medio mundo sitam cet.*] Facile assentior Bentlejo, particulam *an* delenti. Non item illi accedam, verba ista, *quamquam hoc quidem minime: persuadent enim mathematici,* uncinis includenti, ut sequentia cum superioribus sic conjungantur: *Num igitur dubitamus, terram in medio mundo sitam cet.* Quamvis igitur olim ipse, nondum visa mihi Bentleji animadversione, locum ita in ordinem redigendum censueram; tamen postea, accuratius cognito Ciceronis more, animum ultro mutavi. Non enim, si vulgari scribendi consuetudini magis conveniens est illa ratio, magis etiam habenda est Ciceroniana. Atqui deprehendi, Tullium saepe, quae natura atque severa scribendi lege cum enuntiatione priori erant conjuncta, ea cum posteriore aliqua, non sine grata quadam sermonis negligentia, contexere. Sic inf. C. 36. *Hoc premendum etiam atque etiam est argu-*

mentum, de quo, si mortales animi sunt, dubitare non possumus, quin tantus interitus in morte sit, ut ne minima quidem suspicio sensus relinquatur. Ubi vulgaris ratio item sic postulabat: *Confirmato illo (de quo dubitare non possumus), ut tantus interitus in morte sit* cet. De divin. II. 15. *Concedam hoc ipsum, si vis; etsi magnam jacturam causae fecero, si ullam esse convenientiam naturae cum extis concessero.* De offic. I. 10. *Ne noster quidem probandus est, si verum est, Q. Fabium Labeonem — arbitrum Nolanis et Neapolitanis de finibus a senatu datum — cum utrisque separatim locutum* cet.

Eod. *Si vero aut numerus quidam sit animus — — aut quinta illa non nominata magis, quam non intellecta natura: multo etiam integriora ac puriora sunt* cet.] Davisius, quod genus hic non conveniret, edidit, *integriores ac puriores;* quod factum adprobavit Ernestius. Male. Nam ita saepius substantiva non neutra neutrum genus solet excipere: ut de nat. deor. II. 36. *Atque hi tanti ignes, tamque multi non modo nihil nocent, terris rebusque terrestribus, sed ita prosunt, ut, si mota loco sint, conflagrare terras necesse sit* cet. de divin. I. 52. *Earum enim rerum utrumque a corde proficisci.* Sallust. Iug. 38. *Nox atque praeda castrorum hostes, quo minus victoria uterentur, remorata sunt.* Cf. Cort.

XIX. *Eaque ei demum naturalis est sedes, cum ad sui similem penetravit, in quo nulla re egens aletur, et sustentabitur iisdem rebus, quibus astra sustentantur et aluntur.*] Duo sunt in loco isto, ad quae offendas. Nam in voce *similem* durius omnino substantivum reticetur: neque pronomen *quo* ad quid referendum sit, facile intelligitur. Ergo legendum videtur, *in qua*, sc. *sede.* Pro *similem* vero promum sit legere *simile.* Sed forte totum isthoc, *cum ad sui similem penetravit,* insititium judicandum est. Neque enim

nimium placet eadem sententia paucis versibus toties iterata: *cum naturam sui similem contigit et agnovit — cum sui similem et levitatem et calorem adeptus est — cum ad sui similem penetravit.*

XXII. *Quasi vero intelligant, qualis sit in ipso corpore (animus) — ut, si jam possent in homine — cerni omnia, quae nunc tecta sunt, casurusne in conspectum videatur cet.*] Pearcius illud *ut* ferri posse negat, propter particulas *ne* et *an* in posteriore sententiae parte occurrentes: cui assentitur Ernestius, pro *ut* vel cum Lambino *aut*, vel *et* legendum existimans. Sed nihil mutandum. Nam particulam comparativam *ut* ita plane excipere potest interrogandi vel dubitandi particula, quemadmodum nostri homines solent loqui: *Zum Exempel*, *ob* cet. Atque sic aliis locis Cicero, ut part. or. 19. *Tertio autem in genere, in quo, quale sit, quaeritur, aut de honestate, aut de aequitate dicendum est. De honestate sic: ut, honestumne sit, pro amico periculum aut invidiam subire; de utilitate autem sic: ut, sitne utile, in rep. administranda versari.*

XXIV. *Quid enim est illud, quo meminimus? aut quam habet vim? aut unde natam?*] Sic primus Lambinus mutandam censuit lectionem vulgatam, quae talis erat: *aut unde naturam.* Quam ut corruptam esse mihi certissime persuadeam, tamen correctio Lambiniana, licet Davisii codicibus firmata, non tamen prorsus satisfacit. Primum enim iste dicendi modus, *memoria vim suam unde habet natam*, Ciceronem mihi parum refert; qui, aut fallor, aut potius sic dixisset: *aut quam habet vim; aut unde?* Sed nec ipsa sententia verbis istis subjecta, si rem dialectica subtilitate exigas, probari possit. Quid enim *illud, quo meminimus*, esse dicamus, nisi ipsam *memoriam?* Quid porro *vis memoriae?* Num quid aliud, quam *ipsa memoria?* Ergo Cicero, *memoria* unde *memoriam* habeat, quaesiverit? At id quidem absurdum. Quid multa? Mihi

sic scripsisse videtur Cicero: *Quid enim est illud, quo meminimus? aut quam habet vim? aut unde natam?* Id enim quaeritur in tota hac disputatione, num animi atque adeo memoriae, quae est animi quaedam pars s. facultas insignis, origo ad corpus, aut rem ullam corpoream possit referri. Ita paullo post cap. prox. *Quid enim, obsecro te, terrane tibi, aut hoc nebuloso, et caliginoso coelo aut sata, aut concreta videtur tanta vis memoriae?* ubi satis trita periphrasi *vis memoriae* nihil amplius, quam ipsam *memoriam* significat, ut cum *vis deorum* dicitur pro *numine*.

XXV. *Quod si in hoc mundo fieri sine deo non potest.*] Valde probo Bentleji correctionem ita legentis: *quod si hoc in mundo fieri sine deo non potest:* nisi quod pronomen sic transponi malim: *quod si in mundo hoc fieri sine deo non potest.* Nam sic exigere videtur sententiae vis, quae potissimum inest in vocibus istis, *in mundo.* Hoc enim dicit: *in sphaera* sine mente divina id haud magis posse fieri, quam *in mundo.* Praeterea aures numeris Ciceronianis assuetae hunc ordinem, ni fallor, magis probabunt.

XXXI. *Veniet tempus, et quidem celeriter, sive retardabis, sive properabis.*] Ea et veterum editionum et codicum aliquot scriptorum est lectio: quam varie viri docti mutarunt, pro *retardabis*, alii *retrectabis*, alii *retractabis*, pro *properabis*, alii *obtemperabis*, alii *probabis*, alii *parebis*, legentes, quorum nihil placet. Quorsum enim Tullius necessariam mortis imminentis conditionem ostendat ei, *qui nil magis cupit, nisi has res relinquere?* Certe nec cum ratione hoc, nec profecto nimis urbane. Immo, si sapiat, hoc unum dixerit, quod et res habet, et cupienti fuerit gratissimum, vel longissimam moram brevem esse. Ergo recisa una syllaba, e praecedente vocabulo orta, sic legam: sive *tardabis*, i. e. *cunctabere*, eo quidem sensu, quo *cunctari* dicuntur etiam illi, qui nullas ultro moras

nectentes; ad metam tardius deferuntur. Ut inf. 46. *cunctari illum diutius in vita, inutile putabat ipsi:* quodque de divin. I. 26. C. Gracchus Ti. fratri dicit: *quam vellet, cunctaretur, tamen eodem sibi leto, quo ipse interisset, esse pereundum.* Illud forte dubitationem afferat, quod veteres verbo *tardare* intransitive usos esse, exemplis satis certis confirmari nequeat. Quod enim Epp. ad Brut. 18. sic legitur: *quaesivit — an tardare et commorari te melius esset tibi,* hoc ipsum inter signa fraudis Marklandus retulit. Quodque alterum e Virg. Aen. X. 857. afferri possit, *quanquam vis alto vulnere tardat,* id, etsi Heinsius sic intelligat, tamen aliam admittere interpretationem haud ignoro. Sed utcunque de hoc statuendum videatur, vel hoc novasse Ciceronem existimare malim, quam aliorum admittere correctiones. Caeterum quam frequens apud scriptores veteres talis fuerit verborum activorum usus, post A. Gellium XVIII. 12. unum disputantem nominabo Cortium in excursu ad Sall. Iugurth. VII.

Eod. *Tantum autem abest ab eo, ut malum mors sit, quod tibi dudum videbatur, ut verear, ne homini nihil sit non malum aliud certe, sed nihil bonum aliud potius.*] Locum isthunc, quem corruptum esse sensit Ernestius, mihi videor olim sanasse, sic legens: *tantum autem abest ab eo, ut malum mors sit, quod tibi dudum videbatur, ut verear, ne homini nihil sit non malum aliud, certe nihil bonum aliud potius.* Quam emendationem nuperrime approbavit *Chr. Dan. Beckius,* v. cl. *in commentat. acad. de interpret. vett. scriptt. p. LXXIV.* Emendandi causas et rationem plenius exposui *in der Bibliothek der neuesten theologischen, philosophischen und schönen Litteratur.* Vol. III. Tom. II. p. 556 seq.

XXXV. *Quod si ante occidisset, tamen eventum omnino amisisset.*] Bene Henricus Stephanus, utut improbante Ernestio, emendavit: *talem eventum.* Sed

et verbum *amisisset* cubat in mendo. Pro quo Buhierius legens, vel *omnino non vidisset*, vel *omnino amovisset*, operam sane lusit. Mihi vero ita legendum videtur: *talem eventum omnino non habuisset*. Particula negans facile absumta fuit postrema syllaba vocis, *omnino*. Emendationi nostrae favere videtur locus huic geminus, de divin. II. 9. *Quae enim vita fuisset Priamo, si ab adolescentia scisset, quos eventus senectutis esset habiturus?*

Eod. *Coronati Neapolitani fuerunt: nimirum etiam Puteolani: vulgo ex oppidis publice gratulabantur. Ineptum sane negotium, et Graeculum; sed tamen fortunatum.*] Nescio quomodo displicet *negotium fortunatum*. Quod ut facilem habeat intellectum, tamen non magis dicendi magistrum referre videtur, quam eum, qui verba sententiae quomodocunque aptaverit. Itaque recidendam puto ultimam vocem, sermonemque ita finiendum: *ineptum sane negotium et Graeculum; sed tamen!* Unde nascatur aposiopesis oppido elegans et efficax, ut cum Francogalli dicunt: *mais enfin!* Sic noster de nat. deor. I. 33. *Istisne fidentes somniis non modo Epicurus, et Metrodorus, et Hermachus contra Pythagoram, Platonem, Empedoclemque dixerunt, sed meretricula etiam Leontium contra Theophrastum scribere ausa sit? Scito illa quidem sermone et Attico, sed tamen!*

XXXVI. *Sed ne vivus quidem bono caret, si eo non indiget: sed in vivo tamen intelligi potest, regno carere.*] Posterius *sed*, admodum inconcinne repetitum, eliminandum videtur, ut ex postrema syllaba praecedentis verbi natum.

XL. *Contemnamus igitur omnes ineptias.*] Cur *omnes?* Immo, ut puto, hic nonnisi eas intelligit, quas supra dixit Cap. 39. *Pellantur ergo istae ineptiae paene aniles, ante tempus mori miserum esse.* Qua-

re, ni fallor, pronomen excidit, sic restituendum: *Contemnamus igitur istas omnes ineptias.*

Eod. *Qui* (Theramenes) *cum conjectus in carcerem triginta jussu tyrannorum, venenum ut sitiens obduxisset, reliquum sic e poculo ejecit, ut id resonaret: quo sonitu reddito, arridens,* PROPINO, *inquit,* HOC PULCRO CRITIAE, *qui in eum fuerat taeterrimus.* [*Graeci enim in conviviis solent nominare, cui poculum tradituri sint.*] *Lusit vir egregius in extremo spiritu.*] Quae verba uncinis inclusi, ea utique ab antiquario profecta, sine dubio sunt exturbanda. Quem enim usum praestare, aut quid iis explicari dicam? Num vim verbi *propino*, quo toties utuntur scriptores Romani? Num ritum ipsum? Sed nil magis pervulgatum. An, cur Theramenes Critiae propinans, eum *nominarit?* Num poterat aliter? Adde, quod oratio fervens spiransque et inepto et frigido glossemate perquam importune interpellatur.

Atque isthaec rite praefati, novum studiorum cursum vobis, auditores, indicimus: ad cujus finem utinam nemo, nisi doctrina, virtute, omnique genere laudis auctum se sentiens, deferatur!

SPICILEGIUM OBSERVATIONUM CRITICARUM IN CICERONIS LIBRUM DE FATO.

Libri ejus, quem Cicero de fato scripsit, magna quaedam est obscuritas, cum ipsa quaestionis difficultate, tum oratione, quae talis est, ut operi limam adhibuisse auctor non videatur. Accedit, quod disputatione multis partibus, iisque majoribus, truncata, magno in primis e sermonis contextu, locorum non explicandorum modo, sed etiam corrigendorum destituimur adjumento. Atque tametsi a viris doctis, ante alios a Lambino Davisioque, multa hujus opusculi menda partim aperta sunt, partim etiam sublata, non tamen pauca restant, aut non animadversa ab illis, aut jam desperata vitia, in quibus emendandis ingenium alii satis superque possint exercere. Nos autem, anniversario scribendi officio redeunte, si nostram de locis quibusdam sententiam depromsissemus, proximo, quem non diu defuturum speramus, hujusce libelli editori operam fortasse non plane inutilem nos praestituros esse, fuimus arbitrati. Quod dum agimus, eo nobis animo, auditores, adeste, ut a singulorum locorum contemplatione ad totius deinde libri lectionem conversi, veterum de quaestione, nostris quoque temporibus saepius agitata, philosophorum sententias cognoscatis. Unde, ni fallor, intelligetis, easdem

fere, quas olim, de hac re etiamnunc sententias ferri, nostrosque, quemadmodum in omni philosophia, ita in hac etiam quaestione, non magis disputandi acumine, aut opinionum novitate, quam verborum sensu adcuratius finito, arctiusque septa adstrictaque disserendi ratione a veteribus discrepasse.

Cap. I. *Cum enim omnes post interitum Caesaris novarum perturbationum causae quaeri viderentur, hisque esse occurrendum putaremus; omnis fere nostra in iis deliberationibus consumebatur oratio: idque et saepe alias, et quodam liberiore, quam solebat, et magis vacuo ab interpellatoribus die, cum ille ad me venisset* cet.] Orationem male cohaerere viri docti viderunt. Itaque Wopkensius duplicem emendandi rationem proponit, vel, *die. Quo cum ille* cet. vel, *venisset. Et primo illa* cet. legendum suadens: quorum neutrum aures numeris Ciceronianis assuetae probabunt. Davisius, *idque* in *itaque* mutato, propius a vero conjecisse videtur. Certe mali sedem in vocabulo *idque* quaerens, ulcus tetigit; quod quidem tum denique sanatum mihi videtur, si ejus vocis genere mutato, ac post paullo pronomine *ille* sublato, sic legas: *isque* (Hirtius consul) *et saepe alias, et quodam liberiore — die ad me venisset,* cet.

Cap. III. *Consideramus hic*] Post haec aliqua deesse ratus, asteriscos posuit Davisius. Omnino, si lectio sana est, sensus plane deficiens manifesto arguit hiatum. Atqui in omni oratione sententiis bene apta nexaque ipse contextus, ut interpretandi, sic emendandi tutissimam plerumque facillimamque offert rationem. Itaque ex iis, quae verba ista antecedunt, ac sequuntur, conjecturam faciamus eorum, quae Cicero hic dixisse videatur. Quae res, quamquam ante haec quoque verba magnum defectum libri indicant, tamen minime difficilis erit expeditu. Nimirum, quae singula exempla, fati firmandi causa proferri solita, deinceps excutiuntur, ea proxime ante proposita esse, luce clarius est.

Quo posito, maxime probabile, ac pene necessarium fit, Ciceronem, interjectis illis vocibus, ab hisce transitum ad illa munivisse. Idque ipsum faciet, si, binis litteris mutatis, ita legamus: *consideremus haec.*

Cap. IV. *Athenis tenue coelum — crassum Thebis — Tamen neque illud tenue coelum efficiet, ut aut Zenonem quis, aut Arcesilam, aut Theophrastum audiat, neque crassum, ut Nemea potius, quam Isthmo victoriam petat. Dijunge longius: quid enim loci natura afferre potest, ut in porticu Pompeji potius, quam in campo ambulemus?*] Quid vult *dijunge longius?* „Loca, inquit Ernestius, (longius dijungi vult) „quam Nemea et Isthmus dijuncta sunt.“ Quasi vero *porticus Pompeji* et *campus*, quae ipsa dehinc Cicero commemorat, longius dijuncta essent *Isthmo* ac *Nemea.* Ea res annon sententiam exigebat plane contrariam? En vero, hanc nobis suppeditat codex Balliolensis, cujus lectionem laudans Davisius, parum acute et hunc, et reliquos libros hic esse corruptos censuit. Is igitur sic habet: *dijungo longius*, optima sane, et contextui adcommodatissima sententia. Hoc nimirum Cicero dicit. „Illa, qua Chrysippus fatum firmat, naturae contagio, s. „συμπάθεια, quam vim in hominum actiones aut volun„tatem habere possit, non intelligo. Fac enim, coelum „tenue homines acutiores gignere, crassum robustos ac „valentes; inde, qui fiat, ut Athenae Zenone, Arcesila, „Theophrasto similibusque ingeniis, Thebae corporum, „ad luctam reliquaque certaminum genera aptorum, ro„bore clarae sint, satis intelligo. Illa vero loci contagio „quo pacto efficiet, ut quis Zenonem, aut Arcesilam, „aut Theophrastum audire velit, aut in Nemeis potius „ludis, quam in Isthmicis certare? Nemeam et Isthmum „dico? Longius loca dijungo, (quam necesse est.) Pom„peji porticum et campum dicam, loca minime longe „dissita. An eorum ulla contagio efficiet, ut in hoc

„potius, quam in illo velim ambulare?“ Ceterum de *contagione* illa conf. *de divin.* I. 52. II. 14 seqq.

Cap. VII. *At si comprobabis divina praedicta, et, quae falsa in futuris dicuntur, in his habebis, ut ea fieri non possint: ut si dicatur, Africanum Karthagine potiturum, et, si vere dicatur de futuro, idque ita futurum sit, dicas esse necessarium: quae est tota Diodori vobis inimica sententia.*] Ad haec Davisius, ῥῆσις, inquit, est perplexa, nec ulterius conjecturis libet indulgere. — Enimvero conjectura haud opus erat, modo iis scivisset uti, quae erant ad manum. Sed videamus primum de lectione vulgata, quam quidem luxatam ac truncam esse, dubium nullum est. Nimirum Chrysippus, quamvis esse fatum contenderet, necessitatem tamen negabat. Itaque cum Diodoro sic placeret: nihil fieri posse, nisi quod futurum fuerit, et quidquid futurum esset, id fieri necesse esse: ille contra, et quae non essent futura, fieri posse, nec, quod futurum esset, esse necessarium, statuebat. Idem vim et naturam fati ex divinationis ratione firmabat. Jam Cicero in nostro loco id agit, ut doceat, si divinatio fuerit, ut aliquid non futurum vere praedici possit, illud fieri non posse; et quidquid futurum vere dicatur, id esse necessarium. Superius illud illustrat Africani exemplo. *Quae falsa*, inquit, *in futuris dicuntur, ea in iis habenda, ut fieri non possint; ut si dicatur, Africanum Karthagine potiturum.* Ineptum vero exemplum, eique rei, cujus illustrandae causa adducitur, plane contrarium! Quid enim? *Africanum Carthagine potiturum*, in iis habendum, quae *fieri non potuerint?* Quasi vero id fieri non potuerit, quod certe factum erat! Cur non potius hoc utitur ad illustranda ea, quae sint *necessaria*, iisque, quae *fieri non possint*, illustrandis adhibet exemplum *Fabii oriente canicula nati, ideoque in mari non morituri*, de quo tam multa ante et post? Ne sim longior, verissima est

lectio ea, quam e nonnullis codicibus Lambinus protulit. *At si comprobabis divina praedicta, et, quae falsa in futuris dicuntur, in his habebis, ut ea fieri non possint; ut si dicatur, Fabium in mari periturum; et, si vere dicatur de futuro, idque ita futurum sit; ut si dicatur, Africanum Karthagine potiturum, dicas esse necessarium.* In his paucula, quae Lambinus, ni maxime fallor, ex sese immutavit, ad lectionem vulgatam refinxi; ut cum, pro *et quae falsa, et ea, quae falsa*, tum pro *et si vere dicatur, et contra quod vere dicatur*, legit, haud ille videns, particulas *et — et* hoc loco non copulandi magis, quam distribuendi habere vim. Praeterea, pro *ut Africanum*, haud vana, opinor, conjectura dedi, *ut si dicatur, Africanum,* eodem plane modo, quo paullo ante dixit: ut si dicatur Fabium cet. Iis enim verbis deceptus oculus librarii, quod millies factum, a superioribus ad inferiora aberravit: quae omnis hujus loci luxati depravatique causa fuit.

Cap. VIII. *Hoc loco Chrysippus aestuans falli sperat Chaldaeos ceterosque divinos, neque eos usuros esse conjunctionibus, ut ita sua percepta pronuntient cet.*] At quo modo falluntur ita Chaldaei? Turnebus putat, Ciceronem joculariter dicere, Chrysippum sperare, se fucum facturum astrologis. Sed cur astrologis fucum faciat, quibuscum nulla illi controversia est? Ego hujus joci nihil intelligo. An forte sic legendum? *Hoc loco Chrysippus aestuans nos falli sperat, neque Chaldaeos ceterosque divinos usuros esse conjunctionibus* cet.

Eod. *Medicus in primis, quod erit ei perspectum in arte, non ita proponet, Si cui venae sic moventur, is habet febrem; sed potius illo modo, Non ei venae sic moventur, et febrem is non habet.*] Non prorsus damno vocem *perspectum*: sed tamen hic quoque legendum videtur *perceptum*, ut paullo ante:

ut ita sua percepta pronuntient. Conf. Cap. VI. in. Praeterea, ni maxime fallor, pro *ei* legendum *cui*, ut perceptum generatim efferatur, quem ad modum paullo ante: *Si cui venae sic moventur:* eodemque modo paullo superius: *Si quis natus est oriente Canicula*, et, *Non et natus est quis oriente Canicula.* Denique totum isthoc, *Medicus — inprimis dividuntur*, multo melius per interrogationem enuntiari puto. Non enim dicit, medicos, geometras, caeterosque artis suae percepta per conjunctionum negationes efferre, quamvis id facere possint. Itaque post illa verba, *cur reliqui facere non possint*, talis quaedam enuntiatio mihi videtur esse supplenda: *possunt sane facere, sed non faciunt.*

Cap. X. *Hic primum si mihi libeat adsentiri Epicuro, et omnem negare enuntiationem aut veram esse, aut falsam, eam plagam potius accipiam, quam fato omnia fieri comprobem.*] Non apparet, cur *primum* dicat; nihil enim sequitur *secundum.* Neque hanc vocem contextus patitur hic eo modo accipi, quo saepe absolute poni, Wopkensius *Lectt. Tull.* p. 52. aliique docuerunt. Sed qualis praeterea horum est sensus? *Si Ciceroni libeat adsentiri Epicuro, se id facturum potius, quam Chrysippi sententiam comprobaturum.* Ain vero? Tu, si libeat adsentiri, adsentiare? At hoc ineptum neque a Cicerone est, et Editores id fugisse, vix satis mirarer, nisi scirem, non omnem mendorum foeditatem in propatulo esse sitam, multaque legentibus sine offensa transmitti, quae adtentius considerata longe absurdissima videantur. Facilis tamen medela loci, ut qui deleta particula *si* prorsus sanabitur. Eam corrector aliquis oscitans intrusit, quia verbis istis, *eam plagam*, apodosin aliquam incipere putans, sine conditione protasin haud constare fuit arbitratus. Sed nullus apodosi locus est, et pronomen *eam* signatius hoc exprimit, quod antea simpliciter dictum erat. Nam

hoc vult Tullius: „Si optio sibi proponatur, inter Chry-
„sippi, fatum statuentis, et Epicuri, fati evitandi cau-
„sa, omnem enuntiationem aut veram aut falsam esse
„negantis, sententiam eligendi, se nunc primum assen-
„surum Epicuro, ei, quem ut hominem stupidum at-
„que hebetem exagitare, et a quo semper alias in alia
„omnia discedere consuesset: hanc enim opinionem,
„utcunque absurdam, et philosopho maxime indignam,
„sibi tolerabiliorem tamen videri, quam fati necessita-
„tem."

Cap. XI. *Nam cum doceret* (Carneades), *esse posse quemdam animi motum voluntarium; id fuit defendi melius, quam introducere declinationem, cujus praesertim causam reperire non possunt: quo defenso facile Chrysippo possent resistere.*] Verba ista, *quo defenso, facile Chrysippo possent resistere,* pendent ex illis: *id fuit defendi melius.* Ea vero lectionis vulgatae trajectio non modo perincommoda est, parumque elegans, sed etiam cum aliqua obscuritate conjuncta. Itaque verba illa in locum suum transponenda puto.

Eod. *An hoc falsum potuisset esse,* (Capiet Numantiam Scipio) *si esset sexcentis saeculis ante dictum? Et si tum non esset vera haec enuntiatio,* Capiet Numantiam Scipio, *ne illa quidem eversa vera est haec enuntiatio,* Cepit Numantiam Scipio.] Nullus copulae hic locus. Sine dubio legendum: *At si tum* cet.

Eod. *Etenim erit confiteri necesse, si haec enuntiatio,* Veniet in Tusculanum Hortensius, *vera non est, sequitur, ut falsa sit.*] Non sine causa viri docti haeserunt in ista constructione: *erit confiteri necesse, sequitur* cet. Neque displicet Pet. Rami conjectura legentis *sequi,* nisi quod tum proxime ante legendum quoque *sit,* pro *est.* Vel sic tamen tria illa verba, *erit confiteri necesse,* deleta malim. Quo facto locus sanissimus videbitur.

Cap. XII. *Si fatum tibi est, ex hoc morbo convalescere, sive medicum adhibueris, sive non adhibueris, convalesces.*] Verbum *adhibueris* posteriori loco hic, et paullo post bis, addidit Davisius. Lectioni tamen vulgatae favent alia loca, ut inf. XX. „Aut num „sortiuntur inter se, quae declinet, quae non? aut cur „minimo declinet intervallo, majore non?“ Brut. 73. „Hanc autem gloriam testimoniumque Caesaris, tuae „quidem supplicationi non, sed triumphis multorum „antepono.“ Epp. ad Att. 14. „Nobiscum hic perhono„rifice et amice Octavius; quem quidem sui Caesarem „salutabant, Philippus non.“

Cap. XV. *Similiterque superiora repetentem regredi infinite licet.*

> Neve inde navis inchoandae exordium
> Coepisset.

Quorsum haec praeterita? Quia sequitur illud,

> Nam numquam hera errans mea domo efferret pedem
> Medea animo aegra, amore saevo saucia.

non, ut eae res causam adferrent amoris.] In superioribus Cicero docuit, cujusque rei causam non id dici debere, quod *cuique antecedat*, sed quod cuique *efficienter antecedat:* itaque falso Ennium versibus illis, *Utinam ne* cet. Medeae amorem repetere jam inde a trabe illa in monte Pelio caesa, e qua navis illa esset fabricata, quae Jasonem Colchin vexisset. Quo posito, palam est, locum, ut nunc habet, sanum haud esse. Itaque Lambinus acute judicat, ante verba illa: *non ut eae res causam afferrent amoris*, quaedam desiderari, frustra obloquente Davisio. Nempe cum verbis istis dicat, eas res (sc. trabem in nemore Pelio caesam, navimque aedificatam) cum Medeae amore non tamquam causam fuisse conjunctas, alterum videtur orationis membrum excidisse, quo dixerit, qua tan-

dem ratione eaedem res cum illo ipso amore fuerint copulatae. Etenim voces illae *non ut* aperte oppositionem quamdam significant. Quare, si sensum spectes, oratio integra hujuscemodi quaedam fuerit: „Trabes „caesae, navis constructa ita quidem cum Medeae amore „fuerunt conjuncta, ut sine illis hic quidem non fuis„set futurus, non ut eae res causam adferrent amoris.“ Vide, quae paullo post disputantur. Ita quidem rem expedio, si, quae nunc habemus, et sana fuerint, et ordine suo collocata. Aliter leni cum mutatione, tum transpositione loco plane fuerit consultum, si nimirum sic legas: „Quorsum haec praeterita? *Num* ut eae res „causam adferrent amoris? quia sequitur illud:

„Nam nunquam cet.“

Cap. XVII. *Ac mihi quidem videtur — Chrysippus, tamquam arbiter honorarius, medium ferire voluisse.*] Ita hunc locum expressit Victorius, cum antea sic legeretur: *medium se ferre voluisse.* Putat nimirum ille, Ciceronem Graecum illum loquendi modum exprimere voluisse, quo Plato aliique scriptores utuntur, cum dicunt, *μέσον τέμνειν.* Reliqui vero Editores magno adsensu Victorium secuti, nec cur prior lectio damnanda videretur, nec quam posterior Graeco illi loquendi modo similis esset, dispiciendum censuerunt. Nos de utroque pauca. Primum igitur hoc dico, me plane non intelligere, cur ista lectio, *medium se ferre*, repudianda sit. Scilicet *medium se ferre* arbiter dicitur eleganter, qui inter partes litigantes quasi medius consistit, earumque litem ita componit, ut utramque velit de re illa, propter quam certant, aliquid remittere. Itaque *se ferre* hic dictum, pro *gradum ferre*, vel *se inferre*, usu quidem vocabuli in carmine saepius, quam in soluta oratione, frequentato. Id cur mutandum fuerit, prorsus non video. At *medium ferire*, quid est? Dicunt, *mediam quamdam*

sequi sententiam. Quid ita? Est, inquiunt, illud ipsum, quod Graeci vocant, μέσον τέμνειν. Hoc vero nego. Nimirum Graeci, cum hoc loquendi modo utuntur, intelligunt, vel κέλευθον, vel simile quodpiam vocabulum, ducta scilicet metaphora a cursu navium. Hujus generis exempla sat multa, cum ex aliis, tum ex ipso Platone profert Stephanus in *Thesauro linguae Graecae* s. v. τέμνω. Quod loquendi genus imitati Latini, *aequor* modo *secare* dicunt, modo *findere*, modo *sulcare*, sed *medium ferire* nemo. Quo modo enim *ferire* dicerent? Num *navi*, aut *carina*? At hoc quidem absurdum. Num *pedibus*? Ne id quidem tolerabile. Adde, quod, si lectio Victoriana vera foret, ut est fere correctorum ingenium, non puto, fuisse futurum, qui hanc ita mutaret, sed potius contra. Quae si mecum reputo, vix possum, quin Victorium ceterosque Editores in loco isto mutando temere versatos esse statuam.

Cap. XIX. *Sed alteri censent, quibus in rebus cum causae antecesserint, ita ut non sit in nostra potestate, ut aliter illa eveniant, illas fato fieri.*] Nihil certius est Lambini emendatione, conjunctionem *cum* delentis. De particula illa a librariis saepe intrusa vide, quae dixi ad *divinat.* II. 28. Sed praeterea virgula ante vocem *ita* delenda, post illam ponenda erat. Ea enim definitur modus, quo causas antegressas esse oportet, ut *res fato fieri* judicandum sit. Vide, quae proxime ante dicuntur, *omninoque cum haec sit distinctio* cet.

Sed haec auspicandi novi studiorum cursus causa rite praefati, vos, Auditores, ad emetienda denuo haec stadia revocamus: quae vos quaeso ea mentis alacritate viriumque nisu decurrite, qui doctorum vestrorum cum maximae de vobis bene merendi voluntati, tum justissimae exspectationi respondeat.

SCHOLA GRAMMATICA

DE

CERTAMINE NAVALI,

QUOD LEGITUR IN VIRGILIO, AENEID. L. V. v. 104—243.

Omnino universus iste liber Aeneidos quintus, quo diversa ludorum genera in anniversariam Anchisae memoriam instituta narrantur, in praestantioribus hujus carminis partibus a me habetur; tum in primis me delectat certaminis illius navalis descriptio, quam legimus inde a versu centesimo quarto usque ad ducentesimum quadragesimum tertium expositam. Nam sive rerum, in hac argumenti simplicitate, inventarum copiam spectes, sive singulorum versuum et pondus et argumenta, sive exquisitarum comparationum lumen, seu denique artificia illa expendas, quibus legentium, velut spectantium, et acuitur intentio, et objecta casuum varietate atque vicissitudine in omnes partes distrahitur exspectatio, nescias profecto, poëtae ingenium an judicium magis admirandum putes. Itaque locum isthunc universum, et partes ejus majores, quoniam singulis de rebus in lectionibus nostris diximus separatim, nunc uno velut oculorum obtutu lustrasse, et jucunda vobis erit, Auditores, neque, ut speramus, inutilis ad poetae sensum atque intelligentiam occupatio.

Primum omnium legentium commovetur attentio, et diei exspectati, id est, cujus moram, et qui certamen inituri, et qui ludos spectaturi erant, aegre fere-

bant, serenitate, et hominum undique certandi visendique studio congregatorum multitudine, et munerum expositorum varietate atque splendore. Haec omnia paucis versibus poëta, ut decebat, comprehendens, neque, in parvis ambitiosus, legentium animos diutius in his detinet, neque ad rem ipsam properantium studia moratur, verum statim committendis ludis tuba signum datum memorat.

Itaque jam in hoc poetae judicium, et puerilia quaevis ornamenta et immoderatam ingenii luxuriam spernentis, facile agnoscas. Neque in iis, quae proxime sequuntur, quidquam, nisi sobrie, molitur. Nam et navium, quae praetermitti haud poterat, descriptio brevis est atque simplex; neque illarum figuram, aut qualemcumque rationem pluribus persequitur; neque multus est in enarranda ductorum cujuscunque generis praestantia atque virtute. Quod non ita intelligendum, quasi vel isthaec pars omni careret ornamento. Videlicet singulae naves singulis virtutibus aut qualicunque diversitate designantur, et ornatissimi sunt inprimis illi versus:

Ingentemque Gyas ingenti mole Chimaeram,
Urbis opus: triplici pubes quam Dardana versu
Inpellunt, terno consurgunt ordine remi.

Quos versus, ut hoc obiter moneam, equidem Floro obversatos puto, minime intelligenti, quam diversa lex esset et scriptori historico, et poetae, in putidi frigoris plena illa navium Antonii descriptione, quando L. IV. c. 11. *Turribus*, inquit, *atque tabulatis allevatae, castellorum et urbium specie, non sine gemitu maris et labore ventorum ferebantur*. Aliud artificium, quo usus est Virgilius in isthac parte exornanda, positum est in familiarum Romanarum ad singulos fere navium ductores origine referenda. Quae res non potuit non esse Romanis ista legentibus gratissima. Quod et aliis locis monuimus, saepe Virgilium, sive memo-

riae, sive fabularum veterum diligenter legere reliquias, omnemque Aeneidos velut texturam suorum hominum opinionibus rebusque ita distinguere, ut totum populare et Romanum hoc carmen videatur, nemoque de ejus praestantia, nisi qui hoc teneat, recte judicare possit.

Proxima est saxi e mari prominentis, quod metam certantibus Aeneas constituit, descriptio, pulcra quidem illa atque elegans, brevis tamen, ac sine inani ornamento. Adeo in his omnibus neque dicitur neque describitur quidquam, praeter ea, quae partim omitti non poterant, partim ad rem ipsam, atque certaminis rationem intelligendam pertinent. Neque illud praeteream, quod Virgilius, ubi ductores inter se sortitos dicit, quem cujusque navis locum occuparet, hoc quidem paucissimis illis verbis facit: *Tum loca sorte legunt.* Poeta unus e multis fortasse etiam in hisce Homeri vestigia sibi sequenda existimasset, a quo libro Iliad. VII. hujusce modi aliqua sortitio pluribus deinceps versibus enarratur. Noster vero, quo erat judicio, innumerabilibus aliis locis imitatus Homerum, intelligebat sane, quam longe alia hujus esset, quam illius, sortitionis ratio. Apud Homerum quidem Graecorum fortissimus quisque inter se sortiuntur, ecquis cum Hectore solus congrediatur. Itaque cujus sors exitura esset, maxima debebat esse, pro rei momento, vel spectantium vel legentium exspectatio. Hic autem sane parum referebat, haec, an alia navis primum locum obtineret. *)

Iam vero omnes ingenii vires Virgilius intendit, scenam aperiens, ostendensque et naves instructas, et nautas committendi certaminis signum animo ac corpo-

*) Eodem judicio usus est etiam ipse Homerus Iliad. XXIII. v. 351. in ludorum curulium, quibus Achilles Patroclo parentabat, enarratione.

re intento exspectantes. Objiciuntur legentium phantasiae, quaecunque spectantium oculos maxime ferire poterant, et ductores navium *purpura fulgentes*, et certantium turba *fronde coronati, nudatisque humeris*; tum corporis habitus, qui videri poterat, abditique mentis spe metuque, et anxia rerum exspectatione agitatae motus. Quae omnia quam praeclare his versibus comprehendit!

Considunt transtris, intentaque brachia remis:
Intenti exspectant signum, exsultantiaque haurit
Corda pavor pulsans, laudumque adrecta cupido.

Atque ingens porro vis est, et admirabilis quaedam agitatio in sequentibus, ubi jam emissarum navium commissum certamen significatur. Feruntur illae quidem ingenti mole ita, ut commotarum aquarum ingentem strepitum, singulorum vocabulorum sentientes pondera, audiamus. Illa dico:

— adductis spumant freta versa lacertis.
Infindunt pariter sulcos, totumque dehiscit
Convolsum remis rostrisque tridentibus aequor.

Earumdem vero celeritas illustratur comparatione, qua mihi quidem nihil absolutius cogitare posse videtur:

Non tam praecipites bijugo certamine campum
Conripuere, ruuntque effusi carcere currus:
Nec sic inmissis aurigae undantia lora
Concussere jugis, pronique in verbera pendent.

In his quamquam nihil non admirabile sit, tamen eximium, qui in postremis versibus est, ornatum in primis velim expendi. Nempe *Immissis jugis*; id est, admissis laxato freno jugalibus equis: *Undantia lora*; pulcerrime ad phantasiam, pro laxata: *Concussere*; ad equos videlicet incitandos: denique vivens illa spiransque penitus imago, *Pronique in verbera pendent.* Quo postremo vocabulo habitus corporis proclinati, quod uno tanquam puncto innixum vix consistere videtur, praestantissime pingitur. Atque ne inania isthaec or-

namenta putemus, illud sane tenendum est, singulis hisce rerum imaginibus abstrusam illam atque languentem per se notionem *celeritatis* ab animo revocari ad sensum. Navium quidem cum bigarum celeritate nuda comparatio ad illustrationem parum valebat, nisi forte in his, qui certamina illa in Circo saepe vidissent; verum etiam illis, qui haec numquam spectarunt, egregia comparationis lux affunditur inde, quod oculis pene ipsis objiciuntur illa, quae videri in bigarum certamine possunt, in navium non item. Illa ipsa dico, quae paullo ante commemoravi, *frena laxata et concussa*, tum ejus, qui currum agit, admirabile studium, in corporis habitu et membrorum agitatione conspicuum. Quibus rebus efficitur, ut, qui navium describeret velocitatem, facile posset a ludis Circensibus ducere comparationem, cum contra bigarum rapiditatem, navium velis remisque celerrime ablatarum cursu illustrare velle, ineptissimum foret. Atque his jam suo loco proximi subjunguntur versus prorsus magnifici, laudandi illi modo, non explicandi:

Tum plausu fremituque virum, studiisque faventum
Consonat omne nemus, vocemque inclusa volutant
Littora: pulsati colles clamore resultant.

Ecce igitur jam naves emissas e finibus, summaque nautarum contentione ad metam properantes. Superest, ut diversis intervallis sejunctae cursum conficiant, unaque victrix ceteras post se relinquat. Quae res tam simplex in sese tamque parum fecunda videtur, ut nos legentes ad spectaculi vixdum exorsi finem prope delatos existimemus. Quo magis notabile est poetae illud omne artificium, quo, injecta insigni casuum rerumque vicissitudine, et ludum ipsum gratissima distinguit varietate, et legentium animos tenet ancipiti exspectatione suspensos, atque omnino ita distinet eventum, ut modo retardentur priores, modo emersuri videantur, qui erant postremi.

Prima ante omnes elabitur Gyae navis, tenente proxima Cloantho. Altera remis praestat, altera levitate. Post hos Mnestheus Sergestusque varia inter se contendunt fortuna. Atque hoc ordine feruntur, donec, Gyae navi ad metam propius allata, subito rerum facies mutatur. Nempe quae res in Circo ad conficiendum cursum plurimum compendii habebat, ut currus metam sic evitaret, ut proxime tamen circum illam ageretur, eadem in navali isthoc certamine obtinebat. Inde nimirum nata fuit poetae non una variandi istius certaminis ratio. Et primum quidem Gyae navis ab sperata palma removetur. Cujus rector Menoetes jam senior, metuensque occulta saxa, navim longiori anfractu flectit circa metam. Quo facto statim occupat locum Cloanthus, atque ipse interior subiens priorem post se relinquit. Hacce igitur prima insigni rerum conversione, quemadmodum dixi, et ludum varietate distinguit poeta, et animorum auget intentionem. Mox etiam risum movet in spectaculi frequentia gratissimum, scenam illam Menoetis ludicram interserens. Qui ut navim propius ad metam suburgeret, a Gya iterum frustra admonitus, ab eodem praeceps in undas deturbatur. Hunc et natantem videmus, et aegre scopulum scandentem, in cujus tandem considet fastigio. Illud quaeri fortasse possit, utrum carminis dignitati Virgilius satis consuluerit hoc versu:

Et salsos rident revomentem pectore fluctus.

Enimvero, ut a multis ante nos saepe fuit monitum, haec et similia certe non ex nostris moribus sunt aestimanda: idque tenendum est universe in omni veterum poetarum lectione. Qui quidem, quidquid fingant, dicantve, reprehensione carere ita existimandi sunt, si non videantur cultissimorum aevi sui hominum judicia offendisse. Antiquitatem vero in hujusce modi rebus judicandis minus fuisse fastidiosam, tum per se est cre-

dibile, tum ex permultis Homeri Virgiliique constat locis; cujus generis aliquis inferius a versu 333. in hoc ipso libro legitur, multo magis etiam indigens excusatione. Sed redeamus ad propositum.

Hoc igitur Gyae casu et reliqui certaminis ratio aliquantum mutatur. Dum enim dejecta de cursu et exuta magistro navis aliquamdiu moratur, Sergestum, Mnestheumque adhuc inter se modo certantes cupido invadit, etiam Gyae, si fieri possit, superandi. Quo studio aucta contentione, cum jam se victum propemodum ab Sergesto animadvertit Mnestheus, socios hortatur oratione brevi quidem illa, ut decebat, sed profecto eloquentissima; de cujus partibus, quae diximus suo tempore singula, nimis longum est, hic repetere. Qua quid effectum sit, praeclare docent versus sequentes, in quibus facile est singula verborum pondera sentire:

— — — Olli certamine summo
Procumbunt; vastis tremit ictibus aerea puppis,
Subtrahiturque solum. Tum creber anhelitus artus
Aridaque ora quatit: sudor fluit undique rivis.

Post haec alter objicitur casus, et nova ille varietate spectaculum distinguens. Nempe Sergestus, dum vincendi studio coecus et Gloanthi sperans fortunam, inter metam aemulamque navim medius subvehitur, imprudens incurrit in saxa, remorumque in adversa rupe comminutorum exuitur ministerio. Hinc clamor nautarum, et nova mora. Qua ipsa confirmatus Mnestheus, et quo plura obtinuit, eo majora sperans, velis remisque citatissimo cursu aperto mari defertur. Non patitur hoc institutum, in singulis nos versibus consistere, omniaque, quae universus iste locus habet eximia, excutere diligentius, infinitum est. Ejus tamen, quae proxime sequitur, comparationis eminens virtus moram aliquam vel properantibus injicit:

Qualis spelunca subito commota columba,
Cui domus et dulces latebroso in pumice nidi,

Fertur in arva volans, plausumque exterrita pennis
Dat tecto ingentem: mox aëre lapsa quieto
Radit iter liquidum, celeris neque conmovet alas.

Hac igitur comparatione absolutius quidquam neque mihi animo fingere possum, neque ipse Virgilius, qui in hoc quidem genere summus est, scripsisse mihi certe videtur. Nihil dulcius est versu secundo: nihil neque verius, neque magis ad naturam effictum illis,

— — plausumque exterrita pennis
Dat tecto ingentem.

Quae verba iis demum valde placebunt, qui avium majorum volatum observant attentius. Quae quidem subito terrore excitae semper vehementius strepunt alis, tum accelerandae fugae caussa, tum quia molestior est volatus, antequam pleniore aëre sustineantur. Haec autem in se vera pulcraque augentur addito *antro,* quod strepitu resonare velut audimus. Eximius denique est versus ille:

Radit iter liquidum, celeris neque conmovet alas,

sive verborum dilectum spectes, quo praecipue commendatur prima vox, volatum lenem et tranquillum, sine alarum agitatione pingens, sive numeros versus expedita celeritate ipsum hoc imitati.

Nunc igitur Mnestheum videmus et Sergesto ac deinde Gya superato, ipsum jam petere Cloanthum, tanta rerum conversione facta, ut qui, ubi naves exirent, modo tertium, modo etiam postremum locum tenuisset, jam ab ipsa palma quam proxime absit:

Tum vero ingeminat clamor, cunctique sequentem
Instigant studiis, resonatque fragoribus aether.

Inter hos vero cum summa contentione certaretur, atque uterque dignus palma videretur, tandem poeta ex veterum more atque religione ad rem expediendam usus est dei ministerio, qui quidem ipse *manu magna* (quanta imago!) Cloanthi navim impellit. Tum haec

— — noto citius volucrique sagittâ
Ad terram fugit, et portu se condidit alto.

Ex hac igitur nuda fere rerum descriptione satis existimo patere id, quod supra diximus, magnam esse hujus loci vel ab ipsa inventione praestantiam, poëtamque hunc ludum tanta ornasse varietate, quantacumque in hac argumenti simplicitate poterat cogitari. Certe naves aequabili eodemque cursu alias priores, posteriores alias ad metam perducere, nimis exile et jejunum fuisset. Neque porro vel satis allexisset legentium animos, vel eorum fastidio cavisset, easdem naves jam superatas, jam superantes, sed nulla probabili de caussa, fingens. Illud utique dignum ingenio Virgilii erat, tantam casuum varietatem non aliunde inferre, sed ex prima loci descriptione velut sponte evolvere; haec autem deinde ita narrare, ut non legere nobis, sed in spectantium turba considentes rem oculis tueri videremur.

Atque haec tandem rite praefatis nobis monendi estis, Auditores! ut laudabili honeste inter se aemulantium contentione haec novi studiorum cursus tanquam stadia emetiamini. Quae res non ad temporariae modo laudis fructum, sed ad totius vitae utilitatem valebit.

SUPER SINONE VIRGILII.

AENEID. II. 57.

Insigne artificium, quo isthaec Virgiliani carminis pars composita est, explicituri breviter, missa singularum minimarumque rerum enarratione, quae quidem largam amplissimae disputationi materiam suppeditarent, universam modo descriptionem perlustrabimus, et sum-

ma velut partium lineamenta ducemus, in quibus ipsis jam poetae ingenium et admirabilis quaedam calliditas cernitur, qua hanc fabulam contexuit.

Iam primum omnium Aeneas Didoni excidium Trojae narrans, non praetermittere poterat mentionem equi Trojani in urbem recepti. Qua in re magna difficultas objiciebatur poetae. Nisi enim vellet, insignem in hoc negotio et suam et popularium cum temeritatem tum stultitiam videri, aliquid omnino inveniendum erat, quo homines etiam prudentes decipi non potuisse modo, sed vel debuisse satis probabile foret. Usus est hoc consilio Sinonis machinatione, cuius ministerium non invenit quidem Virgilius, sed ita informavit, ut perfectius aut sapientius nihil cogitari queat.

Illud quidem ante omnia per se clarum est, hominem, qui ad tale consilium Trojanos probabiliter impelleret, nec sponte illos adire, nec statim id, quod agebat, persequi debuisse. Nam vel versutissimus caeterum veterator, talia primordia capiens, fraudis suspicionem ab se removere non potuisset. Hoc bene intelligens Virgilius, id quod rei caput est, in finem rejicit sapientissime. Nulla usquam fit mentio de Trojano equo a Sinone, plurima de se ipso. Quod in homine infelice, cujus speciem prae se ferebat, maxime videri debet naturale. Nam propriae calamitatis sensus omnem alienarum rerum vel maxime memorabilium vel curam vel cogitationem delet.

Primum igitur Sino pastoribus Phrygiis velut casu objectus ad regem invitus trahi videtur. Repentino tanquam metu objecto, quasi certum interitum praesentiret, ad hostium adspectum attonitus mente stupet, quod a Virgilio pingitur magis, quam dicitur:

— ut conspectu in medio turbatus, inermis,
Constitit, atque oculis Phrygia agmina circumspexit.

Post quae datur ipsi brevis oratio, praeter miseriae de-

plorationem et hostilis et infensi sibi Graecorum animi commemorationem nihil continens. Utrumque sapientissime. Nam improvisa calamitate aut repentino aliquo metu oppressos natura ipsa minime patitur esse disertos. Tum ad sedandum Trojanorum impetum, eorundemque excitanda studia nil sane aptius fuit quam communis in ipsorum hostes odii significatio. Inde quid probabilius est, quam illos his cognitis plura velle audire ab eo, quem loquentem antea, omnem vindictae dilationem nimis longam arbitrati, ne tulissent quidem?

Nunc igitur silentia sibi facit Sino. Iis quomodo utitur? Num ad expediendum omne de equo Trojano commentum? Nil vero minus. Videlicet per longas ambages eo ducendi fuerunt hostes, quo volebat. Prius penitus conciliandi erant animi, prius adstruenda dictis fides: quod facit, suam historiam fraudulenter ita contexens, ut veris falsa admisceat, et mendacio fidem veritate conciliet. Ita enim homines facti sumus, ut ex cognitis incognita aestimemus, et ea quae novimus vera narrantibus in caeteris quoque fidem habeamus, modo sint omnia satis inter se apta aliaque ex aliis nexa. — Incipit ab ingenua gentis confessione. Quod animi honesti et veracis signum in eo videri debebat, qui ab infenso hostium animo mala quaevis exspectaret. Caetera componit, ut diximus. Sapienter praeter caetera hostilem in Ulyssem animum simulat. Eum et Trojani e Graecis omnibus unum maxime oderant, et homini astuto et pellaci crudeles insidiae praeter caeteros maxime probabiliter tribuebantur. Medium denique, ubi satis accendisse in Trojanis cognoscendi studium videri poterat, sermonem abrumpit. Et hoc egregie. Quid enim probabilius, quam neminem irrita verba profundere velle apud eos, quos exitio suo imminere certo intelligat?

Nunc inflammata satis audiendi cupiditate reliqua persequitur, et omnem fictarum insidiarum historiam

enarrat. In qua quantum ubique sit artificii, quanta rerum probabilitas, longum est dicere. Ne in his quidem usquam Trojani equi ulla fit mentio. Ubique hominem videmus, nil nisi mala sua cogitantem, et saluti suae, si quo pacto adhuc fieri possit, consulentem. Egregie desinit oratio in versibus mirifice ad commiserationem factis et in quibus insigne quoddam πάθος inest. Isthoc patriae, natorum, parentis desiderium, et solicitus pro illorum salute metus, animi affectum eum prodere videntur, qui ab illa, quae in impostore inest, cogitata et, ut sic dicam, frigida astutia maximopere abhorreat. Tum et illa per *superos*, per *conscia Numina veri* etc. animi supplicis imploratio, omnis isthaec hominis miseri et prostrati lamentabilis oratio, quam parum profecta videri potest ab eo, qui composita fraude ad fallendum accesserit? Antea igitur Sino Trojanorum ingenio, nunc vero etiam animo, si ita loqui fas est, fucum facit. Ea primum dixerat, quae magnam in se veri speciem habebant, nunc ita loquitur, ut nemo, nisi probus, honestus ac optimae indolis homo loqui posse videtur. Quod unum ad plenam persuasionem deerat. Post haec igitur nemini, opinor, inexpectata erunt illa:

His lacrimis vitam damus, et miserescimus ultro cet.

Quidni jam deinceps plena fides sit, quidquid libuerit, dicenti? Sed ne sic quidem, quod est poetae judicium, rem ipsam satis, ut videri posset, munitam aggreditur. Equum illum prope adstantem, haud magis ac si nullus esset, curat. Ceterorum omnium oblitus, unum se cogitat. Rogandus primum est Priamo, sed tum nec ulterius tempus fallendi nunc jam opportunissimum differt. Respondet, sed qua arte? Versibus, quos nemo, sensu non penitus destitutus, sine horrore legere possit, primum se liberat omni quo cum Graecis continebatur vinculo. Ea se dicturum sentit, quae Graecum hominem prodere, inexpiabile nefas sit. Itaque solemni

juramento, sidera, aras, enses quos effugerit cet. testatur, se immani Graecorum crudelitate laesum nullis porro patriae legibus teneri. Quanta haec videtur hominis religio! Nunc jam sedato animo pergit, et oratione Graecorum odium spirante et ad fallendum egregie composita rem omnem expedit. Quanto sapientius haec omnia Virgilius, quam Quintus Calaber: cujus Sino verberibus affectus, naribus auribusque rescissis, demum fraudem effatur. Quasi fides homini tormenta omnia subire parato magis adhiberi posset, quam ei, qui miseri sed probi honestique viri speciem per omnia prae se fert, aut quasi illum, qui integro corpore loqui non vult, naribus auribusque rescissis vera dicere velle in re, quae non judicio sed fide constat, probabile foret. Itaque hic Virgilium superare conatus, naturam deseruit, et consilio turpiter excidit.

SPICILEGIUM
OBSERVATIONUM CRITICARUM
IN
IUSTINI HISTORIAS.

A multis hinc annis, cum nobis esset brevi aliqua e genere grammatico disputatione novi cursus auspiciis praeludendum, eam constanter fere legem tenuimus, ut pensi postremo quoque cursu cum discipulis profligati aliquam velut particulam exponeremus, unde, quo modo in scriptoribus cum exponendis, tum illustrandis, atque etiam, sicubi res ferat, emendandis versari soleamus, certis rerum indiciis judicari posset. Idque cum

nuper in Virgilio, antehac in Platone aliisque fecimus, tum hoc tempore in Iustini historiis faciemus, cujus, superiori anno, cum ad historicas lectiones velut initiandi discipuli essent, plures deinceps libros cursim perlustravimus. In quibus, quantum per magnam, qua nobis fungendum erat, festinationem licuit, loca nonnulla notavimus, vel corrupta, et ab interpretibus neglecta, vel sana, ab iisdemque temere tentata, aut non satis intellecta: de quibus, quae tum breviter monere visum fuit, nunc paullo adcuratius disseremus.

I. 7. *Quo facto*, (Candaulus) *et amicum* (Gygen) *in adulterium uxoris sollicitatum, hostem sibi fecit; et uxorem, veluti tradito alii amore, a se alienavit. Namque brevi post tempore caedes Candauli nuptiarum* p r a e m i u m *fuit* cet.] Haec corrupta judicans Gronovius *Observatt. II.* 25. „Itane praemium? inquit. „Oportet igitur nuptias antecessisse caedem; sequitur „enim rem gestam praemium." Quare legendum putat: *nuptiarum* p r e t i u m *fuit*: eo, quod caede regis emerit Gyges, et paraverit nuptias reginae. Vulgatam ita defendit Faber, ut Iustinum sic scripsisse putet, ad morem Asiaticorum respicientem, qui munera et grandem pecuniae summam ad sponsam et illius parentes misissent. Caedem igitur Candauli fuisse, quasi *dotem*, qua Gyges reginae nuptias redimeret; atque hinc esse, quod *sanguine mariti dotata* dicatur. Mihi quidem, ut verum fatear, neque ista defensio satisfacit, neque illa Gronovii emendatio. Quid enim opus erat hujusce modi aliqua sive pretii, sive praemii pactione, in re quae utrique perinde erat ex sententia? Nimirum regina non ideo Gygi nubebat, quod hic regem sustulerat, sed sublatum regem cupiebat, quo potiretur adultero. Itaque aut fallor, aut *prooemium* scripsit Iustinus, quod facillime in *praemium* abiit. *Prooemium* puto, sensu proxime a citharoedis ducto legitimo carmini praeludentibus. Vid. *Quinctil. Instit. IV.* 1. in. *Cic. de orat.*

II. 80. Eum igitur sensum scriptores cum Graeci tum Latini ad alia transtulerunt. Ut Lucian. *in Somn.* 3. *Ὁ δὲ θεῖος — οὐ πρᾴως — μοῦ καθήρξατο, ὥστε δάκρυά μοι τὰ προοίμια τῆς τέχνης.* Ad quem locum plura dedit Hemsterhuisius. Ita *Iuvenal.* III. 288.

— — — miserae cognosce prooemia rixae,
Si rixa est, ubi tu pulsas, ego vapulo tantum.

Simili ratione latino vocabulo utitur *Plinius Ep. V.* 13. *Tu tamen aestima, quantum proelium, quanta pugna certamini maneat, cujus quasi praelusio has contentiones excitavit.* Sic igitur Iustinus Gygen reginae nuptiis caede Candauli praelusisse perquam apte dixerit.

IV. 1. *Hinc monstri credita simulacra, dum navigantes magnis vorticibus pelagi desidentis exterriti, latrare putant undas, quas sorbentis aestus vorago conlidit.*] Quid haec significent, aut qualis ista *sorbentis aestus vorago* dicatur, ego non assequor. Quamvis igitur ne verbum quidem interpretes, tamen in his corruptelam sensisse non magni acuminis erat. Quid enim *aestus* ille *sorbeat?* Nimirum undas, id est, se ipsum. Immo aestus voragine sorbetur, ut et res declarat, et est videre ex illis, quae paullo ante hunc in modum leguntur: *Undarum porro in se* (l. *inter se*, ut Vorstius voluit, et Iuntina habet) *concurrentium tanta pugna est, ut alias veluti terga dantes in imum desidere, alias quasi victrices in sublime ferri videas: nunc hic fremitum ferventis aestus, nunc illic gemitum in voraginem desidentis exaudias.* Haec igitur, ut puto, nos eo ducunt, ut pro *sorbentis aestus,* sensu certo legamus, *sorbens aestum.*

Eod. 3. *Medio tempore cum Rhegini discordia laborarent civitasque per dissensionem divisa in duas partes esset,* v e t e r a n i *ab altera parte ab Himera in auxilium vocati — urbem — occupavere.*] In hoc loco mendum aliquod latere suspicatur Sebisius, non sine

causa requirens, quinam sint isti *veterani.* Ego non modo de veteranis istis per se quid faciam, nescio, sed video insuper alia, quae satis concoquere nequeam. *Veteranos* igitur, id est, milites urbis Himerae *in auxilium Rhegini vocarunt,* et non urbem potius, quae illos mitteret? Et veterani isti, id facientes, quod civitas mandaverat, *ausi facinus* dicuntur, *nulli tyranno comparandum?* Haec ut ferri tandem possint, aut excusari, quanto rectius fuerit, id cuique tribui, quod conveniat, culpamque a ministro relegari in facinoris auctorem! Idque plane fiet, si *veteranis* istis, qui locum vix tueantur, succedant *Himerani.* Isti igitur in auxilium vocati, urbe occupata, pro sociis tyrannos egerunt. Quid autem sic legentes faciemus vocibus *ab Himera?* Eas nimirum, ut inepti glossatoris interpretamentum verbis *ab altera parte* temere appositum, inducendas puto. Namque verba illa, utcunque plana, a nonnullis perperam intellecta fuisse, illa multorum codicum diversitas ostendit, qui pro *ab altera parte,* sensu plane perverso, dant, *ex alia parte.*

IV. 5. Tunc Demosthenes censere coepit, *ut abirent Sicilia, dum res, quamvis adflictae, nondum tamen perditae forent: neque in bello male auspicato amplius perseverandum: esse domi graviora, forsitan infeliciora bella, in quae servare hos urbis apparatus oporteat.*] Mirum profecto Demosthenis consilium, qui vires vult in *infeliciora* bella servari! Quasi vero bellum istud Peloponnesiacum non satis infelix civibus fuisset! quod tamen et ipse *male auspicatum* dicit, quoque Athenienses cum navali tum terrestri proelio victi, castra quoque cum omni publica ac privata pecunia amiserant. Sed ut haec mittam, ipsa in se sententia qualis tandem videtur? „Male nunc quidem, „inquit, rem egistis: sed hoc nihil est. *Afflictae res* „*sunt, non perditae.* Non deerit bellum, si verum „auguror, aliquanto funestius, et reipublicae pernicio-

„sum, quo concussae nunc opes, penitus corruant. In „hoc bellum hos urbis apparatus ego censeo servandos, „ut magno emolimento pulcro scilicet pereatis." Poteratne vir sapiens, et orator cives aut ineptius hortari, aut censere magis insipienter! At enim, inquis, *infelix* bellum dicit, quod periculosum ac triste fuerit, non, quod eventu perniciosum. Hoc autem si voluit dicere, *grave* modo dicendum erat, non *infelix:* id enim eventu solo censetur. Quid multa? Dele modo negationem, e postrema antecedentis vocis littera natam, atque lege, *feliciora.* Ita Demosthenem minime poenitebit sententiae a multis in simili caussa usurpatae. Sic fere Aeneas socios apud Virgilium I. 206. hortatur;

Durate, et vosmet rebus servate secundis.

V. 4. *Interea et Syracusanorum auxilia illatum a Carthaginiensibus Siciliae bellum domum revocavit. Quibus rebus destitutis Lacedaemoniis, Alcibiades cum classe victrici Asiam vastat.*] Nihil est, quo destituti dicantur Lacedaemonii, nisi *auxilia* Syracusanorum. Quid autem ineptius, quam haec auxilia *res* vocari? Ergo expunge inertem vocem, scriptoribus antiquis ab oscitante glossatore saepe obtrusam. Ut apud *Cicer. de divin. II.* 1. *Quibus rebus editis, tres libri perfecti sunt de natura deorum* cet. ubi vide, quae dixi.

VI. 8. *Fuit autem incertum, vir melior, an dux esset* (Epaminondas). *Nam et imperium non sibi, sed patriae semper quaesivit; et pecuniae adeo parcus fuit, ut sumtus funeri defuerit.*] Quid hoc, *pecuniae parcus?* „Id est, non cupidus, acquirendae non „studiosus. Ita *parcus somni,* qui parum dormit, XI. 13. „2. *parcus in cibum,* pro *parcus cibi,* id est, qui modico „cibo contentus est, XLI. 3. 9. *parcus vini* apud Sue„tonium, Caes. 53. 1. Aug. 77. 1." Haec Vorstius. Quae quidem hactenus probo, ut Justinum hoc vo-

luisse minime dubitem, quamvis loquendi genere vitioso, certe haud usitato, illum sic dixisse contendam. Alia ratio est locorum, quae tanquam similia laudat Vorstius. In illis enim omnibus de *usu* sermo est, non de *appetentia*. Itaque ad horum similitudinem si Justinus *parcum pecuniae* Epaminondam dixisset, non *abstinentem* dixisset, sed potius *avarum* ac *tenacem*. Fuit igitur, cum negationem excidisse, atque *adeo non parcus* legendum existimarem. Sed re adcuratius pensa, hunc ejus vocis usum referendum puto inter illa, quae singularia Justinus habet, et apud scriptorem alium nullum obvia. Sic V. 2. *formae venerationem*, et XIII. 1. simpliciter *venerationem* de formae pulcritudine ac dignitate dixit, quod, ut opinor, alius nemo.

IX. 7. *Quae omnia ita palam facta sunt, ut timuisse videatur, ne facinus ab ea commissum non probaretur.*] Sermo est de Olympiade, quae interfectori Philippi, primum fugienti equos praeparaverat, deinde in cruce pendenti coronam auream imposuerat, tandem gladium, quo rex percussus fuerat, Apollini consecravit. Locus iste male habuit interpretes. Freinshemius *probaretur* dictum putat pro *convinceretur*; hoc sensu: Olympiada omnia illa ita palam egisse, quasi metueret, ne facinus illud (occisi Philippi) non ab ea commissum appareret. At nec ab ipsa Olympiade commissum illud facinus erat, quanquam immisisse Philippo interfectorem crederetur. Praeterea, ut vere monuit Schefferus, verbum *probaretur* illam significationem haud admittit. Sed nec placet, quod hic conjicit, *proderetur*, id est, divulgaretur. Nam eodem incommodo lectio isthaec urgetur, quo Freinshemiana interpretatio. Imposuit autem viris doctis, cum trajecta vox *commissum*, tum insignis *βραχυλογία*, qua verbo *probaretur* Justinus utitur. Dictum enim est, pro *probari videretur*. Nam sensus hic est: *Olympiada nihil non egisse, ut se probante Philippi caedem commis-*

eam, *omnes intelligerent.* Itaque vox *commissum* duabus virgulis coercenda erat, verbaque in hunc ordinem redigenda: *ut timuisse videatur, ne facinus commissum, ab ea non probaretur.* Saepius autem optimi scriptores verbum *videri*, aut *existimari*, e contextu supplendum omiserunt. Cujus generis non unum exemplum notavi ad *Ciceronem de divinatione.* Sic II. 24. *Quota quaeque res evenit praedicta ab istis? aut si evenit quidpiam, quid afferri potest, cur non casu id evenerit?* i. e. evenisse videatur, v. existimandum sit. Conf. *eod.* 45. in.

XI. 12. Pollicetur que (Alexander), *praestaturum se ea Dario, si secundus sibi, non par haberi velit. Ceterum neque mundum posse duobus solibus regi; neque orbem summa duo regna salvo terrarum statu habere: proinde aut deditionem ea die, aut in posteram aciem paret; nec polliceatur sibi aliam, quam sit expertus,* v i c t o r i a m.] Isthaec gemina esse iis, quae apud *Curtium* IV. 11. 22. leguntur, vidit Vorstius. Cur non vidit, Justinum e Curtio esse emendandum? Quid autem e Curtio? Immo e sanioribus Justini membranis, quas secuti interpolatores ea Curtio obtruserunt, quae permulti ejus codices haud agnoscunt. Illi igitur pro *victoriam* dant *fortunam*, non modo melius, sed profecto unice recte. Quid enim Alexander vult, monens Darium, ne *aliam* sibi *victoriam* polliceatur? Num forte hoc, ne speret omnino Alexandrum ab se vinci posse? At hoc militis gloriosi, non viri fortis responsum. Neque, si tamen istum sensum admittas, vox *aliam*, quod hic agat, habet; et dicendum erat: *ne omnino victoriam sibi polliceatur.* An *victoriam* dixit pro *victoriae conditione*, hoc sensu: ne speret, iterum se victum, meliori conditione fore? Stolidam vero admonitionem! Quis enim tam demens hoc speraverit? Quis tam ineptus monendum censuerit? At si *victoriam* in *fortunam* mutaveris, omnia

tum plana erunt, atque expedita, sensusque optime procedet. Scilicet Dario de conditionibus tractare volenti Alexander optionem facit aut belli aut deditionis. Tertium nihil sperare jubet: neque regem illum, sed supplicem, non parem sibi, sed victum agnoscit. In hac illum *fortuna* manere vult, quam altero proelio victus jam *expertus fuerat.* Tum enim, cum item de conditionibus agens Darius, et filiae matrimonium, et regni portionem obtulisset, jussit eum Alexander *supplicem venire, et regni arbitria victori permittere.* Vid. Cap. XII.

XII. 14. *Auctor insidiarum Antipater fuit, qui cum carissimos amicos ejus interfectos videret; Alexandrum Lyncistam, generum suum, occisum; se, magnis rebus in Graecia gestis, non tam gratum apud regem, quam invidiosum esse; a matre quoque ejus Olympiade variis se criminationibus vexatum.*] Hunc locum, ut nunc legitur, apodosi destitutum, viri docti alius alio modo sanari posse speraverunt. Vorstius pronomen *qui* delendum censet, cui assentitur Graevius. Scheffero pro *qui cum* legendum videtur, *idque cum.* Quos miror non vidisse, certam medendi rationem illam esse, quam editio Juntina offerebat, quae conjunctionem *cum* haud agnoscit. Ea quotiens a librariis post pronomen *qui* temere intrusa fuerit, longum est dicere: et dixi ad *Cicer. de divinat. II.* 28. Locis, quae ibi laudavi, adde *de fato* 19. *Quibus in rebus cum causae antecesserint,* cet. ubi conjunctionem a Lambino dudum damnatam, novissimus tandem ejus libelli Editor merito exturbavit.

XVI. 5. *Duo nobilissimi juvenes Chion et Leonides — in necem tyranni conspirant — — quinquaginta cognatos, veluti clientes, in insidiis locant. Ipsi more jurgantium ad tyrannum, veluti ad regem, in arcem contendunt.*] Nihil erat, cur Sebisius ac Bernecccerus verba illa *veluti clientes* in suspicionem

glossematis vocarent. Sed, ni fallor, his errandi caussa fuit non satis intellecta vis verbi *jurgantium*, quod de simplici contentione aut rixa accipiendum putaverunt, ad quam rem nihil opus erat turba clientum.. Est autem verbum forense, atque, si notationem spectes, *jurgare* nihil aliud est, quam *jure agere*. Hinc *Cicero de Rep. IV.* teste Nonio, *benevolorum*, inquit, *concertatio, non lis inimicorum, jurgium dicitur.* Ex quo idem *de legg. II.* 12. *Feriarum festorumque dierum ratio in liberis requiem habet litium et jurgiorum.* Et apud *Livium XXXVIII.* 51. P. Scipio Africanus, *hoc*, inquit, *die, tribune plebis, vosque Quirites, cum Annibale et Karthaginiensibus signis collatis in Africa bene ac feliciter pugnavi. Itaque quum hodie litibus et jurgiis supersederi aequum sit, ego hinc extemplo in Capitolium ad Jovem optimum maximum, Junonemque et Minervam, caeterosque deos, qui Capitolio atque arci praesident, salutandos ibo.* Itaque Clearchi interfectores, cum aliter magna hominum turba stipatis tyrannum adire non liceret, jurgium simulantes, cognatos suos eo nomine in propinquo locaverunt, tanquam sibi veterum more in jure adessent, judiciique eventum exspectarent. Ex his simul intelligitur, quid illis verbis, *veluti ad regem*, significetur, quae item glossematis iidem illi viri docti damnant. Adierunt nempe tyrannum, velut appellandi regis caussa, qui litem inter illos disceptaret. — Ista cum scripsissem, vidi demum, locum hunc jam assertum esse a Gronovio *Observatt. I.* 23.

XVII. 1. *Brevi post tempore* (Lysimachus) — *Agathoclen filium — ministra Arsinoe noverca, veneno interfecit. Haec illi prima mali labes, hoc initium impendentis ruinae fuit.*]. Verba illa, quae Sinonis Virgiliani esse nostis, *Aen. II.* 97. hic nescio quo modo displicent. Quae mirum nisi glossator aliquis tanquam splendentem pannum Justino assuit. Id

quam saepe factum sit cum in aliis, tum maxime in Tacito, disserentem vide Ernestium in praefatione ad ejus scriptoris editionem.

Ibid. eod. *Ultimum hoc certamen commilitonum Alexandri fuit, et velut ad exemplum fortunae, par reservatum.*] Sermo est de Lysimacho et Seleuco bellum inter se parantibus. Nulla est, fateor, haec mutandi necessitas: et tamen vix umquam bene me divinasse credam, nisi inducendum sit vocabulum *certamen*. Id certe venustissimi cujusque aures vehementer probabunt.

Verum haec hactenus. Caeterum vos, commilitones, novum studiorum cursum, cui rite praelusimus, bonis ominibus auspicati, maximis doctrinae auctibus emetimini!

SCHOLA GRAMMATICA
SUPER
NOBILI ILLA VIRGILIANA
FORMA
VINA CORONARE.

Triplex omnino, ni fallor, loca ambigua aut obscura expediendi ratio obtinet. Quarum una diversarum, quae iisdem verbis tribui posse videntur, sententiarum naturam pretiumque internum expendit; reliquae, auctoris, cum se ipso, aut cum aliis, quos forte imitatus fuerit, aut cum quibus, ab ea parte, aliqua ipsi similitudo intercedat, comparationem instituunt. Ex his

alia aliis aut graviora esse, aut leviora, attendenti cuivis facile per se patebit. Nam secundam quidem rationem, quae locis difficilioribus, vel ex auctoris indole, vel ex aliis iisque clarioribus locis, lucem aliquam accendit, caeteris haud parum praestare, vix est, ut moneam. Scriptorem enim quemque suarum vel sententiarum, vel verborum certissimum esse interpretem, res est adeo indubitabilis, ut, nisi a se ipso quasi deseratur, externae opis praesidium ne expetendum quidem videatur. Ubicunque autem ea facultas negatur, tutissima est illa ratio, quae ab interno rerum pretio, sententiarumque aut imaginum, cum veritate et praestantia, tum splendore, magnitudine aut venustate, omnisque generis pulchritudine ducitur. Eaque res ad auctores classicos inprimis pertinere censenda est. Nam in iis quidem, ut quaeque interpretatio sensum efficit, aut veritate aut pulchritudine maxime commendabilem, ita probabilem maxime esse, et per se clarum est, nec immerito in potissimis interpretandi legibus habetur. Scriptorum autem aliorum cum aliis comparatio, quanquam et illa interdum insigne interpretanti commodum afferre potest, tamen ad infringendum, vel suo pretio, vel ipsius auctoris testimonio sustentatum sensum minime valere existimanda est. Atque omnino isthoc genus universum, nisi quae similitudo inter scriptores eorumque verba obtinet apertior, levius est, et ob intempestivum saepe doctrinae aucupium fallacius. Eamque ego potissimam causam arbitror, cur in interpretanda nobili illa de *coronandis vinis* Virgiliana forma plerique interpretes a vero, uti equidem existimo, sensu aberrarent.

Sed age jam rem ipsam ordiamur, duplicique interpretatione proposita, et cujusque origine ac fundamento exploratis, verum ad leges paulo ante constitutas sensum pervestigemus.

Primum igitur illumque interpretationis diversitati

maxime patentem locum Aeneid. L. I. v. 723. legimus sequentem:

Postquam prima quies epulis, mensaeque remotae,
Crateras magnos statuunt, et vina coronant.

Ibi facillima profecto, et quae, praeter Virgilii verba nihil respicienti, ultro se offerat, interpretatio illa est, ut vina per synecdochen pro poculis dicta, craterasque adeo ipsos floribus cinctos intelligamus. Sed nimirum ad hunc similesque alios Virgilii locos Servio primum doctrina Homerica imposuit. Is igitur ad haec verba: *coronant*, inquit, *est: aut, implent usque ad marginem, aut, quia antiqui coronabant pocula et sic libabant*, respiciens nimirum Iliadis aliquem locum, quem infra dabimus. Verum enimvero, si Virgilii mentem non minus ad sua quam ad aliorum verba exigere fas est, non desunt certe alia, eaque haud paulo clariora loca, quanquam, me judice, ne hic quidem, de quo agitur, obscurus est aut ambiguus, sed talia dico, quae vix ullo interpretationis machinamento in alienum sensum detorqueri possint. Nam ut Aeneid. VII. v. 147.

Crateras laeti statuunt et vina coronant,

eum igitur versum ut ob nimiam cum superiori similitudinem praeteream, quamvis et illud nonnullius momenti puto esse, si poëta, de eadem re toties locutus, nulla tamen imitationis Homericae apertiora vestigia praebuit, aliquanto jam certiora dabunt Georg. L. II, v. 528. illa puto:

Ipse dies agitat festos, fususque per herbam,
Ignis ubi in medio, et socii cratera coronant.

Certiora dixi, et nunc ipsa inter se loca conferentem, jam fere est, ut poeniteat. Quamvis enim verba in se ne minimam quidem ambiguitatem habeant, tamen de Homero cogitanti facillimum fuerit, supplere *merat* quam rem in superioribus illis non perinde procedere, infra ostendemus. Sed nimirum interpretum me dece-

pit ratio, quorum impetus potissimum in Aeneidos illum locum fieri solet, quo scilicet isthoc Virgilii opus imitationis Homericae vestigia habet plurima. Quare et hunc locum illis adjungamus, qui, ut rem non satis expediant, vel numero tamen ipso augent probabilitatem, quod simpliciter intellecti omnes nostrae sententiae favent, aliter autem interpretandi necessitatem afferunt nullam. Illa vero Aeneid. III. v. 525 et 526.

> Tum pater Anchises magnum cratera corona
> Induit, implevitque mero,

mea quidem sententia tam plana sunt atque expedita, ut quae maxime; quamvis et ibi Servius, satis, ut opinor, inepte, *aut, usque ad summum implevit,* inquit, *aut, re vera coronavit.* Heynius quidem vir summus, quamvis ad Aeneid. I. 724. sensum Homericum tuetur ac fovet, tamen isthaec aliter, quam de corona vera crateri ex more sacrorum imposita, vix posse accipi fatetur, *etsi*, ita pergit, *dubitatio animum subit, unde in alto florum copia fuerit: sed hoc forte calumniari est.* Quae postrema viri cl. verba nisi ad tollendam dubitationem satis valerent, quippe cum constet, poëtas ista interpretationis subtilitate urgendos non esse, *) haud incommode fortasse aliquod ex ipso Virgilio nostrae sententiae praesidium afferremus. Illa dico, Georg. L. I. v. 303 et 304. aut Aeneid. IV. 418.

> Ceu pressae cum jam portum tetigere carinae,
> Puppibus et laeti nautae imposuere coronas.

Quanquam et ibi, non de ingredientibus portum, sed jam appulsis navigiis sermonem esse, facile quis, si

*) Hujuscemodi licentiae infinita exemplorum multitudo apud poëtas occurrit. Ut alia taceam, Aeneas unius diei spatio instructa classe, Trojaeque signis suae navi praefixis, ex Etruria ad suos revehitur. Aeneid. L. X. v. 156 et seqq. Ubi vide, quae notavit Heynius v. cl.

velit, possit calumniari. Servium autem, coronas de spiris funium accipientem, nil moror. *) Praecipua vero causa, ob quam superiorem illum locum, nisi de cratere sertis floribusque cincto, intelligi non posse, statim quisque deprehendat, illa est, quod verbum *induere* tam parum vino, quam floribus aut coronae optime conveniat. Ut taceam, quod *vino coronat, meroque implet*, ita geminari inepte, in inania potius loquacitatis magistrum, quam castigatissimae orationis auctorem Virgilium cadere posse videatur. Is igitur unus sensus si huic Virgilii loco accommodari potest, idemque nec superioribus repugnat, quo jure interpretes aliena huc inferant, aut cur Virgilium ex Homero potius, quam ex ipso interpretandum existiment, equidem minus intelligo.

Verumtamen hoc ipsum, si placet, largiamur, ut nostrum fortasse non etiam in omnibus sibi constitisse arbitrati, cum Homericis Virgiliana conferamus. Homeri igitur, quem Maronis imitatione expressum putant, locus, Iliad. *A*, v. 469 et 470, ita sonat:

Αὐταρ ἐπει ποσιος και ἐδητυος ἐξ ἐρον ἐντο,
Κουροι μεν κρητηρας ἐπεστεψαντο ποτοιο·

iidemque versus mutato ordine leguntur Odyss. *A*. 149. et 150. **) Itaque et ad Homerum certatim interpretes Virgiliana tamquam simillima videlicet laudare solent, et contra. Quo pacto autem isthaec simillima? De Georg. II. 528. non pugnabo. Nam is quidem locus similitudine ab Homerico κρητηρας ἐπεστεψαντο ποτοιο propius abest: quanquam ego non video, qua re cogar,

*) Ritum quidem ipsum, sertis corollisque ornandi navigia, ut alia mittamus, satis sequens Suetonii locus vindicat. *Per medias civitates ritu triumphantium vectus est, perque flumina delicatissimis navigiis, et variarum coronarum genere redimitis*, Vitell. Cap. X, 4. Conf. quoque Cerda ad Virg.

**) Conf. Iliad. Θ. v. 231.

Virgilii verbis Homeri sensum inferre, aut recusare illum, quem altera eaque simplicissima interpretatio affert. Nam *cratera coronant* de floribus proprie, at de vino per translationem demum potest intelligi. Praeterea sapientiores quidem interpretes, quorum unum instar omnium Heynium nominaverim, hunc locum, non ex Homericae aetatis, sed ex sequioris aevi more judicandum minime dubitant. Illa autem Aeneid. L. I. et VII. quonam modo ab optimis interpretibus, non dicam eadem cum Homericis, sed illis vel ab ulla parte similia haberi potuerint, ego prorsus non assequor. Nam *vina coronare*, et *vino coronare pocula*, eadem vi dici posse, quis animum induxerit? Nimirum, etsi *vina* cum Servio per synecdochen pro *poculis* dixisse Virgilium statuamus, Homeri illud *ποτοῖο* seu *vino* subaudiendum erit, quod in ea verborum constructione longe durissimum. *Pocula* enim *vino coronare* facile intelligas, et recte dicas: at *vina vino coronare*, eadem sententia, quis ferat? Adde, quod *vina* per synecdochen, aut verius metonymiam, nonnisi de *poculis vino repletis* dici possunt, pocula vero nonnisi *vacua* vino coronantur. Quae res una, ni fallor, isthaec Virgilii verba Homeri sensum respuere, tam clare et evidenter ostendit, ut caeterorum argumentorum pondus nullo modo desiderandum videatur. Sed accedit aliorum, quae vidimus, Virgilii locorum auctoritas, accedit internum sententiae pretium et nativa virtus, ut, quaecunque ad stabiliendam ullam interpretationem aliquid conferre possint rationes, in hanc omnes egregie convenire animadvertamus.

Nam ut tertiam hujus disputationis partem ordiamur, eum quem Virgilio sensum tribuimus, longe pulcerrimum, suaque virtute maxime commendabilem esse, quis non sentit? Nil equidem Homero derogaverim. Habet et illa sententia jucunditatis aliquid, et heroicis temporibus isthunc pocula sertis coronandi ritum re-

centiorem esse, interpretes recte quantumvis statuant: sed profecto ad meum sensum alterum illud multo magis est poeticum. Nam pocula floreis sertis cincta cogitare, insignem habet amoenitatem, contra autem, coronata vino, nescio an dictionis magis novitate, quam imaginis exquisita voluptate praestet. Atque illud fidenter assero, quicunque sensu poëtico pectus imbutum habeat, eum sententiam Virgilianam, cur enim post tot argumenta Virgilianam non dicerem? Homericae sine ulla haesitatione antelaturum. Itaque et aliis poëtis passim hanc imaginem frequentatam reperio. Quanquam in plerisque illis, quae ex Graecis Latinisque auctoribus prolaturus sum, locis, non poëtarum modo dilectum judiciumque, sed et ritus illius sacri rationem valuisse, pulcre equidem intelligo. Ad Homerum quidem laudant poëtam Alexin, cujus illi apud Athenaeum versus leguntur:

Φαιδρος δε κρατηρ Θηρικλειος ἐν μεσῳ
Ἑστηκε, λευκου νεκταρος παλαιγενους
Πληρης, ἀφριζων, ὁν λαβων ἐγω κενον,
Τριψας, ποιησας λαμπρὸν, ἀσφαλη βασιν
Στήσας, συναψας καρπιμοις κισσου κλαδοις
Ἐστεψα κ. τ. λ.

Quibus sequentes ex eodem Athenaeo Xenophanis Colophonii versus adjungam:

Νυν γαρ δη ζαπεδον καθαρον και χειρες ἁπαντων,
Και κυλικες, πλεκτος δ' ἀμφιτεθεις στεφανος.

Denique ex Theocrito Eidyllii II. initium, quamvis non de corollis floreis, sed de funiculorum toris, ut ego arbitror, poculo circumdandis accipiendum, laudabo.

Πᾳ μοι ται δαφναι; φερε Θεστυλι. πᾳ δε τα φιλτρα;
Στεψον ταν κελεβαν φοινικεῳ οἰος ἀωτῳ.

Quae postrema me simillimi apud Sophoclem in Oedip. Colon. vers. 485. seqq. loci admonent.

ΧΟΡ. Κρατῆρες εἰσιν, ἀνδρος εὐχειρὸς τεχνη,
Ὧν κρατ' ἐρεψον και λαβας ἀμφιστομους.
ΟΙΔ. Θαλλοισιν, ἢ κροκαισιν; ἢ ποιῳ τροπῳ;
ΧΟΡ. Οἰος νεαρας οἰοποκῳ μαλλῳ λαβων.

E Latinis autem Horatio, ob constructionis aliquam ambiguitatem, non utar. Cujus tamen nobilissimos illos versus,

> O fons Bandusiae, splendidior vitro,
> Dulci digne mero, non sine floribus etc.

qui de vino, ex more libationis coronato, interpretes accipiunt, me quidem non habent adversantem. Sed utar Tibullo, Eleg. II. 5.

> Tunc operata deo, pubes discumbet in herba,
> Arboris antiquae qua levis umbra cadit;
> Aut e veste sua tendent umbracula, sertis
> Vincta: coronatus stabit et ante calix.

Utar denique Papinii Statii binis locis, altero ex L. III. silvar. v. 76.

> Diffugimus, festasque dapes, redimitaque vina
> Abripiunt famuli cet.

ex Thebaidos autem L. VIII. v. 224 et 225. altero:

> — ubique sacri resonant Paeanes, ubique
> Serta, coronatumque merum.

Tandem, ut et recentiorum aliqua, nec levis illa auctoritas accedat, e divino ingenio poëtae, Klopstockii, odis sequentes versus commemorare lubet:

> Lieblich winket der Wein, wenn er Empfindungen,
> Bessre sanftere Luft, wenn er Gedanken winkt,
> Im Sokratischen Becher,
> Von der thauenden Ros' umkränzt,

Cui porro non decantatum vel Kleistii illud,

> Trink aus dem bekränzten Becher
> Glück und frohen Muth,

vel Claudii?

Bekränzt mit Laub den lieben vollen Becher,
Und trinkt ihn fröhlich leer!

Nec tacebo fratrum illud, Christiani ac Friderici Leopoldi comitum a Stollberg, fidorum Klopstockii pedissequorum par, quorum alter puellae, ut puto, sitientis calicem hederis ornat,

Winde schwanke Reben mir
Um das Haar; ich winde
Epheu um den Becher dir,
Lächelnde Belinde!

Alter vero sic,

Blumen umkränzen, wie sie dir nur blühen,
Deine wallenden Locken, und den Becher,
Den mit Götterwein die Natur dir immer
Schäumender anfüllt.

Agmen denique, sic satis opinor longum, bina Sapphus Germanicae, elegantissimae Karschin, loca claudant. Quae quidem ita:

Du Bruder von dem May,
Bekränzter Monat, sey
Mit deinen Rosen mein:
Streu sie um unsern Wein!
Die jüngsten, die du hast,
Gib mir für Wirth und Gast.
Bekränzet sey ihr Haupt,
Ihr Becher sey belaubt,
Mit Epheu, der verliebt
Den nahen Baum umgiebt.

Eademque alibi:

Er kränzt den Becher mit Blumen,
Geraubt der armen Natur.

Sed neque artificibus, quorum monimenta toties lucem poëtis largiuntur, aut vicissim ab illis accipiunt, ea res inusitata. Nam et Lippertianae dactyliothecae aliqua gemma Bacchi ministrum refert, amphoram sertis hederaceis cingentem. *) Cujus adspectus, vel sola

*) Mill. I. part. 1. n. 230. Nollem vero Christianum Adolphum

mentio, statim supra laudatos Alexidis versus in memoriam revocabit.

Quae omnia dum studiose recenseo, mirari subit, quod interpretes, neglecto testimoniorum tanto pondere, Virgilianam formam ad unum Homerum componendam existimaverint. Quid enim? Unus Homeri locus in hac causa valebit, nihil autem valebit vel ipsius Virgilii, vel aliorum scriptorum, qui Homerum ante se et Virgilium habuerunt, auctoritas? Ejus rei ego duplicem causam fuisse existimo: quarum altera est Homeri admiratio, altera Virgiliani carminis, cum temporis, tum personarum respectu, cum illo quaedam similitudo. Quibus rebus merito frequentissima in Aeneide imitationis vestigia, atque adeo tot majora ex Iliade et Odyssea expressa loca adjunxeris. Admirationem dico, quae scilicet olim tanta fuit, ut non Homerum modo pro absolutissimo humani ingenii artificio recte haberent multi,* sed eum penitus adeo pectore atque animo haustum circumferrent, ut is identidem, alia legentibus, obversaretur, nihilque pulcrum, vel externa specie illi simile, quin extemplo Homericum videretur. Cumque, ut praediximus, multa sane atque aperta imitationis vestigia in Aeneide deprehenderentur, nusquam non, vel minima verborum, nec sensus similitudine intercedente, Homerum in Virgilio conspexerunt. Quae superstitio quam sit inanis, necesse non est, ut dicam. Alteram eamque graviorem aliquanto, nec critico indignam rationem ad Aeneid. L. I. 724. Heynium v. cl. maxime impulisse video, ut ibi certe Homericum sensum fovendum existimaret. *De corol-*

Klotzium v. cl. *über den Nutzen und Gebrauch der alten geschnittenen Steine und ihrer Abdrücke* p. 108. antiquam ex Montefalconio T. V. tab. 187. lampadis iconem, ubi par leonum coronam vasi desuper suspensam tenent, levissimum certe, adstruendo, quem vindicavimus Virgilio, sensui praesidium quaesivisse.

lis, ita ille, *cogitare, heroici temporis mos non patitur.* Quae ratio, si tantum eo pertinet, ut, quomodo Virgilium per ejus aetatis, ex qua carminis argumentum desumsisset, mores sese agere debuisse, pateat, sine dubio est longe verissima. Hanc autem illum jam legem migrasse, cum satis illa, quae hactenus a nobis sunt disputata, ostendant, tum per se minus inopinatum videri debet in eo poëta, qui et universi carminis habitu ab aetatis heroicae simplicitate longissime distat, et plurima antiqua cum recentioribus sane vel miscuit vel commutavit, quod genus permultá statim legenti sese offerunt, et nobis ipsis a viro excellentissimo in commentario passim notata deprehendisse visi sumus.

ERNESTI INSTIT. INTP. PART. I. SECT. II.

CAP. IV.

De dictione tropica judicanda et interpretanda.

De troporum natura et ratione fuse a nobis disputatum fuit supra ad Sect. I. Cap. II. ad §. 1—14. Inde quae prae ceteris scitu sunt necessaria, hic paucis in memoriam revocabimus.

Omnis igitur vocabulorum significatio aut *propria* est aut *impropria* vel *tropica*. *Propria* illa dicitur, propter quam verbum primum inventum fuit atque excogitatum. *Tropica* ea est, ad quam verbum aliquod jam inventum a propria significatione invertitur. Dictus enim est *tropus* a τρέπω, *verto*. Ὁ ἄρτος proprie significat *panem*, id est cibum *farina* et *aqua* mixtum coctumque; atque ad hanc rem designandam factum est vocabulum. Hoc sensu legitur apud *Matthaeum XVI*, 5. 7 seq. Sed non uno modo tropice hoc vocabulo utun-

tur scriptores sacri. *Luc. XIV*, 1. non panem modo, sed *epulum* significat. Porro *Matth. VI*, 11. in illis orationis dominicae verbis: *τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον δὸς ἡμῖν σήμερον*, non de cibo modo qualicunque, sed de omni victu cultuque et rebus ad vitam sustentandam omnino necessariis est intelligendum. Quod idem valet de phrasi illa Germanica: Sein Brot erwerben. — Tandem *Ioa. VI*, 32. 33. 35. transfertur ad mentem, *veritatem* atque *sapientiam* significans, quae est animi quasi nutrimentum.

Jam in tropis universe duo spectantur, quorum alterum eorum *caussa* est, alterum *fundamentum*. Caussa duplex est, vel *necessitas*, vel *ornatus*. *Necessitas* existit ab angustia atque inopia linguae, quum res aliqua vocabulum desideraret, atque, ne verborum numerus nimium multiplicaretur, vocabulum alii rei significandae jam inventum cum hac nova re communicarent. *Gemma* proprie lapillum pretiosum significat; sed eodem vocabulo usi sunt ad significandum in vitibus illud tuberculum, e quo uva enascitur. Graeci in eadem caussa *ὀφθαλμοὺς* dicebant, ut nostri Augen. Aliud verbum proprium lingua non habet.

Alteram troporum caussam esse dixi *ornatum*. Ornatus scilicet delectationem sequitur. Quod enim verbo proprio dici poterat, id non proprio vel tropico dicitur, quod hoc aut clarius est aut significantius, aut quod grata inde nascitur orationis varietas. *Ὀφθαλμοὺς* Graeci, *oculos* Latini tropice non tantum vitium arborumque germina vocant, verum etiam quidquid vel rerum vel personarum in suo genere eximium est, aut nobis prae ceteris carum aut pretiosum.

Ex hac divisione duo existunt troporum genera. Quorum enim caussa inest in necessitate, ii *grammatici*, qui vero ornatum sequuntur, recte *rhetorici* vocari possunt. *Grammaticos* nempe dixeris, quatenus nihil aliud spectatur quam loquendi utilitas vel necessi-

tas, *rhetoricos* autem, quatenus caussam habent orationis vel variandae vel ornandae studium. Alii hos *liberos*, illos *necessarios* dicere malunt, idque parum differt.

Alterum quod in tropis spectari dixi, est *fundamentum*. Scilicet non temere atque promiscue omnia vocabula cum rebus omnibus communicantur, sed aliquid esse debet, quod in hac re spectetur, et propter quod vocabulum aliquod cum re, cui proprium non erat, potius quam aliud omne communicetur. Id qualecunque est, tropi fundamentum dicitur. Est autem illud duplex. Aut enim *similitudo* spectatur, aut *conjunctio* vel quae dicitur rerum relatio. Tropus is, cujus fundamentum est similitudo, *metaphora* dicitur. — *Metaphora* Virgilius utitur, et *sanguineas baccas* dicens et *undantem pulvere fumum*, et falcem *curvum Saturni dentem* adpellans. Nam et rubentes baccae propter colorem similitudinem habent cum sanguine, et pulveris excitati aut fumi glomerati motus est aliquis similis undarum agitationi, atque etiam falx cum dente hoc commune habet, ut rebus findendis aut secandis sit apta. — *Conjunctionis* duplex est ratio. Nam vel *interna* est vel *externa*. Qui externa nititur tropus, *metonymia* dicitur, isque vocabulum quod proprie caussae tribuitur, communicat cum effecto, aut contra, vel rerum nomina propter mutuam relationem confundit. Metonymia est, quum poetae pro pane aut frugibus *Cererem*, pro vino *Bacchum*, pro igne *Vulcanum* ponunt. Eodemque tropo utentes scriptores sacri τὸν Χριστὸν dicunt, quum vel Christi *religionem* vel ejus religionis *commoda* atque beneficia intelligi volunt. Vid. ad *Rom. VIII*, 10. *Eph. IV*, 20. *Galat. III*, 27. *Philipp. III*, 8. — Tropus, cujus fundamentum interna est conjunctio, *synecdoche* vocatur. Is tropus partem cum toto, formam cum genere permutat, et contra: ut quum *puppis* pro navi dicitur, aut *limen* pro janua, aut *tectum* pro domo. Per synecdochen ὁ ἄρτος in locis illis,

quos supra commemoravimus, *Luc. XIV*, 1. et *Matth. VI*, 11. ponitur de omni ciborum genere deque omni victu cultuque. At *Ioa. VI*, 32 seqq. est metaphora. Tropi enim fundamentum non conjunctio est, verum similitudo.

Haec de troporum natura universe dicta sufficiant. Sequitur, ut de eorum vi atque significatione pauca item summatim in memoriam revocemus. Ea disputatio omnis redit ad illam quaestionem, quatenus in vocabulo tropico spectanda sit illa vel conjunctio vel similitudo, propter quam illud a re, cui significandae inventum erat, translatum fuit ad aliam. Hic tria tradi solent praecepta, quibus vocabula olim tropica ex justorum troporum numero eximuntur.

Primum hoc est: *Quorum vocabulorum significatio prima atque propria obsolevit, eorum significatio tropica in locum propriae successit, adeoque ista quae primum fuit rerum diversarum similitudo spectari desiit.* Ita verbum Latinum *refutare* vel *confutare* primum significabat aquam ebullientem in *futo*, quod erat vas aquarium, reprimere. Id docent duo Titinii, veteris poetae, versus:

Sapientia gubernator suam navim torquet, non valentia;
Coquus magnum aenum, quando fervit, paulla confutat trua.

Inde natus est sensus hujus verbi tropicus, quo significat aliquem verbis aut oratione sese efferentem vel reprimere vel redarguere. Ea significatio tropica esse desiit propriaque facta est, ex quo prima verbi significatio exolevit.

Alterum praeceptum non dissimile priori hoc est: *Quorum verborum sensus tropicus ita tritus est usu, ut aeque aut magis etiam vulgo notus sit quam proprius, ea vim tropicam exuisse censentur.* Hujus generis in omnibus linguis vocabulorum, quae in vita

communi omnium usu frequentantur, infinita est multitudo; ut quum dicimus, *oculos in aliquid conjicere, aliquid comprehendere, percipere, καταλαμβάνειν, κατάληψις*, fassen, begreifen, Begriff, *rationem* vel *argumentationem concludere*, schließen, ein Schluß: nemo haec tropice, sed vel maxime proprie dixisse censetur, quamvis initio haec vocabula omnia ab aliis rebus ad haec fuerint translata.

Tertium tandem illud est praeceptum: *Quum verba transferuntur ad res proprium verbum non habentes, propriis paria sunt et proprie de iis dicuntur.* Hujus generis partim ea sunt vocabula, quae paullo ante adtulimus, partim usus ille vocabulorum ὀφθαλμὸς atque *gemma* de vitibus, quae vocabula, quamvis initio ab aliis rebus ad hanc translata, recte propria censentur, quia alia vere propria non adsunt. Unde Quinctilianus *Inst. Or. VIII.* „Necessitatis caussa, inquit, „rustici dicunt gemmam in vitibus; quid enim dicerent „aliud?" et *Cicero de Orat. III,* 38. „Gemmare vites „etiam rustici dicunt, quod declarari vix verbo proprio „potest."

§. 1.

His jam breviter expositis accedamus ad rem ipsam. Duplex Ernestus in tropico genere verborum interpretis officium esse dicit: alterum, ut *tropos agnoscere,* alterum, ut *recte interpretari* possit. Utrumque sane non semper facillimum est et adcurata indiget praeceptione. Ita non semel lapsi sunt cum Judaei, tum ipsi Christi discipuli, in iis quae Christus dixisset tropum non agnoscentes. Ut quum *Ioa. VI,* 33. diceret, ὁ ἄρτος τοῦ θεοῦ ἐστιν ὁ καταβαίνων ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καὶ ζωὴν διδοὺς τῷ κόσμῳ, Judaei non intelligentes, Christum de religione animi nutrimento loqui, sed cibum miraculosum exspectantes, qualis majoribus in deserto contigisset, ita respondent v. 34. *Κύριε, πάντοτε δὸς ἡμῖν τὸν ἄρτον τοῦτον.* Neque

ceteri tantum Judaei in istis haeserunt, sed multis etiam ex ejus discipulis *durus iste sermo visus est.* Vid. v. 60. Iidem, quum Christus *Matth. XVI,* 6. illos moneret, ut sibi caverent a fermento Pharisaeorum atque Sadducaeorum, tropum intellectu haud ita difficilem non videbant, donec admoniti a Christo tandem intelligerent, eum de perniciosa illarum sectarum doctrina loqui. Vid. v. 11. 12. Quo in genere saepe hominum fanaticorum error gravem ignorantiae poenam luit, qui multa Christi praecepta tropice vel allegorice dicta proprie intelligentes vel tristium malorum vel atrocium facinorum auctores interdum sibi extiterunt. In quo nobilitatus est furor Origenis, viri quamvis docti et de librorum sacrorum interpretatione praeclare meriti, qui tamen illa, quae leguntur *Matth. XIX,* 12. *Εἰσὶ γὰρ εὐνοῦχοι, οἵτινες εὐνούχισαν ἑαυτοὺς διὰ τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν,* proprie intelligens, ut a nonnullis traditur, semet ipse eviravit. Quam amentiam imitati sunt alii plures, quorum exempla refert *Saldenus* in *Otiis theologicis* p. 499 seqq. nostrisque temporibus idem fecit homo fanaticus in Germania, de quo libellus exstat ita inscriptus: Der neue Origenes, oder Geschichte der seltsamen Verirrung eines religiösen Schwärmers, von Carl Spazier. Berlin. 1792.

Contra vero alii haud levius erraverunt *proprietatem verborum tropica interpretatione pervertentes.* In his multi narrationes historicas aut etiam dogmata ad allegorias ac parabolas traduxerunt. Atque jam Paulli aetate fuerunt, qui quae de mortuorum reditu in vitam libri sacri claris verbis dicunt, tropice vel allegorice interpretarentur. E quibus Paullus II. ad *Tim. II,* 17 seq. Hymenaeum et Philetum commemorat, *οἵτινες,* inquit, *περὶ τὴν ἀλήθειαν ἠστόχησαν, λέγοντες τὴν ἀνάστασιν ἤδη γεγονέναι,* resurrectionem illi, puto, dicentes vel morum emendationem vel animorum per evangelii doctrinam collustrationem. In eandem sententiam Spinoza Christi

in vitam reditum fuit interpretatus, eum *spiritualem* esse dicens, quatenus scilicet Christus *vita et morte singularis sanctitatis exemplum dederit*, atque eatenus *illum etiam discipulos e morte suscitasse, quatenus ipsi hoc vitae ejus atque mortis exemplum fuerint secuti.* Eodem modo Thomas Woolstonus Anglus librum scripsit de miraculis Christi, quo conatus est ostendere, omnem vitae miraculorumque Christi historiam non esse proprie intelligendam, sed exhibere *repraesentationem aliquam emblematicam vitae spiritualis in animis hominum.*

Alterum interpretis officium est *tropos recte interpretari.* Non igitur sufficit, ut tropum agnoscas, nisi etiam, quid tropicus sensus a proprio differat, intelligas. Id autem intelligi nequit nisi perspecto tropi fundamento, id est, rerum quarum vocabula permutantur, similitudine aut conjunctione. Ea res sane requirit judicium rectum, atque probabilium scriptorum lectione et interpretatione subactum. Hoc qui carent, ii saepe tropum pervertunt, vel similitudinem in iis quaerentes, in quibus non est, vel eam ad plures rei partes transferentes, quam scriptoris consilium patitur, unde saepe natae sunt interpretationes absurdae ac portentosae a veroque sensu plurimum aberrantes. Sed de hac re pluribus dicetur infra ad §. 15 seqq.

§. 2. 3.

Accedit Ernestus ad tractandam primam hujus disputationis partem, quae est de *troporum judicio.* Atque hic sunt qui praecipiunt, *non esse facile discedendum a significationis proprietate.* Quod praeceptum etiamsi verum esset, tamen non est ad usum adcommodatum, propterea quod eo nihil definitur neque nota traditur, qua tropi possint agnosci atque a sermone proprio distingui. Qui enim dicit, non facile esse statuendos tropos, tamen id aliquando fieri oportere concedit:

quo concesso quaeritur, quando id fieri oporteat. Hoc itaque erat definiendum. Sed non modo inutile est hoc praeceptum, sed etiam falsum, si, quum *non facile* dicunt, *rarissime* et *prope nunquam* intelligi volunt, quoniam troporum in libris sacris infinita existit multitudo. Sin autem hoc volunt, omnia prius tentanda esse, antequam a sermonis proprietate discedas, idque nonnisi tum faciendum, quum sensum probabilem atque scriptore sacro dignum significatio propria haud admittat, nec perspicue hoc illis verbis dicitur, neque ipsum praeceptum satis circumscripte traditur, quoniam id, quod probabile aut divino scriptore dignum videri debeat, ab aliis alio modo judicatur.

§. 4.

Neque multo melius est quod ab aliis praecipitur: *non sine evidenti caussa aut necessitate proprietatem deserendam esse*, quae est Tarnovii, Calovii ac Danhaueri sententia. Nam quaeritur, quaenam sit evidens caussa, aut quae illa necessitas, quae proprietatem deserere cogat? Eam quidem sic definire conatur Tarnovius in *Exercitationibus biblicis* p. 625. ut gravem atque necessariam caussam tum esse statuat: *quum, si sequamur litteram, falsitas vel in moribus alibi prohibita nequitia et iniquitas admittenda sit.* Eodem fere modo olim Augustinus *de doctrina Christiana* L. III. c. 10. „Si praeceptiva, inquit, locutio est, aut flagitium „aut facinus vetans, aut utilitatem aut beneficium ju„bens, non est figurata. Si autem flagitium aut facinus „videtur jubere, aut utilitatem aut beneficium vetare, „figurata est.“ Est autem haec ratio justo angustior. Quamvis enim haec caussa idonea sit, deserendi significationis proprietatem, tamen saepe etiam ibi est deserenda, ubi neque aperta falsitas neque flagitium e sensu proprio existit. — Eodem incommodo laborat Danhaueri ratio, qui necessitatem hanc ita definit, ut inesse

dicat *in manifesta vel rerum vel factorum repugnantia.* Nam tropus etiam ibi locum habet, ubi in sensu proprio, rerum aut factorum non manifesta est repugnantia. Velut in loco illo quem Ernestus laudat e I. ad *Cor. III,* 13 et 15. Quem locum cum e patribus multi, tum pontificii proprie intelligendum putant de igne, quem comminiscuntur, lustratorio, quo defunctorum animi ab omni labe essent purgandi. Quae opinio quamvis rationibus hermeneuticis satis confutari possit, tamen, si rem in se spectes, nihil habet, in quo manifesta sit repugnantia. Atqui, si Danhaueri ratio valeat,. a significationis tamen proprietate discedendum non fuerit.

§. 5.

Vulgo tropum cognosci dicit Ernestus *re ad sensum vel internum vel externum revocanda.* Id facimus ipsam rei naturam atque notionem voci subjectam considerantes, sive rem exprimat objectam sensibus sive ad intellectum pertinentem. Ea notio si sensu proprio cogitari non potest, inde manifestum fit judicium, verbum tropice esse intelligendum. Ut quum Pindarus *αἰχμὴν ἔγχεος ζακότοιο, cuspidem iracundae hastae,* dicit, in eo tropus facile agnoscitur, si rem ad sensum internum referas. Statim enim patebit, *iracundiam* hastae proprie tribui non posse. Item quando Horatius dicit, *mea me virtute involvo,* facile intelligimus, id tropice dictum esse, quoniam proprio sensu involvi virtute nemo potest. Apud eundem denique quando legimus, *pacatum volitant per mare navitae,* sensus externus propriam verbi *volitant* significationem hic respuit, in quo tropi manifesta inest significatio. Haec igitur via nos plerumque ad tropum agnoscendum perducit: sed tamen nescio an non semper ea ratio per se atque sola sufficiat. Exemplo sit locus *Exodi I,* 21. ubi postquam scriptor narrasset, Judaeorum obstetrices regis Aegyptii

mandato haud obtemperantes masculinam Judaeorum prolem servasse, ita pergit: Ἐπεὶ δὲ ἐφοβοῦντο αἱ μαῖαι τὸν θεὸν, ἐποίησεν αὐταῖς οἰκίας. Itemque *Gen.* XXX, 30. ubi Jacobus dicit: Νῦν οὖν, πότε ποιήσω κἀγὼ ἐμαυτῷ οἶκον; Haec igitur in se spectata si ad solum sensum sive internum sive externum retuleris, nulla profecto caussa fuerit, cur non vocabulum οἶκον proprie dici existimes. Neque enim in iis ulla est notionum repugnantia. Nihilo tamen secius manifesta est tropi ratio. Neque quisquam nisi valde ineptus dubitabit, quin priori loco verba illa ἐποίησεν αὐταῖς οἰκίας, idem plane significare debeant quod paullo ante dicitur, εὖ ἐποίει ὁ θεὸς ταῖς μαίαις. Jacobus autem illud socerum interrogans certe nihil aliud vult nisi hoc: *Quandò ego tibi non ultra serviens, rei tandem meae potèro consulere?* In illis porro quae Paullus dicit II. ad *Cor.* XI, 4. Εἰ μὲν ὁ ἐρχόμενος ἄλλον Ἰησοῦν κηρύσσει, ὃν οὐκ ἐκηρύξαμεν — καλῶς ἠνείχεσθε, quid est quod vetet nomen *Jesu* de persona intelligi? Certe non sensus ille neque internus neque externus: nihil enim res habet in sese, quod cogitari non possit. Verum contextus aperte docet, nomen illud μετωνυμικῶς usurpari de *Christi doctrina.* Hoc enim dicit apostolus: „Quod si qui Christianos se do„ctores professi, Christi doctrinam non puram sincе„ramque, qualem ego tradidi, sed variis commentis te„meratam commendant, id vos aequo animo fertis.“ Itaque vereor, ne praeceptum illud Ernesti ad tropum agnoscendum non semper sufficiat. Atque vix ego putem, rationem tropos agnoscendi posse uno atque simplici praecepto comprehendi. Nam multarum ac diversarum rerum observatione hoc judicium constat. De quibus infra dicetur ad §. 8. 11. 12. 13. 14.

§. 6.

Hoc autem praeceptum ipse Ernestus monet in libris sacris ideo difficultatem habere, quod ibi saepe res

traduntur *sensibus humanis subtractae,* quae proinde revocari ad sensus non possint: cujus generis sunt pleraque omnia, quae de divini Numinis natura ejusque operationibus dicuntur. Ad hoc autem monendum illud videtur, magis id valere de explicando tropo quam de agnoscendo. Nam, quod supra diximus, illa Ernesti regula de tropo agnoscendo, non minus quam ceterae haud ubivis sufficit, atque etiam in rebus divinis nostrisque sensibus subtractis saepe tamen alia ratione tropus agnoscitur. Quo in genere duo maxime sunt tenenda. Primum hoc est, *ut loca illa, de quibus dubitatio incidat, propriene an tropice sint intelligenda, conferamus cum aliis, in quibus de eadem re sermo esse videatur.* Ita quum in libris sacris V. T. deus dicitur fuisse ira aut poenitentia aliove humano adfectu commotus, alia N. T. loca, quae deum omni humana perturbatione atque imbecillitate prorsus liberant, nobis satis persuadebunt, neque illa esse proprie intelligenda. Alterum hoc est, *ut ea, quae revocari ad sensus non possunt, revocemus ad rationem.* Quod si enim quae proprie intellecta huic adversantur, manifestum fit indicium, tropice esse intelligenda. Ut quum Christus *Luc. XXII,* 18. discipulis significat, se aliquando, ἐὰν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ ἔλθῃ, vinum novum cum iis bibiturum, aut quum eodem v. 30. iisdem pollicetur, fore ut in regno coelorum suo convictu fruantur, utque thronis insideant, duodecim tribubus Israelis jus dicturi, vix quisquam tam ineptus sit, ut in his tropum non statim agnoscat. Quanquam enim et sensus nostros, et vero etiam rationem fugiat felicitatis post hanc vitam futurae ratio, tamen illud satis certo intelligimus, ea verba, si proprie accipiantur, sensum exhibere, quem recta ratio pro vero nullo modo agnoscat. In ejusmodi vero locis, ubi ne hac quidem ratione res satis expediri possit, praestat ab omni judicio abstinere remque in medio relinquere; aut si conjecturae locum demus, hoc

ita faciendum est, ut sententiae nostrae non nimium tribuentes, aliis plenam de eadem re sentiendi libertatem concedamus.

§. 7.

Ernestus illud monet, quod de vi troporum supra diximus, e troporum numero eximi primum illa vocabula, *quae propriam significationem amiserint*, deinde illa quoque, *quae translata sint ad res proprium verbum non habentes.* Quae admonitio ut in se est verissima, ita magnam cautionem habet, si ad usum revocetur. Atque nimirum Ernestus pluribus deinceps §§. hinc praesidium aliquod quaerit stabiliendis aliquot familiae Lutheranorum dogmatibus, ut de *communicatione idiomatum* in natura Christi, itemque de *transsubstantiatione* vel *consubstantiatione* in coena sacra. Ita in hoc ipso §. contendit, verbum *generandi*, quia actui divinae naturae exprimendo destinatum unum sit, proprie de filio dei, ut hoc ipsum *filii* nomen, usurpari. Satis id quidem subdole. Hoc enim tacite significat, quemadmodum id quod ex homine nascitur homo est, ita Christum a deo proprio sensu generatum deum esse. Quod ut aliis argumentis efficiatur, hoc certe effici non potest. Nam etsi concedamus, *generandi* verbum hic, quia aliud nullum est, velut proprium habendum esse, adeoque proprie, non tropice dici, tamen alia potest ejus proprietas esse, quum de deo atque Christo, alia, quum de homine dicitur. Quod ut exemplo ex eodem genere alio declaremus, non minus proprie illud tuberculum, e quo uva enascitur, Latini *gemmam,* Graeci *ὀφθαλμὸν*, nostri ein Auge vocant. Quo autem modo proprie? Num sic, ut quum de lapillo pretioso aut de illo corporis humani membro, quo cernimus, iisdem vocabulis utimur? Minime vero: sed vocabulum ab ea re, cui significandae primum inventum erat, ad aliam rem transfertur ita, ut novam significationem accipiat;

seu, quod idem est, vocabulum quidem ipsum ad aliam rem, sed sine antiqua significatione transfertur. Itaque vocabulo jam invento sic plane utimur, ac si novum esset, nulla veteris significationis ratione habita. Nam duabus rebus diversis proprie idem vocabulum eodem modo tribui non potest; aliter enim neque essent diversae: ut, si oculum de humani corporis illo membro dicis, aliud cogitas, quam si de tuberculo vitis, quamvis non minus proprie dixeris.

Quod autem Ernestus dicit: *actum communicandae ejusdem naturae* in divinis et humanis genere universo eundem esse, specie tantum atque modo differre, hoc quidem verum est, sed nihil id ad *generandi* verbum. In hoc enim, quatenus deo tribuitur, cogitandam esse ejusdem naturae communicationem, id sine idonea ratione sumitur. Neque hujus tropi quamvis grammatici caussa, ut idem Ernestus dicit, necessario repetenda est ab *analogia naturarum*, ut neque, quum gemma vitis dicitur, analogia naturarum in tuberculo vitis et in lapillo pretioso spectatur, verum externa quaedam eaque levis sane similitudo. Itaque verbum *γεννᾷν*, quatenus deo respectu Christi tribuitur, sive tropus grammaticus erit atque proprie dicitur, aliam habebit proprietatem, quam quum de hominibus usurpatur; aliter enim neque esset tropus, sed sermo *stricto sensu proprius*; sive in eo tropum rhetoricum agnoscas, nullo modo erit proprium: idemque valebit de eo, quod Christus *υἱὸς θεοῦ* nominatur.

§. 8.

Tropus agnoscitur in enuntiatis iis, quorum subjecta et praedicata sunt *heterogenea*. Heterogenea autem dicuntur, quae sunt naturae diversae, sic ut simul et conjuncta cogitari nequeant, verum alterum altero tollatur. E quo genere sunt omnia, quae disjuncta vocantur, quorum quod alterum ponit, idem alterum negat,

ut corporeum et non corporeum, animatum et non animatum et s. p. Ut quum legimus illa *Aen.* Virg. IV. in.

> At regina gravi jam dudum *saucia* cura
> *Vulnus* alit *venis* et *caeco carpitur* igni,

facillime in his tropi agnoscuntur. Neque enim quis cura proprie *sauciatur*, quoniam illud animi est, hoc corporis, neque ignis, qui nunquam videndi vim habet, *caecus* proprie dici potest, neque etiam ignis *carpit*, sed urit. Simili ratione quando apud Livium XXI. 58. illa legimus: „Tandem effuso imbre, quum eo magis „*accensa* vis *venti* esset, ipso illo quo deprehensi erant „loco, castra ponere necessarium visum est.“ ventos tropice accensos dici manifestum facit diversa venti atque ignis natura. Atque ut e libris sacris etiam exemplum adferamus, Paullus ad *Coloss. II,* 11 seqq. plures deinceps notiones conjungit, in quibus manifesta est naturarum repugnantia. Primum dicit *περιετμήθητε περιτομῇ ἀχειροποιήτῳ*, deinde *συνταφέντες τῷ Χριστῷ ἐν τῷ βαπτίσματι*, tandem *νεκροὺς ὄντας ἐν τοῖς παραπτώμασι καὶ τῇ ἀκροβυστίᾳ τῆς σαρκός*. In his omnibus quae praedicantur, dialectice praedicari non possunt, quoniam veritatem dialecticam non habent, quae posita est in praedicatorum cum subjectis congruentia.

§. 9.

Ab hac regula eximenda statuit Ernestus ea N. T. enuntiata, in quibus *subjecto Jesu* tribuuntur *divina et infinita*. Hujus adserti ea vis est, ut Ernestus divinitatem personae Jesu, non modo qua deus sit, sed etiam qua homo, vindicatum eat, quo falsius nihil potest cogitari. De qua re operae pretium erit paullo pressius disserere. Neque vero istam disputationem repetamus ab ipsa de divina Jesu Christi natura quaestione; sed habeamus id pro concesso, de quo quaeri etiam nunc

possit, an Christo divina natura proprie plenoque sensu claris, certis ac genuinis librorum sacrorum locis tribuatur. Sit nobis, inquam, id pro vero atque concesso: tum ante omnia quaeritur, quoniam non minus certo humanitas Christo tribuitur, ecqua ratione isthoc divinitatis atque humanitatis contubernium in una eademque persona possit cogitari. Hic nostri utramque divinam secretamque esse contendunt, ut neque divinitas Christo homini, neque humanitas eidem deo fuerit collata. Non dicam quam acute et probabiliter, sed certe multo minus adversa ratione, quam Lutherani, qui humanam divinamque naturam in Christo sic confundunt, ut alterius naturae adfectiones cum altera communicentur et in eam velut transeant; ita quidem ut omnipotentia, omniscientia, omnipraesentia Christo non deo tantum, sed eidem etiam homini tribuatur, quatenus est cum deo conjunctus. Hoc quid aliud est nisi copulare ea, quae invicem se tollunt et conjuncta esse omnino nequeunt? Non enim finitum et infinitum, corporeum et incorporeum, animatum et non animatum magis inter se pugnant quam divinitas et humanitas. Igitur si dicas, corpus Christi propter divinam Christi naturam omni loco adesse, nihil aliud dicis, quam id quod finitum spatio sit, infinitum esse, id quod certo loco contineatur, nullo loco contineri et s. p.

Quod autem Ernestus dicit, „quemadmodum adtributa mentis et corporis proprie adtribuantur homini, propter conjunctionem utriusque in unam personam; sic adtributa divina Jesu Messiae propter unitatem naturae ex utraque natura pariter proprie tribui," id si maxime concedamus, tamen non inde efficitur, Jesu deo humana, homini divina tribui, quod quidem illum velle haec ejusdem verba docent, quibus suam sententiam plenius explicat *Opuscul. theol.* p. 398. „Ac „primum, inquit, sicut in conjunctione animi cum cor„pore intelligimus arctissimum mutuae praesentiae

„modum et gradum eum, propter quem adficere pars
„utraque alteram possit pro modo naturae suae, et *ani-*
„*mus corpus cum omnibus ejus adfectionibus suum*
„*possit ac debeat ducere*; sic in illa filii dei cum homi-
„ne copulatione praesentia intercedit utriusque talis,
„per quam ex utroque unum fiat subjectum, cum ad-
„fectione mutua tali, qualem utriusque natura patitur,
„propter quam divina natura *omnia humanae sua du-*
„*cere possit* et *humana divinae.*" Quid igitur ista si-
bi volunt: *Quemadmodum in homine animus corpus
cum omnibus ejus adfectionibus suum ducat, ita di-
vinam naturam in Christo omnia humanae sua ducere
et contra?* Si hoc dicitur: in Christo et divina et hu-
mana ad unam eandemque naturam referri, nihil in eo
inest, quod a communi interpretationis regula eximi
debeat; sin autem hoc vult: in Christo divina cum hu-
manis ita esse confusa, ut et humana de deo, et divina
de homine proprie praedicentur, et falsum est et sine
probabili caussa sumitur. Nam quod idem in nostro §.
dicit: *homini etiam tribui praedicata mentis humanae*,
nimirum si hominem *humanum corpus* dicit, nemo sa-
nus unquam dicet, corpus suum *cogitare, amare, odis-
se* et s. p. ut neque dicimus animum *ambulare, cre-
scere, dissolvi:* si et animum et corpus intelligit, sine
dubio quae sunt utriusque, ea recte *homini* tribuuntur,
sed ita, ut, quae pars hominis animus est, ea sibi soli
vindicet, quae sunt animi, et quae sunt corporis, corpus.
Atque sic ista comparatio ipsa eo valebit, ut quae in
subjecto Jesu divina sunt, ea deo tantum, et quae hu-
mana, homini tribuantur.

§. 10.

Neque ullo modo verum est, quod hoc §. Ernestus
dicit, id quod ante dixerat, usu linguarum omnium fir-
mari. Quid igitur usus linguae firmat? Nempe hoc:
Adtributa mentis et corporis adtribui homini, non

vero sic ut ille hoc intelligi vult, ut quae proprie sunt corporis, ea proprie etiam de animo praedicentur. Immo ne de toto quidem homine ea *proprie* praedicantur, quae *proprie* tantum alterius utrius sunt partis. Ut quum praeco publicus clamabat his verbis: *Cajo exequias ire, cui commodum est, jam tempus est. Ollus ex aedibus effertur,* usu loquendi *Cajus* adpellatur id quod non erat nisi Caji *cadaver.* An autem proprie? Id certe nemo dixerit animum a corpore diversum esse statuens. Socrates quidem apud Platonem in *Phaedone* 65. Critone, quomodo sepeliri vellet, interrogante, subridens, *οὐ πείθω*, inquit, *ὦ ἄνδρες, Κρίτωνα, ὡς ἐγώ εἰμι οὗτος ὁ Σωκράτης ὁ νυνὶ διαλεγόμενος καὶ διατάττων ἕκαστα τῶν λεγομένων· ἀλλ' οἴεταί με ἐκεῖνον εἶναι, ὃν ὄψεται ὀλίγον ὕστερον νεκρὸν, καὶ ἐρωτᾷ πῶς δεῖ με θάπτειν.* Quomodo ergo illa praedicantur? Videlicet tropice ac per synecdochen, quae interdum totum ibi ponit, ubi pars tantum poni proprie poterat. Ut quum apud *Joannem XX,* 13. Maria angelo, quid fleret, interroganti sic respondet: *ὅτι ἦραν τὸν κύριόν μου, καὶ οὐκ οἶδα, ποῦ ἔθηκαν αὐτὸν*, interpretum nemo tam imperitus est, quin videat, *τὸν κύριον* per synecdochen dici pro *τὸ σῶμα τοῦ κυρίου.* Simili plane ratione Christo quidem universe ea recte tribuuntur, quae vel dei sunt vel hominis; sed utraque non proprie, verum per synecdochen, proprie autem nonnisi Christo deo divina, Christoque homini humana: neque aliud quidquam praeter hoc usus loquendi firmat.

Quae adhuc disputavit Ernestus omnia eo spectant, ut illi familiae Lutheranorum dogmati, quod dicitur *de communicatione idiomatum*, ab artificio aliquo hermeneutico praesidium ac stabilimentum quaeratur. Jam id agit, ut alii ejusdem familiae dogmati *de consubstantiatione*, si quo pacto fieri possit, consultum eat. Scilicet Lutheri sectatores ita statuunt: *In coena sacra verum corpus atque sanguinem Christi sub specie panis*

atque vini adesse et edenda bibendaque distribui. In quo hactenus eorum sententia differt a Pontificiorum opinione, ut isti *panem et vinum in corpus et sanguinem Christi mutari*, illi vero *non mutari, sed cum iis uniri statuunt*, manente integra panis atque vini substantia. Ex quo Pontificiorum dogma de *transsubstantiatione*, Lutheranorum vero de *consubstantiatione* adpellatur. Nostri autem sic statuunt: In sacra coena panem nobis offerri tanquam *symbolum corporis Christi*, vinum tanquam *symbolum sanguinis*. Lutheranorum dogma ipse Ernestus adserere conatus est dissertatione *de praesentia corporis et sanguinis Jesu Christi in coena sacra*, quae legitur in ejus *Opusculis theologicis* pag. 193. seqq. Zwinglii sententiam praeter alios multos optime tuentur Henricus Hottingerus in *modesta apologia disceptationi de Eucharistia Solodori nuper emissae opposita*. Tiguri 1663. et Samuel Werenfelsius, *dissertatione in verba domini: Hoc est corpus meum*, quae inserta est ejus *Opusculis theologicis, philosophicis et philologicis*.

Utrique igitur cum Lutherani tum reformati sui dogmatis fundamentum esse volunt ipsa Christi sacram coenam instituentis verba, quae leguntur *Matth. XXVI*, 26. seqq. ubi Christus panem frangens ad discipulos conversus, *Λάβετε, φάγετε*, inquit, *τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου*, itemque sumto poculo: *Πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες· τοῦτο γάρ ἐστι τὸ αἷμά μου*. Haec ergo verba nostri atque illi diverso modo interpretantur. Nostri quidem intelligentes, quantum repugnantiae et absurditatis in ea re insit, si verba ista proprie accipiantur; nempe, ut Werenfelsii verbis utar, „Corpus humanum nostri simile, „nullas tamen habens corporis humani, immo ne corporis quidem proprietates; quod ante oculos positum, „sit invisibile; quod ore corporis idque proprie manducatum, neque tactu neque olfactu neque gustu percipiatur, neque corpus nutriat, sed loco corporis ca-

„triat animum; quod simul sit pluribus locis aut ubi-
„que; corpus humanum, quod se ipsum comederit aut
„saltem comedere potuerit; corpus quod in uno loco
„habeat proprietates contrarias illis, quas eodem tem-
„pore habeat in altero, quod hic sit visibile et palpa-
„bile, ac simul illic invisibile et palpari nequeat; hic
„locale, extensum, impenetrabile, divisibile, illic lo-
„cale, extensionis expers, penetrabile, indivisibile et
„s. p." — : haec igitur quam absurda sint nostri intel-
ligentes, verba institutionis sacrae coenae non proprie,
sed tropice accipienda putaverunt, et quidem justa de
caussa. Nam tropi agnoscendi rationem idoneam ipse
Ernestus §. 8. hanc statuit: *si subjecta et praedicata
sint heterogenea:* eam autem horum verborum, si pro-
prie accipiantur, rationem esse, ecquis audebit negare?
Cicero quidem *de natura deorum III.* 16. „Quum fru-
„ges, inquit, Cererem, vinum Liberum dicimus, genere
„nos quidem sermonis utimur usitato, sed ecquem tam
„amentem esse putas, qui illud quo vescetur deum cre-
„dat esse?" Hic autem illi negant, ullam in sententia
sua repugnantiam inesse. „Neque enim se praesentiam
„corporis Christi physicam statuere, quae sit necessario
„visibilis et loci unius terminis circumscripta, ut fuit
„Christi in his terris agentis: sed se illius praesentiae
„facultatem corpori et sanguini Christi non aliter vin-
„dicare, quam per conjunctionem humanae naturae
„cum divina natura filii dei, talem, per quam, ubi filius
„dei sit aut esse proprio quodam modo possit, ibi etiam
„sit et esse possit natura humana." Vid. Ernest. l. l.
p. 176. Ad haec conferenda sunt illa, quae supra dixi-
mus ad §. 9. Naturae igitur humanae qualis praesentia
nisi physica cogitari possit, ego me non intelligere fa-
teor. Nam si corpus Christi propter conjunctionem
cum divina ejus natura omnem qualitatem humanam
atque corpoream exuit, non erit corpus, sed, quod Ci-
cero de diis Epicuri dicit, *quasi corpus*, nec sanguis,

sed *quasi sanguis.* Sed redeamus ad verba institutionis sacrae coenae.

Nempe isti consubstantiationis patroni hoc saepe argumento utuntur ad adserendam his verbis proprietatem, ut dicant *legislatores* in edictis, *doctores* in tradendis dogmatis, *historicos* in narrationibus, *testatores* denique in condendis testamentis, ambiguitatis vitandae caussa *propria, tantum dictione uti, certe verba tropica nulla adhibere, nisi quae propriorum naturam usu induerint.* Enimvero, inquit Ernestus, *opusc. theol.* p. 142. „ista omnia convenire in verba „coenam sacram instituentis Christi, in promtu est nec „habere dubitationem potest. Etenim oratio Christi „habet praeceptionem et explicationem instituti novi „ejusque magni, quod volebat et bene intelligi et teneri; „eaque tum utebatur primum nec erat postea usurus, „instante morte et discessu e terra.“ Ea igitur res quamvis aliquam certe veri speciem habet, tamen non desunt exempla *legum, testamentorum* et s. p. non tropis modo iisque sane haud ita usitatis, verum allegoriis quoque refertorum. E quo genere in ipsis libris sacris laudantur testamenta Isaci, *Genes. XXVII.* Jacobi, *XLIX.* Mosis, *Deuteron. XXXIII.* — Sed inprimis memorabilis illa lex est, quam Aulus Gellius, *Noctt. Attic. XX,* 1. e duodecim tabulis refert de poena eorum, qui aeris confessi debitam pecuniam solvere non poterant. Cujus legis postrema haec sunt verba: *Si pluribus erunt rei, tertiis nundinis partes secanto.* De hac lege Quinctilianus *Instit. Orat. III,* 6. „Sunt quae„dam, inquit, non laudabilia natura, sed jure concessa, „ut in XII. tabulis *debitoris corpus inter creditores di„vidi licuit,* quam legem mos publicus repudiavit.“ Eodem modo Caecilius apud Gellium. l. l. de eadem lege, „Nihil profecto, inquit, immitius neque imma„nius, nisi, ut re ipsa adparet, eo consilio tanta imma„nitas poenae enuntiata est, ne ad eam unquam perve-

„niretur. Addici namque nunc et vinciri multos vide„mus, dissectum esse antiquitus neminem equidem ne„que legi neque audivi.“ Recte. Quid autem opus erat poenam decerni, cujus atrocitatem nemo non aversaretur? Equidem ejus rei quae fuerit utilitas plane non video. Itaque maxime probo sententiam Roberti atque Bynkershoekii, magnorum jureconsultorum, qui legem istam aliter intelligunt, verbum *secare* non proprie sed tropice interpretandum existimantes. Namque *corpus* sensu forensi non hominem modo ipsum, sed ejus etiam *bona et facultates* significabat. Item *sectores bonorum* dicebantur, qui bona hastae subjecta publica auctionis lege emebant. Hinc probabile fit, *secare quem* dici potuisse pro *alicujus bona auctione distrahere*. Ita maxime tropica interpretatione huic legi erit consultum; eaque tanto est probabilior, quanto absurdior atque atrocior sensus existit, si verbi proprietatem retineas.

Ita porro inter Israëlitarum leges nonnullas esse vel tropice vel allegorice intelligendas, mihi quidem est persuasum. Tale est illud quod legitur *Deuteron. XXV*, 4. *Bovi trituranti non esse os capistro obligandum*: quae lex, si de bove proprie intelligatur, certe parum opportuna hoc loco intrusa videtur, quoniam et quae praecedunt et quae sequuntur non ad animalia sed ad homines spectant. Verum hoc levius: illud majoris momenti esse dixerim, quod Paullum apostolum in hac lege allegoriam agnovisse ut credam, duobus illius locis adducor. Primum I. ad *Cor. IX*, 9. hanc legem commemorans sic pergit: *Μὴ τῶν βοῶν μέλει τῷ θεῷ; ἢ δι' ἡμᾶς πάντως λέγει;* Idem I. ad *Tim. V*, 18. *Λέγει ἡ γραφὴ*, inquit, *Βοῦν ἀλοῶντα οὐ φιμώσεις. καὶ, Ἄξιος ὁ ἐργάτης τοῦ μισθοῦ αὐτοῦ.* Atqui quum posteriora verba nusquam in libris sacris legantur, vehementer in his aestuant interpretes, neque reperiunt rationem, qua inde se expediant. Recte autem illa habebunt, si statuas,

apostolum legem istam allegorice interpretatum, posterioribus verbis explicationem addidisse. Ita scilicet καὶ non copulativum fuerit, sed ἐξηγητικὸν, ut apud Homerum *Iliad. V.* 398.

Αὐτὰρ ὁ βῆ πρὸς δῶμα Διὸς καὶ μακρὸν Ὄλυμπον,

et in epist. ad *Coloss. II*, 8. Βλέπετε, μή τις ὑμᾶς ἔσται ὁ συλαγωγῶν διὰ τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης etc. Sed si sumamus, legem istam proprie quidem de bubus esse intelligendam, verum etiam simul hoc significari, neque servis aut operariis, quibus ad colligendos, condendos promendosve cibos utimur, eorum invidendum esse fructum, quod placere video Michaeli viro doctissimo in dem Mosaischen Recht, Tom. II. §. 130. res sane eodem redit. Eadem enim lex diverso respectu cum proprie tum tropice erit intelligenda.

At, inquis, illa ipsa exempla, illud inprimis quod e legibus XII. tabularum adduximus, nos monere potest, quam genus illud sit vitiosum, propterea quod e sermone improprio facile nascatur obscuritas, aut orationis ambiguitas in hoc genere vel maxime cavenda. Neque vero nos exemplis pugnabimus, quae quum reprehensione non careant, exceptionis potius quam regulae loco haberi possint. Illud modo declarare voluimus, id quod Ernestus de legislatoribus, historicis atque doctoribus contendit, paullo laxius esse accipiendum.

Ceterum quod idem huic generi tropos quidem concedit, sed nonnisi tales, *qui verborum propriorum naturam usu induerint aut certe minus duri sint*: etiam hoc iniquius postulari puto. Sint enim tropi vel duri vel usu minime frequentati, modo nullam obscuritatem aut intelligendi difficultatem objiciant, ego quidem, cur ab his vel ullo in genere sermonis abstinendum sit, nescio, si rem ex arbitrio loquentis aut scribentis, non ex arte judicaveris. Neque ego profecto contendam,

tropum illum, quem nos in verbis Christi illis inesse statuimus, durum non esse, si *panem suum corpus* dixit: illud nego hoc tale fuisse, ut discipuli id non proprie, verum tropice dici non statim intelligerent. Non ergo illud dicam, quod dici a multis solet, quum Christus dixerit *τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου*, aut *τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου*, id loquendi genus plane nihil differre ab eo, quo hominis alicujus statuam vel imaginem monstrantes dicimus: *Hic est ille!* Neque penitus adcommodate hic adfertur illud, quod Aelianus V. H. X. 10. narrat, quum ars pingendi adhuc in cunis versaretur, pictores rudibus atque impolitis rerum picturis adscripsisse: *τοῦτο βοῦς, ἐκεῖνο ἵππος, τοῦτο δένδρον*. Etenim quae signa rerum sunt naturalia, ea ipsas quodammodo res referunt adeoque etiam merito illarum nomen usurpant. Diversa autem ratio illorum signorum est, quae sunt arbitraria. In his enim res per se haud agnoscuntur propter dissimilitudinem, propterea que jam durior est vel audacior tropi ratio, qui cum iis rerum vocabula communicat. Ex hoc autem genere esse tropum illum, quem nos in illa Christi formula agnoscimus, per se fit manifestum. Certe quam similitudinem corpus Christi majorem cum pane habuerit quam cum alio quovis corpore, equidem non reperio. Itaque quemadmodum dixi, tropum quem in his verbis nostri statuunt durum esse atque inusitatum minime negaverim; idem tamen contendo, ejus agnoscendi rationem discipulis Christi fuisse expeditam. Etenim tropi agnoscendi non justam modo, sed necessariam caussam esse supra vidimus, si e verbis proprie intellectis aut repugnantia emergat aut manifesta absurditas. Atque ita discipulos Christi ipsos judicasse magno argumento est illud quod, quum Christus apud *Joannem VI*, 53. illa diceret: *Ἀμὴν, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐὰν μὴ φάγητε τὴν σάρκα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου καὶ πίητε αὐτοῦ τὸ αἷμα, οὐκ ἔχετε ζωὴν ἐν ἑαυτοῖς*, tum illi admodum offensi hac oratione admirationem his verbis

testati sunt: v. 60. Σκληρός ἐστιν οὗτος ὁ λόγος· τίς δύναται αὐτοῦ ἀκούειν; Cur ergo eadem verba in sacra coena audientes offensi non sunt? Ejus rei caussa in promtu est. Nimirum quamvis utroque loco idem dicitur a Christo, tamen utriusque loci diversa est ratio. Apud Joannem simpliciter corpus suum edendum, sanguinem bibendum iis pronuntiat, qui vitam perennem cupiant. Haec de evangelii doctrina per fidem amplectenda dici, neque cibum naturalem, sed, ut hoc utar, spiritualem intelligendum esse, discipulorum simplicitatem facile fallere poterat. Ergo in verbis modo haerentes neque sensum nisi absurdum reperientes, omnino quid statuerent nesciebant. Alia autem ratio erat Christi illa verba in sacra coena pronuntiantis. Nam etiamsi verus eorum sensus illos fugisset, tamen id satis certo videbant, non Christi viventis atque ad mensam adcumbentis ipsum corpus edendum neque sanguinem bibendum ipsis proponi. Ergo id statim intelligebant, verba illa Christi proprie non esse accipienda.

Sed neque verum sensum in tropica dictione latentem illos fugere potuisse, satis manifestum fit evangelistarum loca cum iis conferenti, quae Paullus I. ad *Cor. XI*, 24. seqq. Christi orationem plenius adferens dicit, eum nempe, quum panem distribueret, haec addidisse: τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν, itemque, quum poculum porrigeret: τοῦτο ποιεῖτε, ὁσάκις ἂν πίνητε, εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. In quibus verbis mirifice argutatur Ernestus p. 145. sic scribens: „Proprie autem arguit et in-
„dicat proprietatem verborum et praesentis corporis
„et sanguinis J. C. quod ea negata et figura admissa ea,
„quam defendunt adversarii, frigida existit et parum
„digna Christo tautologia. Quid enim efficitur illis ver-
„bis, si tropice accipiantur, nisi in pane et vino esse
„figuram et cogitationem Christi necati cum fide et grato
„animo usurpandam? et sic intelligi volunt. Enimvero
„id est pariter in clausula orationis. Neque enim ἀνά-

„μνησις illa est alia, quam cogitatio memor Christi ne„cati cum fide et grata mente recolenda.“ Omnino id quidem concedimus, quum Christus diceret: *En hoc est corpus meum*, si verba ista plane excutiamus atque explicemus, etiam illa significare voluisse, quae clausula illa disertis verbis profert. Sed quod fortasse discipuli, quantum illa verba per se valeant, non satis intellexissent, ideo Christo visum est, addita clausula eorum sensum penitus omnem evolvere. In quo non est ut aliquis merito tautologiae vitium objiciat. Haec enim non ejus est, qui obscura et prius significata potius quam dicta claris verbis interpretatur, verum ejus, qui clare et plene jam dicta aliis verbis repetit. Itaque discipuli Christi in verbis: *Hoc est corpus meum*, et: *Hic est sanguis meus*, tropum per se agnoscentes addita demum illa clausula ejus intelligendi rationem perviderunt. Utcunque igitur hoc largiamur, tropum illum omnino duriorem esse, non tamen haec justa caussa est, qua quis contendat, illo Christum in instituti novi ratione tradenda uti haud potuisse. Nam licet durus nihilo minus et facile agnosci per se poterat et propter adjunctam explicationem intelligi.

„At vero, inquit Ernestus p. 143. non quaeritur, „an *corpus Christi edere* atque *sanguinem bibere* tro„pice intelligi possit in oratione, quae manifeste tota „sit figurata, nitaturque praecedente commemoratione „naturalis, quo melior cibus isque spiritualis commen„detur, ut est apud Joannem, sed an tum, cum nihil „tale praecesserit, unde intelligi possit figurate haec dici: „quod negamus.“ Ego vero, quo jure id negari possit, haud intelligo. Nam si illud verum est, quod satis videmur nobis demonstrasse, ut et tropus agnosceretur a discipulis et facile intelligi posset propter adjunctam explicationem, eadem proprie dicendi nulla erat necessitas. Praeterea nimium probat ista viri doctissimi ratio. Etenim si verba illa ideo non sunt tropice acci-

pienda, quod non oratio tota sit figurata, idem etiam valere debet de reliquis institutionis sacrae coenae verbis. Atque in multis manifesta est tropi ratio. Tropus enim est, quum Christus sanguinem suum ἐκχυνόμενον dicit, tum quum supplicium nondum erat passus. Neque minus tropica aut allegorica est oratio, quando idem dicit, se cum discipulis vinum novum bibiturum esse in regno sui patris. Jam si ista tropice dici poterant, cur non illa quoque potuerint, ego non intelligo. Atque ne quis dicat, aliam horum verborum rationem esse atque illorum, quibus Christus panem suum corpus, vinum suum sanguinem vocavit, in his enim rei summam atque institutionis S. Coenae caput verti, tantoque magis sermonis proprietatem servari debuisse: videlicet neque haec magis servata est *Exodi XII.* 11. et 27. ubi commendatur institutum Paschatis. Ibi enim *agnus Paschalis* ipsum *Pascha*, id est *transitus domini* vocatur. Quae si tropice in commendatione novi instituti dici potuerunt, cur non idem fieri potuerit in commendando S. Coenae instituto, equidem rationem nullam video. Nam utroque loco quid illud sit quod edendum aut bibendum proponatur, eodem prorsus modo dicitur, idemque utroque in loco horum verborum, si rem ipsam et institutum spectes, pondus est atque momentum: ergo etiam utroque loco vel proprie accipienda sunt vel tropice. Non placet autem illa Exodi proprie accipi: ergo etiam quae illis simillima in simili caussa Christus dixit, tropice dici potuisse nostro jure defendemus.

Prorsus autem singulare ac paene ridiculum dixerim, quod tandem Ernestus pro sua sententia argumentum adfert p. 146. ubi illa leguntur. „Nec hoc con„temnendum argumentum videtur, quod Christus ju„bens omnes bibere hanc caussam addit, quod vinum „porrectum sit sanguis suus. *Τοῦτο γάρ ἐστι τὸ αἷμά μου,* „*nam hic est sanguis meus.* Neque enim id alio perti-

„here potest, quam ne quis detrectet bibere, per caus-
„sam satietatis, ut fit. Enimvero si nihil aliud in san-
„guine Christi intelligendum erat quam figura sangui-
„nis per mortem fundendi et cogitatio imminentis mor-
„tis, non tollebatur excusatio praetermittendi calicis:
„quippe ea cogitatio et ante oblata erat sermonibus
„Christi et poterat sine potu vini usurpari.“ Equidem
ut verum fatear, mihi talis caussa neque necessaria
omnino et omnium minime apta videtur fuisse ad disci-
pulos ad bibendum invitandos. Atque multo magis fue-
rit, ut quis poculum non satiatus recuset, quo non vi-
num sed sanguinem propinari audierit, vel propter fa-
stidium vel propter rei atrocitatem. Contra inhuma-
nus sit, qui quamvis satiatus bibere detrectet, quum
amici aut hominis bene de se meriti salutem propina-
veris. Quanto justior caussa discipulis Christi erat,
divini magistri et praesentis et ad hoc officium ultro pro-
vocantis memoriam hoc ritu primum celebrandi! Hoc
igitur illorum quemquam recusare potuisse ne cogitare
quidem sine magna eorum injuria licet.

Sed fortasse quis objiciat: „Cur igitur Christus, si
„nihil nisi hoc dicere voluit, non proprio potius usus
„fuit sermone, id ipsum dicens: *Hoc significat corpus,*
„vel, *vobis esto signum corporis atque sanguinis mei?*“
At profecto nimis curiosus fuerit, qui hoc quaesiverit.
Ego autem vicissim quaeram, cur Christus *Joann. XIX,*
26 seq. ad Mariam illa dicens: *Γύναι, ἰδοὺ ὁ υἱός σου,*
itemque ad Joannem: *Ἰδοὺ ἡ μήτηρ σου*, non maluerit
uti sermone proprio. Nimirum haec quoque verba ipso
moriendi tempore a Christo prolata postremam ejus
voluntatem significabant, adeoque etiam quodam modo
testamentaria censeri debent: nemo tamen sanus dubi-
tat, quin haud proprie sint accipienda. Nam in promtu
est verum sensum hunc esse: *Ego, mea mater, volo
te discipulum mihi ante alios dilectum filii loco habe-
re; Tibique, Joannes, matrem tamquam parentem*

colendam omnique modo sustentandam commendat. Neque sane discipulum ejus mandati sensus fefellit; nam statim Mariam adsumens tamquam matrem domi habuit. Quid igitur caussae fuit, cur Christus *matrem* atque *filium* diceret qui non erant? Id nimirum in promtu est. Quis enim non sentit, in illa oratione insigne quoddam inesse πάθος, atque verba ista Christi matri et amico postremum vale dicentis eximium quemdam spirare amoris pietatisque sensum? Id autem, simul atque tropum cum dictione propria commutaveris, totum diluetur. Simillima ratio est verborum institutionis S. Coenae. Ergo si Christus eadem proprie dicere potuisset, tamen cur sic diceret idonea caussa erat. Verumtamen velim dicant nobis, quomodo propriis verbis idem dicendum fuerit. Hoc vero minime poterunt. „Etenim lingua Syriaca, qua Christus utebatur, „rarissime *signi* vel *significandi* verbum in iis propositionibus, ubi praedicatum de subjecto improprie enun„tiatur, adhibet, ne in promiscuo quidem loquendi usu, „sed vel verbum substantivum איתי *Est*, vel pronomen „demonstrativum.“ Haec verba sunt Henrici Hottingeri in libro quem supra laudavi p. 29. vide eumdem p. 66. Hinc etiam est quod antiquissima versio N. T. Syriaca ejus loco ponit pronomen demonstrativum: *Hoc ipsum corpus meum.* Itaque si evangelistarum verba, ut fas est, e Syriasmo interpretemur, ne tropica quidem habenda erunt, sed plane sic intelligenda ac si scripsissent: τοῦτο σημαίνει τὸ σῶμά μου, vel, quod idem est, tropus quidem in Christi verbis inest, sed tropus tantum grammaticus, cujus in vertendo rationem nullam haberi supra in Capite *De verborum generibus et vario usu* docuimus ad §. 12. Ex quo efficitur, ut illa verba sine Syriasmo, qui in illis inest, vertenti sic reddenda sint: Dieß bedeutet meinen Leib.

Advocat sub finem hujus §. Ernestus locum ex *Matth. XXVIII,* 19. ubi Christus sacramentum baptis-

matis his verbis instituit: *Πορευθέντες οὖν μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς* etc. Hic igitur contendit *βαπτίζειν* proprie dici. At si id verum esse contenderimus, nullo tamen modo inde efficietur, etiam illa institutionis S. Coenae verba proprie esse accipienda. Sed vel ibi *βαπτίζειν* proprie dici id vero negamus, si quidem proprie significat *aqua immergere* vel *lavare*, ut apud *Marc. VII,* 4. *καὶ ἀπὸ ἀγορᾶς, ἐὰν μὴ βαπτίσωνται, οὐκ ἐσθίουσι, res in foro emtas, nisi aqua purgatae sint, non edunt* (*Pharisaei.*) cf. *Luc. XI,* 38. Non igitur jussit Christus discipulos omnes ubique homines *aqua immergere*, qui sensus non modo frigidus foret, sed plane absurdus, sed voluit illos actum hunc physicum exercere cum significatione morali. Ergo non sic vertendum, und tauchet sie in das Wasser ꝛc. sed ita, und weihet sie durch die Taufe im Nahmen des Vaters ꝛc.

§. 11. 12.

Ad ea quae §. 11. dicuntur, conferenda sunt illa quae disputavimus supra ad §. 6. Illud hic addendum censeo: non esse ea, quae revocari ad sensum non possunt, confundenda cum iis, in quibus est idearum repugnantia. Nam quae talia esse clare intelligimus, ea vera esse non possunt atque vanum illud effugium est, si dicas non posse ad sensum revocari. Ut si praesentiam corporis et sanguinis Christi in coena sacra sic defendas, ut naturam Christi humanam propter conjunctionem cum divina eam facultatem habere contendas, ut ubicumque filius dei fuerit, ibi etiam sit ejus natura humana, id non modo ad sensum revocari non potest, sed aperte pugnat. Nam corpus esse, id est naturam certis limitibus circumscriptam et finitam, et tamen omnibus locis simul adesse, id est esse naturam infinitam, id vero propter repugnantiam cogitari nullo modo potest. Hoc itaque ante omnia tenendum est, proprie

nihil accipiendum esse nisi quod repugnantia careat. Ea vero quae haud pugnant, sed tamen revocari ad sensum non possunt, proprie an tropice dicta sint, aliter intelligi non potest, nisi e consuetudine loquendi scriptorum sacrorum, eamque vere dicit Ernestus aliter non cognosci nisi collatione locorum similium.

Atque hic tria praecepta habet Ernestus §. 12. Primum quidem facilem esse dicit distinctionem propriorum et tropicorum, *quum de eadem re aliis locis alia verba usurpentur.* Ad haec autem illud monendum videtur: non per se verborum diversitate rationem tropicam declarari. Nam interdum eadem res aliis verbis sed tamen tropicis pluribus locis significatur. Ita vitae futurae felicitas modo δόξα vocatur, ut II. ad *Thessal. II,* 14. modo στέφανος, ut II. ad *Tim. IV,* 8. *Jac. I,* 12. — *I. Petr. V,* 4. modo speciem habet *convivii,* ut *Luc. XXII,* 30. Haec igitur omnia tropice dici magis rei natura quam locorum inter se collatio docet. Sed ad tropi agnitionem tum facit verborum diversitas, quum eadem res alio loco tropice, alio proprie dicitur. Atque hoc sine dubio voluit Ernestus. Ad hoc autem praeceptum illustrandum laudat *Joa. III,* 5. ubi Christus ad Nicodemum haec dicit: ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος, οὐ δύναται εἰςελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ. Quae ille contendit cum iis quae leguntur *Marc. XVI,* 16. ὁ πιστεύσας καὶ βαπτισθεὶς σωθήσεται. Quae loca inter se diligentius conferenti patebit verba γεννηθῆναι ἐξ ὕδατος respondere τῷ βαπτισθῆναι, itemque γεννηθῆναι ἐκ πνεύματος, τῷ πιστεύειν, denique εἰςελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ, τῷ σωθῆναι. Quibus perspectis una cum troporum agnitione simul expedita erit eorumdem interpretatio.

Alterum quod Ernestus adfert praeceptum hoc est: *Quum perpetuum sit idem in omnibus locis de eadem re verbum, ex eo orationis proprietatem agnosci.* In quo praecepto vereor equidem ne dolus aliquis lateat,

ad adserendam Christo communem cum deo patre naturam excogitatus. Nam ut verum in se fuerit hoc praeceptum, hanc certe cautionem habet, ut excipienda sint illa loca, in quibus scriptores sacri ad opinionem vulgi orationem adcommodant. Etenim, ut vere dicit Cicero *de off. II,* 10. „Alia est illa, quum veritas ipsa „limatur, in oratione subtilitas, alia, quum ad opinio- „nem communem omnis adcommodatur oratio. — Po- „pularibus enim verbis est agendum et usitatis, quum „loquimur de opinione populari.“ Itaque nolim ego cum Moro, viro doctissimo, inde quod ἀνάστασις νεκρῶν constanter dicitur, concludere, ipsum illud corpus, quod homo moriens posuit, in vitam esse rediturum. Nam ad homines imperitos, quos et animi simplex natura fugeret, quique nullam hominis redivivi nótionem animo informare poterant praeter eam quam sensibus concepissent, hac certé oratione fuit utendum. Itaque si etiam in talibus rebus illud praeceptum valere existimetur, videamus ne ad stabiliendos errores absurdos hoc genus manet. Ego certe eadem ratione facile efficiam, ut quae de signo mortuis extremo die tuba dando in libris sacris leguntur, ea quoque proprie intelligenda sint. Vid. *Matth. XXIV,* 31. — *I.* ad *Cor. XV,* 52. — *I.* ad *Thessal. IV,* 16.

Atque ex his jam intelligitur, quid sentiendum de illo sit exemplo, quod ipse Ernestus adfert; nempe verbum γεννᾷν, quo Christi cum deo conjunctionis modus perpetuo exprimitur, esse proprie intelligendum. Nimirum hoc verbo usi sunt scriptores sacri, non quod illud huic rei significandae penitus esset adcommodatum, sed vel quod aliud magis adcommodatum humana lingua non haberet, vel quod res humanum intellectum fugiens aliqua quantumvis levi fortasse similitudine ad sensum quodammodo fuit revocanda, eadem prorsus ratione, qua deo *iram, poenitentiam* et similia tribuunt, in divinam naturam haud cadentia,

quae quidem eruditus nemo proprie intelligenda putat. Si quis tamen cum Ernesto contendat, verbum isthoc γεννᾷν, etsi primum translatum esset, tamen quod ea res proprium verbum non habeat, in verbi tropici numero non esse habendum, per nos id faciat, modo meminerit, aliam ejus proprietatem esse, quum de deo atque Christo, aliam, quum de humano patre atque filio dicatur, id quod satis videmur docuisse supra ad §. 7.

Tertium praeceptum hoc esse dicit Ernestus: *Quum de diversis at similibus tamen rebus aut conjunctionem aliquam habentibus idem modus loquendi usurpetur, proprie id intelligendum esse.* Atqui neque satis dilucide hoc praecipitur, nec, quae sit hujus praecepti utilitas, intelligitur. Quam enim istam vel similitudinem vel conjunctionem dicat, non satis per se patet. Deinde ego quidem caussam nullam video, cur non de similibus rebus alio loco tropicus esse sermo, alio proprius esse possit: quod agnovit etiam Morus, in commentatione ad hunc §. recte monens, hoc praeceptum non convenire iis, quae *Joann. VI*, 32. 49. 58. dicuntur. Videlicet deus Israëlitis in deserto *panem coelestem* dedit, qui Manna vocabatur. At Jesus item *panem coelestem* se daturum promittit. Haec certe similia sunt, sed alterum proprie, alterum tropice intelligendum.

Neque porro video, quid impediat, quo minus idem loquendi modus de similibus rebus utroque loco tropice adhiberi queat. Sed fac, maxime verum esse id praeceptum, numquam tamen inde hoc efficietur, quod Ernestus putat, ut verba institutionis sacrae coenae proprie accipienda sint. Etenim quae hunc in finem laudat ex ep. ad *Hebr. IX*, 20. falso acumine ad hoc praeceptum illustrandum advocavit. Videlicet ista commemorans Paullus respectum habet ad ea, quae narrantur *Exodi XXIV*. Ibi dicitur Moses, postquam sacra fecisset, victimae sanguine et librum legis et populum adspersisse haec verba dicens: *En hic sanguis foederis*,

est, quod deus vobiscum pangit. At Christus Matth. XXVI, 28. poculum discipulis porrigens, τοῦτό ἐστι, inquit, τὸ αἷμά μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης. *En hic est sanguis meus, sanguis novi foederis.* Hic igitur ex Ernesti praecepto uterque locus, *quatenus alter alteri similis, est,* proprie erit intelligendus. Ante omnia itaque quaeritur, qua in re ista similitudo insit. Hic autem duplex similitudo cogitari potest, quarum altera in verbis, altera in rebus inest. Quae in verbis inest, eo tantum nititur similitudo, quod utrobique *sanguis* commemoratur. Jam si dicas ideo, quod altero loco aperte *verus* sanguis commemoretur, etiam altero *verum* sanguinem intelligendum esse, verum erit quod supra diximus, quoniam panis ille coelestis, quem deus Israëlitis in deserto dedit, *verus* panis seu cibus fuit, etiam illum *verum* existimandum esse, quem Christus se daturum promittit. Si in re inest similitudo, in eo inerit, quod utroque loco *ritus* commemoratur *sanciendi foederis.* Id igitur erit tertium comparationis, ultra quod progrediendum non sit. Quo posito illud unum e verbis Christi emergit, ut, quemadmodum olim victimae sanguine ad consuetudinem veterum populorum dei cum Israëlitis foedus fuerit sancitum, ita etiam novum dei cum humano genere *foedus* ipsius Christi tamquam victimae sanguine profuso sancitum videatur.

At, inquiunt, Christus *vinum* porrigens *sanguinem suum* adpellat. Adpellat sane: sed ea orationis pars jam tertium illud comparationis, quo locorum nititur similitudo, haud adtingit. Non igitur vident, qui verba Christi cum illo Paulli ad Hebraeos loco contendentes consubstantiationem sese stabilituros putant, quid inter utrumque differat, eaque inter se comparant, quorum diversa est ratio. Nimirum Christi oratio si plene efferatur, duo habet enuntiata, quorum alterum ita sonat: τοῦτο τὸ ποτήριόν ἐστι τὸ αἷμά μου, alterum hoc est: τὸ αἷμά μου ἐστὶ τὸ αἷμα τῆς καινῆς διαθήκης. In verbis

autem Mosis, quae Paullus refert, unum hoc enuntiatum inest: τοῦτο τὸ αἷμά ἐστι τὸ αἷμα τῆς διαθήκης. Jam plane perspicuum puto, cum his verbis nonnisi posterius enuntiatum esse contendendum, prius vero illa nulla ex parte adtingere. Itaque si rem ad ipsum Ernesti praeceptum exigamus, ex hac locorum comparatione illud tantum efficitur, ut, quem ad modum *sanguis victimae*, quo antiquum foedus sanciebatur, *verus sanguis* fuerit; ita etiam Christi sanguis sanciendi novi foederis caussa profusus *verus sanguis* habeatur. An vero Christus *vinum* proprie an tropice *suum sanguinem* dixerit, id quidem aliis demum rationibus disceptandum relinquitur, quoniam illa vel Paulli vel Mosis oratio membrum nullum habet, quocum ista possint contendi. Atque haec si vera sunt, ut certe puto esse verissima, magnum aliquod conlabitur consubstantiationis fulcrum, quo hujus dogmatis patroni vel maxime solent confidere. Vid. Ernesti disputationem saepius commemoratam, de praesentia corporis et sanguinis I. C. in coena sacra p. 147 seq.

Quod tandem addit Ernestus, quod de typo dictum sit, id multo magis in antitypo proprie intelligendum esse, id quoque non satis circumscripte dicitur. *Typum* nempe vel personam vel rem theologi dicunt, qua in vetere testamento, novi testamenti res aut persona similis tamquam imagine fuerit adumbrata. Haec vero posterior *antitypus* dicitur. Inter typum igitur et antitypum quaedam intercedere debet similitudo, ut quod de priore dicitur, id etiam valeat de posteriore. Ista vero similitudo certos terminos habet, neque omne quod de typo praedicatur, statim etiam valet de antitypo. Ita Paullus ad *Rom. V*, 14. Adamum Christi typum esse dicit. Quid igitur? An quia Adamus humani generis auctor fuit, idem valebit de Christo? aut quia propter peccatum auctor fuisse dicitur humanae miseriae, id etiam de Christo praedicabitur? Immo ipse Paullus v. 15

a contraria parte Adamum cum Christo contendit, quod, quemadmodum Adamus auctor fuit *miseriae*, ita Christus sit auctor *salutis*. Tertium itaque comparationis in eo positum est, quod utriusque magna vis fuit in genus humanum, sed alterius ad miseriam, alterius ad salutem. Pari modo, si victimam illam foederis antiqui typum esse dixeris Christi, deo se tamquam sacrificium pro nobis offerentis, id non eam habebit sententiam, ut, quidquid de victima vere atque proprie praedicari possit, id quoque ad Christum pertineat. Verum quidquid tandem illud fuerit, quod de victima illa tamquam typo Christi praedicari possit, id tantum valebit de morte Christi velut piaculari, non de ritu sacrae coenae, cujus typus illa victima non fuit: ideoque etiam minime bene sacra coena tamquam illius antitypus ab Ernesto commemoratur.

§. 15.

Judicium, proprie an tropice quid dicatur, fieri pronuntiat Ernestus *ex epithetis, adverbiis aliisque determinationibus, modum rerum et naturam exprimentibus*. Jesum itaque *filium dei* proprie dici ex epithetis ἴδιος et μονογενής sequi contendit, propterea quod ea verba nonnisi proprie dicantur. Respicit primum ad ea quae legimus ad *Rom. VIII*, 32. τοῦ ἰδίου υἱοῦ οὐκ ἐφείσατο etc. At hic ἴδιον cum emphasi poni tamquam *verum* et *genuinum*, quamvis et inter patres multi sint quibus ita videatur, tamen sine idonea caussa sumitur. Nam ex usu scriptorum sacrorum hoc vocabulum persaepe simpliciter locum tenet pronominis possessivi, ut apud *Matth. XXII*, 5. de iis qui ad concelebrandas nuptias invitati venire recusassent: οἱ δὲ ἀμελήσαντες ἀπῆλθον, ὁ μὲν εἰς τὸν ἴδιον ἀγρὸν, ὁ δὲ εἰς τὴν ἐμπορίαν αὐτοῦ; ubi τὸν ἴδιον simpliciter *suum* significare, nisi satis per se clarum esset, vel pronomen αὐτοῦ in altero membro positum argueret. Eodem modo *Joann. X*, 3. τὰ ἴδια

πρόβατα i. q. τὰ πρόβατα αὐτοῦ. 1. *Petr. III*, 1. ὁμοίως αἱ γυναῖκες ὑποτασσόμεναι τοῖς ἰδίοις ἀνδράσιν: atque sic saepe etiam versio Alexandrina. Eadem ratio est vocabuli μονογενής. Igitur quum 1. *Joann. IV*, 9. illa leguntur: τὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸν μονογενῆ ἀπέσταλκεν ὁ θεὸς εἰς τὸν κόσμον, non necesse est ut vocabulum μονογενῆ proprio sensu sumamus. Nam ex hebraismo saepe idem significat quod ἀγαπητός. Ita enim Hebraei יָחִיד, quod proprie *unicum* seu *unigenitum* significat, interdum ponunt pro *dilecto*: ut *Genes. XXII*, 2: quem locum versio Alexandrina sic reddit: λάβε τὸν υἱόν σου τὸν ἀγαπητόν. Conf. eod. 12 et 16. Ex his igitur satis patet falli Ernestum, quum ista epitheta Christo tamquam filio dei proprie tribui velut certum et indubitatum statuit. Sed fac illa proprie sumenda esse, non tamen inde sequitur, *filium dei* ita proprie dici, ut Christus cum deo in eadem ratione esse censendus sit, qua filius cum patre humano: de qua re videnda sunt ea quae diximus ad §. 7.

§. 14.

Contextum ad judicandam orationem tropicam prodesse dicit. „Nam quum sit allegoricus totus, in sin-„gulis partibus aliquam cum universa allegoria conjun-„ctionem habentibus agnosci tropum debére: itemque „quum oratio ex eodem genere propria praecesserit ab „eaque manifeste transitus factus sit ad allegoriam.“ Haec igitur ut concedamus, nullo certe modo concedere possumus id quod paullo post dicit: ubi tale nihil praecesserit, ibi tropum locum non habere. Atqui hoc maxime urgere solent Lutheri sectatores, ipseque Ernestus quae hic adtingit fusius exponit in dissertatione, quam saepius jam laudo, his quidem verbis. „Non quae-„ritur, an ita haec intelligi possint in oratione, quae „manifeste tota sit figurata, nitaturque praecedente „commemoratione cibi naturalis, quo melior cibus is-

Q

„que spiritualis commendetur, ut est apud Joannem,
„sed an tum quum nihil tale praecesserit, unde intelligi
„possit figurate haec dici; quod negamus. Atque hie
„ille ipse est scrupulus, qui urebat Zwinglium, quum ei
„esset a scriba civitatis injectus, qui non requirebat ex-
„emplum scripturarum, in quo verbum *esse* significan-
„di vim haberet; quis ita imperitus sit scripturarum vel
„omnino sermonis humani, ut de eo dubitare possit at-
„que ejus rei exemplum petere? — immo hoc quaere-
„batur, an uspiam in scripturis sic diceretur absolute,
„h. e. extra parabolam et allegoriam, aut quum nulla
„allegoria vel simile quid praecessisset, in cujus explicatio-
„ne, quod figurate dictum erat, accipit interpretationem,
„quae cum verbo figurato per verbum *est* copulatur."
Nempe his respicit Ernestus ad colloquium de Euchari-
stia, quod *Zwinglius* coram senatu Turicensi habuit
quodque ipse enarrat in *Subsidio de Eucharistia* Opp.
Tom. II. fol. 248 seq. Hic igitur Zwinglius ut ostende-
ret, verba Christi τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου non esse neces-
sario proprie intelligenda, exempla similia, ut putabat,
laudavit ex *Matth. XIII,* 38. ὁ δὲ ἀγρός ἐστιν ὁ κόσμος etc.
Ad haec scriba quidam objiciebat, exempla ista ad pro-
positum nihil facere: in loco enim illo Matthaei aper-
tam esse parabolam, non autem ibi, ubi Christus dicat,
Hoc est corpus meum. Ad quae Zwinglius ex tempore
quaedam respondit non plane scopum ferientia. Atque
ista sic peracta sunt die 12. Aprilis. Quum autem ipse
sentiret, non satis se confutasse scribam, postea coepit
requirere alia librorum sacrorum loca propius ad rem
pertinentia. „Coepimus ergo, ita scribit, cogitare omnia,
„omnia revolvere; attamen aliud nihil exemplorum
„occurrebat, quam quod in commentario proditum est,
„aut quod occurrebat, erat illorum simile. Cum vero
„tredecima dies adpeteret, (vera narro adeoque vera,
„ut celare volentem conscientia cogat effundere quod
„dominus impertiit, non ignorans quantis me contume-

„liis risibusque exponam) cum, inquam, tredecima Apri-
„lis lux adpeteret, visus sum mihi in somno multo cum
„taedio denuo contendere cum adversario scriba sicque
„obmutuisse, ut quod verum scirem, negante lingua
„beneficium suum, proloqui non possem: qui me an-
„gor, ut solent nonnumquam somnia fallaci ludere no-
„cte, vehementer turbare videbatur. Ibi ἀπὸ μηχανῆς
„visus est monitor adesse (ater fuerit an albus, nihil
„memini, somnium enim narro), qui diceret: quin,
„ignave, respondes ei quod Exodi XII. scribitur: *Est*
„*enim Phase, hoc est transitus domini.* Protinus ut
„hoc phasma visum est, simul expergefio et e lecto ex-
„silio. Locum apud septuaginta primum undique cir-
„cumspicio, ac de eo coram tota concione pro virili dis-
„sero. Qui sermo ubi acceptus est, omnibus sacrarum
„litterarum candidatis, qui adhuc nonnihil propter pa-
„rabolae obstaculum haerebant, omnem nebulam dis-
„cussit.“ Haec Zwinglius.

Verba igitur illa, quibus ad interpretationem suam confirmandam usus est, leguntur Exodi XII, 11. Ibi Moses, postquam jussu divino Israelitis omnem caerimoniae paschalis rationem exposuisset, tandem illos jubet agno paschali vesci, *succinctos* et *calceatos* et *baculum manu tenentes*, velut qui ad iter faciendum essent accincti, hanc addens rationem: *est enim Pascha* i. e. *transitus domini.* Atqui etiam hoc exemplum negat Ernestus id probare, quod Zwinglius volebat. *Est enim,* inquit opp. theol. p. 144. *pariter ex interpretatione caerimoniae paschalis, h. e. rei figuratae, quo genere nihil proficitur.* Mirum profecto acumen! quo quidem etiam nos utentes pariter verba Christi sacram coenam instituentis, tamquam rei figuratae interpretationem, tropice accipienda esse jure nostro defendemus. Cur enim rem figuratam coenam Paschatis dicit Ernestus? Nimirum ideo, quia duplex rei in hoc ritu inerat adumbratio. Altera erat ipse *transitus,* quod

nempe genius ille coelestis Aegyptiorum filios primogenitos trucidans, Israëlitarum domos postibus sanguine conspersis admonitus transiisset: unde mansit hic ritus, victimae sanguine postes atque limina januarum adspergendi: altera erat profectio Israëlitarum subita ex Aegypto, unde coena sumenda erat succinctis et calceatis, tamquam instante profectione. Itaque illa verba Mosis, ad quae Zwinglius provocat, si plenius sententiam efferas, hunc sensum continent. „Illa postium at„que liminum adspersio atque coena illa, quam sumere „jubeo succinctos et calceatos, vobis in memoriam re„vocare debet cum beneficium illud filiorum vestrorum, „in clade illa nocturna primogenitorum Aegypti, servato„rum, tum subitam illam ex Aegypto profectionem.“ Similis plane mihi ratio esse videtur verborum Christi sacram coenam instituentis. Etenim in illis quoque interpretatio inest rei figuratae. Coenam domini rem figuratam dico, quia continet adumbrationem Christi pro hominum salute supplicium passi. Itaque ipsorum Christi verborum haec est sententia. „Panis iste, qui „vobis comedendus porrigitur, vinum, quod bibendum „praebetur, vobis in memoriam revocare debet corpus „meum pro hominum salute in crucem actum sangui„nemque meum pro vobis effusum.“ Mihi igitur adcommodate illum Exodi locum laudasse videtur Zwinglius. Sed fac etiam hunc locum nobis eripi, non tamen destituimur alio, qui id quod volumus clarissime demonstret quemque miror Zwinglium praeteriisse. Illa dico, quae supra laudavi ad §. 10. e *Joannis XIX*, 26 seq. *Ἰησοῦς οὖν ἰδὼν τὴν μητέρα καὶ τὸν μαθητὴν παρεστῶτα, ὃν ἠγάπα, λέγει τῇ μητρὶ αὐτοῦ· Γύναι, ἰδοὺ ὁ υἱός σου. Εἶτα λέγει τῷ μαθητῇ· ἰδοὺ ἡ μήτηρ σου.* In his igitur tropi extra parabolam atque allegoriam tam manifesta est ratio, ut neminem fugere possit sanae mentis hominem.

§. 15.

Accedit Ernestus ad alteram disputationis de tropis partem, quae est de troporum *intelligentia* atque *interpretatione*. Vid. §. 1. Non enim iis, quae de troporum judicio adhuc dicta sunt, res omnino confecta est, quoniam is, qui tropum in loco aliquo agnoscit, eum minus recte intelligere atque perverse interpretari tamen potest. Itaque ea quoque res praeceptione indiget. Duos autem troporum intelligentia fontes habet, quorum alter inest in *rebus ipsis*, alter in *usu loquendi*. E rebus intellectus ducitur, quum tropus perspicua nititur *similitudine*. Similitudo perspicitur comparatà rerum, quibus idem vocabulum est commune, natura, unde emergit illud quod dicitur *tertium comparationis*. Exempli loco adfert Ernestus vocabulum φωτισμός, quod legitur II. ad *Cor. IV*, 6. ubi, ὁ Θεός, inquit Paullus, ὁ εἰπὼν ἐκ σκότους φῶς λάμψαι, ἔλαμψεν ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν πρὸς φωτισμὸν τῆς γνώσεως τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ ἐν προσώπῳ Ἰησοῦ Χριστοῦ. Jam φωτισμὸς proprie significat *illustrationem*, quae fit ope *luminis*. Lumine nempe efficitur, ut res objectas videamus aliasque ab aliis discernamus. Idem igitur vocabulum ad animum translatum significabit illum mentis statum, quo vel ipsi verum perspicimus vel ad illud perspiciendum alios instituere valemus. Est ergo id ipsum quod nostri homines vocant Aufklärung, Erleuchtung. Proinde illa sic vertere licebit: Eben der Gott, welcher aus der Finsterniß das Licht hervorgehen hieß, hat auch mein Inneres erleuchtet, um das Licht einer höhern Erkenntniß, welches von Jesus Christus ausstralet, auch Andern mitzutheilen. Hic igitur similitudo et perspicua et in promtu est. Est autem interdum ea neque perspicua neque in promtu posita, et tamen tropi intelligentia atque interpretatio ex rebus facile ducitur. Perspicuam dico quae facile per se intelligitur. In promtu illa est, quae rebus inter se comparatis statim emergit neque e longinquo est petenda.

Sic quum Aeschylus in *Prom. vincto* v. 90. ποντίων κυμάτων ἀνήριθμον γέλασμα, aut Oppianus *de venatione IV*. 334. κύματος γέλως, aut Catullus in *Epithal. Pelei et Thetid. undarum cachinnos* dicit, similitudo inter *risum* et *undarum strepitum* neque perspicua est neque in promtu posita; nihilo tamen minus facilem puto atque expeditum tropi intellectum. Nam nihil aliud est, ad quod risum vel cachinnum undarum referre possis, nisi strepitus ille, quem undae leniter adpulsae edunt.

In hoc autem genere, quando, id quod interdum fit, rerum inter se comparatio non satis valet ad intellectum, in consilium adhibendus erit *contextus*, e quo subinde clarum id fieri potest, quod per se haud intelligitur. Exemplo sint ea, quae Jocasta apud Sophoclem dicit in *Oedipo rege*, Ed. Brunkii v. 987.

Καὶ μὴν μέγας ὀφθαλμὸς οἱ πατρὸς τάφοι.

Hic quid tropo isto, qui parentis sepulcrum *magnum oculum* dicit, significetur, ex rerum ipsarum comparatione nemo, ut opinor, intelliget. At hoc, quod difficillimum per se est, contextus facile expediet. Itaque hoc tenendum est, oraculo proditum fuisse, Oedipum parentem suum ipsum interemturum, matrem autem in matrimonium ducturum esse. Atqui Oedipus Laji Thebarum regis se filium esse ignorabat, et Polybo Corinthi rege se genitum esse putabat. Itaque quum metuens oraculi eventum Corintho relicta rex Thebarum factus Jocastam in matrimonium duxisset, nuntius adfertur, regem Polybum, quem patrem suum esse existimabat, e vita decessisse. Quo nuntio parte sollicitudinis levatus, quum adhuc matris matrimonium horreret, Jocasta oraculi partem irritam praetendens, eum his verbis solatur. Quid, inquit, times oraculum, quod te cum matre concubiturum praedixit? Nonne eodem te parentem interfecturum esse editum fuit? Atqui is senio confectus diem supremum obiit. Hujus igitur se-

pulcrum tibi oculus esto. Ex his jam clarum puto, quo sensu ὁ πατρὸς τάφος ab illa ὀφθαλμὸς dicatur. Nempe ὁ ὀφθαλμὸς ad animum translatus nihil aliud significare potest, quam videndi i. e. *judicandi* atque intelligendi vim. Igitur hoc dicit Jocasta: *Ex eo, quod patrem vita defunctum esse audis, satis licet intelligere, vanum omnino illud oraculum fuisse.* Hinc perite atque luculenter Steinbrychelius sic vertit: Die Gruft deines Vaters sollte dir doch die Augen öffnen.

Huic exemplo adjungamus aliud, quod ex eodem genere libri sacri offerunt. Quid sit τιμὴ σώματος vel προσώπου, non facilem, puto, per se habet explicatum. Sed locum I. ad *Cor. XII.* 23. inspicienti et contextum consideranti, ni fallor, planum erit, tegumentum aliquod corporis vel vestimentum idque ad ornatum potissimum spectans esse intelligendum. Est enim sermo de corporis partibus iis, quae sunt ἀτιμότεραι, quibus opponuntur illae, quae sunt εὐσχήμονες, id est, *quibus species est grata.* Illis ergo, inquit Paullus, τιμὴν περισσοτέραν περιτίθεμεν, hoc est, *adcuratius illas vestibus ornamus: quae autem per se placent, ea minus indigent ornatu.* Itaque τιμὴ hoc sensu respondet vocabulo germanico Schmuck, eoque sic non semel utitur versio Alexandrina, ut *Genes. XX.* 16. Ibi Abimelech Sarram dimittens, ἰδού, inquit, δέδωκα χίλια δίδραχμα τῷ ἀδελφῷ σου· ταῦτα ἔσται σοι εἰς τιμὴν τοῦ προσώπου σου, sine dubio de *flammeo s. velo* loquens, quo faciem tegeret. Itemque *Prouerb. XII.* 9. Κρείσσων ἀνὴρ ἐν ἀτιμίᾳ δουλεύων ἑαυτῷ, ἢ τιμὴν ἑαυτῷ περιτιθεὶς καὶ προσδεόμενος ἄρτου. Jam cf. I. ad *Cor. XI.* 10. a פאר ornatus, capitis tegumentum, — δόξα — τιμὴ — ἐξουσία.

Alter fons, e quo troporum intellectus ducitur, inest in *usu loquendi*, isque consulitur primo cognoscenda universa consuetudine linguae vel *hebraicae*, ad quam conformatus est omnis scriptorum sacrorum N. T. sermo, vel *hellenisticae*, qua utuntur, vel *pure Grae-*

sae, addo etiam *aliarum linguarum*. Ex usu linguae hebraicae declarantur tropi, qui insunt in vocabulis ζωὴ, θάνατος et similibus, de quibus alio loco diximus. Exemplum tropi ex usu linguae hellenisticae explicandi paullo ante commemoravimus in vocabulo τιμή. Exemplum tropi ex usu linguae graecae et latinae declarandi laudabo e I. ad *Tim. VI*. 4. Illa dico: Εἴ τις ἑτεροδιδασκαλεῖ — τετύφωται, μηδὲν ἐπιστάμενος, ἀλλὰ νοσῶν περὶ ζητήσεις καὶ λογομαχίας etc. Hic tropi intelligentia, qui inest in verbo νοσεῖν, multos fefellit: atque vidi, qui illud τοῖς ὑγιαίνουσι λόγοις v. 3. oppositum putantes rem acu tetigisse sibi viderentur, valde quidem illi imperite. Scilicet νοσεῖν et νόσον Graeci, *morbum* Latini tropice admodum saepe frequentant de *studio*, *cupiditate* aut simili mentis perturbatione, ab aliqua judicii pravitate profecta. Nam quemadmodum morbus corporis habitus aut adfectio est, bonae valetudini, id est, naturae, contraria, ita etiam cupiditates aut aliae mentis perturbationes, quia ejus tranquillitatem, id est, statum naturalem et rationi consentaneum, turbant, recte animi morbi vocantur. Sic Aristophanes in *avibus* v. 31.

Νόσον νοσοῦμεν τὴν ἐναντίαν Σάκᾳ.

Atque iste Sacae morbus is erat, ut, quum civis non esset, se in civitatem intruderet. Porro Demosthenes ed. Reisk. p. 1481. Atheniensium νόσημα vocat, quod plus apud illos invidia valeret quam bene factorum gratia. Et Plutarchus in vita *Poplicolae*: Οἷόν ἐστι τὸ λεγόμενον Ἐπιχάρμου· οὐ φιλάνθρωπος τύγ' ἐσσ', ἔχεις νόσον, χαίρεις διδούς. Id Epicharmi dictum ob oculos habuisse videtur Cicero *de Off. I*. 15. illa scribens: „Multi faciunt „multa temeritate quadam, sine judicio, vel *morbo* (sic „enim legendum) in omnes, vel repentino quodam, quasi „vento, impetu animi incitati: quae beneficia aeque „magna non sunt habenda atque ea, quae judicio, con„siderate constanterque delata sunt.“ Idem in *Verrem*

Act. II. Lib. IV. in. „Venio nunc ad istias, quemadmo-„dum ipse adpellat, studium; ut amici ejus, *morbum* „et insaniam; ut Siculi, latrocinium." Loquitur nempe de insano operum artis amore, quo Verres impulsus vasa Corinthia et Deliaca, gemmas, signa, tabulas pictas e tota Sicilia tamquam in hostili solo rapuit. Neque hunc tropum nostra lingua ignorat. Nam simile est illud quod dicimus: von einem Fehler angesteckt mit etwas behaftet seyn, daran krank liegen, die Sucht haben etwas zu thun. Hujus autem tropi in loco illo Paullino ne umbram quidem habet versio Bahrdtiana sic reddens: Der gehört unter die Zahl jener aufgeblasenen Ignoranten, die über spitzfindigen Streitfragen und Logomachien sich ereifern können; paullo melius Stolziana: Der kränkelt an Grübeley und Wortgezänke; malim tamen sic: Der ist ein aufgeblasener und unwissender Mensch, welchem Spitzfindigkeiten und Wortklaubereyen zur Sucht geworden sind.

Porro usus loquendi tropum declarat *per comparationem locorum, in quibus eadem res proprio verbo exprimitur.* In Ep. ad *Philipp. II.* ab in. Paullus Christianos obsecrat atque obtestatur, ut alieni ab omni contentione atque dissidio, sese mutuo amantes et colentes summo animorum consensu vivant, his praeter alia usus verbis: εἴ τις κοινωνία πνεύματος. Hic quaeritur, quis sensus vocabulo πνεύματος, cujus tropicum hic usum esse in promtu est, sit subjectus. Atque vulgo κοινωνίαν πνεύματος *animorum conjunctionem* interpretantur, non illi videntes, si ista animorum conjunctio jam inter illos locum habeat, non esse demum Christianos obtestandos, ut illam colant. Quam enim hoc absurdum! Ich beschwöre euch bey der Eintracht, welche unter euch Statt haben mag, einträchtig zu seyn. Est autem, ni fallor, ἡ κοινωνία πνεύματος hic idem, quod ad *Philem.* 6. aliquanto jam clarius, quamvis non proprio verbo, dicitur ἡ κοινωνία πίστεως. Sed verbum etiam proprium

„inquit, per ista tempora eosdem fere sectores fuisse „collorum et bonorum?“

§. 16.

Monet Ernestus, *non ex etymologia tropos esse judicandos*, ut quae fallacissima sit ratio. Scilicet etymologia verborum originem atque primam significationem scrutatur. Jam vero tropus est ejusdem verbi ab alia re ad aliam propter similitudinem aut conjunctionem translatio. Similitudo autem intelligi nequit nisi comparata rerum inter se natura atque ratione. Neque igitur tropice quid verbum valeat intelligi potest, nisi intellecta prima verbi significatione. Quod si verum est, hoc efficitur, ut tropi ex etymologia utique sint judicandi. Excipiuntur vero primum vocabula illa, quorum non prima, sed secundaria ac tropica significatio ad novam rem transfertur. Ibi enim illa ipsa tantum spectata est significatio, quae transfertur. Qui tropum e prima significatione interpretantur, ii saepe mira et absurda comminiscentes a vero procul absunt. Id accidit interpretibus in loco Paulli, qui legitur II. ad *Tim. II.* 15. *Σπούδασον σεαυτὸν δόκιμον παραστῆσαι τῷ θεῷ — ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας.* Hic igitur in explicando verbo ὀρθοτομεῖν valde inter se dissentiunt interpretes. Alii similitudinem repetendam putant a victimarum justa dissectione ac distributione partium, ut Melanchthon, Beza atque ipse etiam Grotius; alii, ut Chrysostomus et Theophylactus, ab hortulanis aut coriariis, superflua ab arboribus aut pellibus resecantibus; alii ab aratoribus rectos sulcos secantibus; alii a lapicidis; alii ab alia arte vel opificio: nimirum omnes ad primam verbi τέμνειν significationem respicientes. Rectius autem alii tropum repetunt a phrasi graeca τέμνειν ὁδὸν vel κέλευθον, quam etiam Latini imitantur, ut Virgilius *Aen. VI.* 900.

Ille viam secat ad navis sociosque revisit.

Atque jam Graeci scriptores id loquendi genus tropice usurparunt, ut Euripides in *Rheso*, v. 422. seq.

Τοιοῦτός εἰμι καὐτὸς, εὐθεῖαν λόγων
Τέμνων κέλευθον κοὐ διπλοῦς πέφυκ' ἀνήρ.

Ipsum vero verbum ὀρθοτομεῖν eodem sensu habet versio Alexandrina *Proverb. XI.* 5. δικαιοσύνη ἀμώμου ὀρθοτομεῖ ὁδούς. Cf. eod. III. 6. Ergo in nostro loco ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας nihil aliud erit quam: *In tradenda religionis doctrina recte versari* vel *rectam viam tenere*, quod idem Paullus simili metaphora ad *Galat. II.* 14. dicit ὀρθοποδεῖν πρὸς τὴν ἀλήθειαν τοῦ εὐαγγελίου. Vid. quae dico ad Plat. *Euthyphr.* c. 2. ὡς καινοτομοῦντος.

Sed praeterea frequens in hoc genere est error in vocibus compositis, in quibus interpretes facile labuntur, singularum partium primam significationem spectantes, ubi tropicus usus non nisi unam spectari vult. Exemplo sit locus apud Xenophontem *Ἀπομν.* II. II. 3. ab nemine, quod sciam, interpretum adhuc satis vel intellectus vel explicatus. Ibi Socrates cum filio Lamprocle de ingrati animi vitio disserens, quum hominem quemvis *ingratum injustum esse* convenisset, hoc quaerit: utrum, quemadmodum qui amico pro mancipio utatur, *injustus* fuerit, non autem is qui in hoste idem faciat, ita etiam *ingratum* esse adversus amicos injustum quidem habendum sit, non item adversus hostem? Ad quae Lamprocles respondet: Quicumque gratiam sive amico sive hosti non referat, si possit, injustum sibi videri. Tum Socrates, *Οὐκοῦν*, inquit, εἴγε οὕτως ἔχει τοῦτο, εἰλικρινής τις ἂν εἴη ἀδικία ἡ ἀχαριστία. Haec Wielandus in *Musei Attici* Vol. III. Tom. I. sic reddit: Wenn dem so ist, so wäre also die Undankbarkeit deiner Meinung nach offenbare Ungerechtigkeit, eodemque fere modo ceteri quos vidi interpretes. Falso quidem omnes, respicientes illi sine dubio vocabuli etymologiam, qua

τὸ εἰλικρινὲς idem est ac *τὸ εἵλη κρινόμενον*, *id quod in solis luce spectatur vel judicatur*, quodque adeo est *clarum, manifestum, indubitatum*. Atqui sensus iste neque loci consilio est adcommodatus neque totam aperit Socratis sententiam. Illud nimirum in promtu est, Socratem duo ista tamquam non prorsus similia discernere: *Si quis alio pro mancipio utatur*, et *Si quis gratiam non referat, quum possit*. Minus autem subtiliter hoc discrimen in eo poneret, quod gratiam non referre manifesta sit injustitia. Nam amico pro mancipio uti injustitia est non minus manifesta. Sed hoc alterum ab altero differt ex Socratis sententia, quod sint quibus pro servis uti sine injustitia possis, nemo autem sit adversus quem sine injustitia ingratus esse possis. Ergo alterum per se injustum est, alterum cum conditione, vel, ut philosophi loquuntur, haec injustitia *absoluta* est, illa *conditionata*. Atque hoc illud ipsum est, quod Socrates dicit. Proinde sic erit vertendum: Wenn die Sache sich so verhält, so ist die Undankbarkeit schlechtweg oder in jedem Falle eine Ungerechtigkeit. Eam vero significationem vocabulo *εἰλικρινὴς* usus loquendi vindicat. Nam saepe dicitur de eo, quod *purum, sincerum, non permixtum*, sed unius tantum generis est. In quo, puto, nihil spectatur praeter primam significationem verbi *κρίνω*, scilicet *secerno, separo*. Hinc Phavorinus ita explicat: *Εἰλικρινὴς σημαίνει τὸν καθαρὸν καὶ ἀμιγῆ τοῦ ἑτέρου*. Hoc sensu utitur Aeschines Socraticus in dialogo *de morte* c. 17. *Οὐκ εἰς θάνατον, ἀλλ' εἰς ἀθανασίαν μεταβάλλεις, ὦ Ἀξίοχε, οὐδὲ ἀφαίρεσιν ἕξεις τῶν ἀγαθῶν, ἀλλ' εἰλικρινεστέραν τὴν ἀπόλαυσιν, οὐδὲ μεμιγμένας θνητῷ σώματι τὰς ἡδονάς, ἀλλ' ἀκράτους ἁπασῶν ἀλγηδόνων.*

Alterum ex eodem genere adferamus exemplum e libris sacris. In Ep. ad *Colass. I*, 15. Christus dicitur esse *πρωτότοκος πάσης κτίσεως*. Hoc igitur loco Ariani quum illud effici putarent, ut Christus, quamquam re-

bus omnibus tempóre prior, in naturis tamen creatis habendus sit, multi in hoc vocabulo explicando vehementer aestuarunt. Atque primus Isidorus Pelusiota mutato accentu πρωτοτόκος legendum censuit, hoc scilicet sensu, ut Paullus dicat, Christum non primum creatum esse, ἀλλὰ πρῶτον τετοκέναι, τουτέστι πεποιηκέναι τὴν κτίσιν, in cujus sententiam ivit Erasmus. Alii veterem lectionem retinentes divinae Christi naturae consultum voluerunt interpretatione. Alius, inquiebant, est πρωτότοκος, alius πρωτοκτισθείς. Hic *creatus* est, ille *genitus*, neque igitur in rebus creatis habendus. Grotius primum dici existimat in *creatione nova*, de qua vide II. ad *Cor. V*, 17. ut alios praeteream. Quae omnia ab sensu aberrant. Neque enim iste locus favet Arianorum sententiae, neque videndum erat, quo pacto aeternitas Christo vindicari posset, quum tamen sive genitus sive creatus diceretur. Videlicet viri docti nimium urgentes vocabuli etymologiam, non illud viderunt quod erat in promtu positum: nempe vocis compositae nonnisi priorem partem valere; posterioris nullam esse rationem habendam. Etenim hoc vocabulum interdum de solo *principatu* dicitur, sine notione vel gignendi vel creandi, eique tribuitur, qui primus est vel tempore vel dignitate. Ita paullo post v. 18. idem Christus dicitur πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν, quod sane nihil aliud significare potest quam eum, qui primus e morte in vitam rediit. Conf. *Apoc. I*, 5. Atque hunc sensum huic vocabulo etiam tribuit versio Alexandrina, ut *Psalmo*. *LXXXVIII*, 27. Αὐτὸς ἐπικαλέσεταί με — καὶ ἐγὼ πρωτότοκον θήσομαι αὐτὸν, ubi in promtu est, de *principatu* ac dignitate hoc dici, quoniam qui primogenitus natura non est, certe neque arbitrio fieri potest. Neque vero tropicae hujus significationis ratio obscura est. Nam quia filii primogeniti apud Judaeos dignitate omnibusque rebus primi censebantur, inde ista sola notio a primogenitis ad alios translata fuit, qui, velut si essent pri-

primogeniti, prae aliis colebantur. Vid. Ep. ad *Hebr.* *XII*, 23.

§. 17.

Quod Ernestus dicit: *notam esse tropicae orationis utcumque intellectae, si possis verba propria tropicis substituere,* primum videndum est, quid sit illud, *utcumque intelligere*, tum quid hic *propria verba* dicens cogitaverit. Is autem utcumque intelligit, qui intellectum verborum aliquem habet, sed neque plenum illum neque adcuratum. *Propria verba* si dicas, permultum interest, utrum verba tantum non translata, sed rebus significandis inventa dixeris, an non talia modo, sed quae omnem verborum tropicorum vim exhauriant. Haec prout intellexeris, vel verum erit vel falsum quod sequitur: *qui hoc possit, non statim recte intelligere.* Scilicet non statim intelliget is, qui propria quidem verba tropicis, sed non omnem horum vim exhaurientia possit substituere. Ut si quaeram, quid sit νοσεῖν τὰ Περσικά, atque aliquis respondeat, esse *rebus Persicis studere*, is sane nihil dixerit. Propria vero his tropicis verba, id est tropi vim exhaurientia substituisse is censendus erit, qui dixerit significari *adfectationem morum Persicorum ab animi quadam insolentia atque fastu profectam*, atque hac explicatione utens plenum illorum verborum pandet intellectum. Illud autem sine dubio verum est, si sine explicatione singulis tantum tropicis verbis singula propria substituamus, rarissime his tropum sic declarari, ut plenum ejus habeas intellectum. Idque in primis de tropis valet rhetoricis, qui quidem hanc ipsam ob caussam expetuntur, quod his eadem res significantius dicitur quam verbis propriis. Ceterum ipsi saepe scriptores tropicis verbis subjungunt propria. Ita quem Ernestus laudat, Paullus ad *Coloss.* *II*, 7. vocabulis ἐῤῥιζωμένοι et ἐποικοδομούμενοι proprium subjungit verbum βεβαιούμενοι. Eodem modo Cicero in

Vatinium VII. quum *emersum e coeno* dixisset, addit, *omnium facile omnibus rebus infimum.* Atque in illo loco, quem supra e Psalmo LXXXVIII. laudavimus, verba illa *καὶ ἐγὼ πρωτότοκον θήσομαι αὐτὸν* excipiunt illa: *ὑψηλὸν παρὰ τοῖς βασιλεῦσι τῆς γῆς.* — Quae porro dicit Ernestus, *Proderit videre, an sublata imagine* etc., ea me non intelligere fateor. Nam sublata imagine i. e. prima vocabuli significatione, nihil sane relinquitur, e quo possis sensum elicere. Etenim tropi omnis intelligentia nititur rerum vel conjunctione vel similitudine, eaque invenitur comparatione. Sublata autem rerum, quae sunt comparandae, altera utra, ipsa quoque comparatio tollitur.

§. 18.

In genere orationis tropicae etiam *allegoria* censetur. Locum *de allegoriae interpretatione* tractavit Morus in dissertationibus *theologicis et philologicis* p. 370 seqq. Ibi igitur allegoriam dicit esse *modum sententiae integrae sic exprimendae, ut loco rei quae proprie dicenda erat dicatur res ei similis.* Hoc ipsum nomen ex parte declarat. Nam dicta est *ἀλληγορία*, quia *ἄλλο μὲν ἀγορεύει, ἄλλο δὲ νοεῖ.* Sed ut id quod allegoria declarari volumus intelligatur, necesse est, ut res illa quae dicitur sit ei similis, quam intelligi volumus. Neque tamen si pro eo quod proprie dicendum erat, res similis dicitur, haec statim allegoria censenda est. Nam in metaphora quoque res similis dicitur pro ea quam intelligi volumus. Ut quum *fortunae procellas* dico, quum ejusdem subitas ac vehementes commutationes intelligi volo, non haec allegoria, sed metaphora est. Est autem allegoria, qua utitur Horatius *Carmm. II,* od. 10.

Rectius vives, Licini, neque altum
Semper urgendo, neque, dum procellas
Cautus horrescis, nimium premendo
Littus iniquum.

Pari modo si eum qui reipublicae praeest dico *clavum*

tenere, ea metaphora est. Sed est allegoria, qua utitur Cicero *Epp. ad div. IX*, 15. sic scribens: „Sedebamus „olim in puppi et clavum tenebamus; nunc autem vix „est in sentina locus." Quid igitur ista ab se differunt? Nimirum metaphora brevissime ac plerumque uno verbo id quod intelligi vult re simili declarat, allegoria autem similitudinem per singulas partes eundo persequitur, seu, quod Morus dicit, allegoria *sententiam integram amplectitur*, quum metaphora *singulis modo notionibus* contineatur. Atque hoc idem fere est, quod alii sic dicunt, *allegoriam esse metaphoram explicitam ac continuatam*.

Porro ab similitudine vel *comparatione* sic differt allegoria, ut hac res significetur, illa illustretur. Scilicet comparatio rei quae illustrari debet, aliam similem adjungit, quo facilius ejus ratio intelligatur. Allegoria, ipsa re omissa, in ejus locum aliam similem sufficit. Habes et comparationem et allegoriam in illis Horatii versibus *Carmm. IV*, 2.

> Multa Dircaeum levat aura cycnum,
> Tendit, Antoni, quoties in altos
> Nubium tractus: ego apis Matinae
> More modoque
> Grata carpentis thyma per laborem,
> Plurimum circa nemus, uvidique
> Tiburis ripas operosa parvus
> Carmina fingo.

Magnum igitur Pindari ingenium alti spiritus carmina fundens imagine cycni declarat, magno nisu in altos nubium tractus evolantis. Non tali similem dicit, sed ipsum cycnum poetae substituit evolantem, adeoque allegoria utitur. Ipse se Horatius comparat *api multo cum labore e floribus mella legenti*: ad cujus similitudinem se dicit *operosa carmina tenui ingenio fingere*. Ea igitur est comparatio, quia rei simili s. imagini res ipsa ponitur ex adverso.

Est autem aliud genus allegoriae *purum*, aliud *mix-*

tum. Allegoriam *puram* dico, quae omnem sententiam similitudine comprehendit, *mixtam*, quae et rem ipsam quae significari debet, et rem similem qua significatur permiscet. Posterius genus si sobrie tractetur, non est quidem illud reprehendendum, sed judicium desiderat subtile ac certum, quo si quis careat, facillime in pueriles ineptias delabitur. Quod igitur Cicero dicit in *oratione pro Milone II.* „Equidem ceteras tempestates et „procellas in illis duntaxat fluctibus concionum semper „putavi Miloni esse subeundas", id non modo reprehensione caret, sed etiam optime dici quisque videt. Nam si vocabulum proprium *concionum* sustuleris, durum fuerit. Illa autem quam puerilia sunt immanisque frigoris plena, quae concionator aliquis Francogallus in eo conventu dixit, qui nomen a natione habuit! Bildet einen undurchdringlichen Phalanx und bringet es dahin, daß diejenigen, welche kabaliert haben, um den alten Titannen zu erhalten, ihre Plane aufgeben müssen! Ich habe mich in die Zitadelle der Vernunft zurück gezogen; ich will mit der Kanone der Wahrheit aus derselben einen Ausfall thun und die Bösewichter, welche mich haben anklagen wollen, in den Grund bohren. Vide Girtanners Nachrichten über die Französische Revolution. 13. B. S. 69. Hoc genere allegoriae mixtae Paullus aliquoties utitur, ut ad *Ephes. VI,* 13 seqq. I. ad *Thessal. V,* 8. II. ad *Cor.* X, 5.

Jam in interpretanda allegoria ante omnia ejus *consilium* est indagandum. Consilium illud dico, quod is qui allegoria usus est, spectavit. Est autem omni allegoriae id propositum, ut res aliqua alia re eaque simili illustretur. Ejus itaque consilium is intelligit, cui perspecta est res illa quae illustrari debet. Hujus autem reperiendae triplex est ratio. Nam aut *ab ipso scriptore declaratur*, aut *intelligitur ex orationis contextu*, aut ex *ipsa allegoria seu re simili conjectura elicitur*. Si ab ipso scriptore declaratur, id aut *disertis verbis*

fit, aut sic ut *ipsam rem propriis verbis subjungat*, aut ut *sententiam ei quae allegoria declarari debet contrariam et adversam propriis verbis exponat.* Prius illud nec admonitione indiget nec exemplo. Rei simili ipsam rem propriis verbis subjungit I. ad *Tim. V*, 18. ubi praecepto allegorico Βοῦν ἀλοῶντα οὐ φιμώσεις, statim addit: ἄξιος ὁ ἐργάτης τοῦ μισθοῦ αὐτοῦ. Sententiam allegoriae oppositam habes in illis quae Horatius dicit *Carmm. II*, 10.

Rebus angustis animosus atque
Fortis adpare: sapienter idem
Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela.

ubi facile intelligitur, hujus loci parte allegorica significari *modestiam*, quoniam priori parte huic opposita *fortitudo animi* et *constantia* declaratur.

E contextu consilium allegoriae intelligitur, quando vel ea quae *praecedunt*, vel ea quae *sequuntur*, vel etiam *singula verba propria* allegoriae intertexta ostendunt, quaenam illa res sit, quam scriptor re simili voluerit declarare. In illa Horatii ode, quam paullo ante laudavi, consilium allegoriae pandunt cum prima verba; *Rectius vives, Licini*, tum ea quae sequuntur:

Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret invidenda
Sobrius aula.

E quibus clarum fit, primis hujus carminis versibus, quos supra adtulimus, commendari animum aequum et constantem in omni fortuna, quique neque prosperis rebus et ad voluntatem succedentibus efferatur, neque adversis frangatur. E praecedentibus intelligitur consilium allegoriae, qua utitur Paullus ad *Galat. VI*, 8. ὁ σπείρων εἰς τὴν σάρκα ἑαυτοῦ ἐκ τῆς σαρκὸς θερίσει φθοράν· ὁ δὲ σπείρων εἰς τὸ πνεῦμα ἐκ τοῦ πνεύματος θερίσει ζωὴν αἰώνιον. Atqui v. 6. Christianis commendatur be-

neficientia atque liberalitas erga doctores his verbis: κοινωνείτω ὁ κατηχούμενος τὸν λόγον τῷ κατηχοῦντι ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς. Quae si cum superioribus conferas, intelliges ejus liberalitatis commoda et oppositae avaritiae damna ab apostolo commemorari. — Diximus interdum etiam consilium allegoriae intelligi *e singulis verbis propriis allegoriae intertextis.* Ita *Ioa. VI,* 35. ubi Christus haec dicit: Ἐγώ εἰμι ὁ ἄρτος τῆς ζωῆς· ὁ ἐρχόμενος πρός με οὐ μὴ πεινάσῃ, καὶ ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ οὐ μὴ διψήσῃ πώποτε, verbum πιστεύειν aperit consilium allegoriae. Hoc enim clarum fit, significari doctrinam tamquam aliquod animi nutrimentum ac potum, quo et cognitionis fames pellatur sitisque restinguatur.

Tertia ratio allegoriae consilium inveniendi est, *quum ex ipsa allegoria seu re simili conjectura elicitur.* Ad hanc rationem confugiendum est tum, quum superiores illae locum non habent. In hac autem caussa saepe difficilius est judicium, ut ne hoc quidem semper satis sit exploratum, proprie an allegorice res intelligenda sit. Velut nobilem illam Horatii oden I. 14. cujus hoc est initium:

O navis, referent in mare te novi
Fluctus?

hanc igitur oden multi et praeclari viri, Muretus, Tanaquillus Faber, Dacierius ac Bentlejus allegoriam esse negarunt. Quorum dubitatio nos fortasse moveret, nisi contrariae sententiae auctorem haberemus gravissimum Quinctilianum *Instit. orat. VIII,* 6. 44. Sed si de allegoria constat, tum demum ejus consilium est investigandum. Hoc igitur dicimus ex imagine seu re simili conjectura esse eliciendum. In quo negotio valde nos juvabit non modo rerum comparatarum similitudo, sed etiam *usus loquendi* et *consuetudo aliorum scriptorum,* si nempe dispiciamus, ad quas res vel ipsum allegoriae caput, sive verbum primarium, vel singulae ejus

partes plerumque tranferri propter similitudinem solеant. Ita exempli caussa *reipublicae* frequens est cum *navi* comparatio. Sic Cicero *Epp. ad divers. XII*, 25. „Quam ob rem, inquit, mi Quinte, conscende nobis„cum et quidem ad puppim. Una navis est jam bono„rum omnium." A pluribus autem navigii partibus tropi ducuntur ad significandas res aut officia ad rempublicam spectantia. Nihil frequentius est, quam illos qui in republica administranda primo loco sunt, dici *in puppi sedere* et *clavum* aut *gubernaculum tenere*. Etiam *sentina*, pars navis ubi colluvies est aquarum corruptarum atque foetidarum quae in fundo navis colliguntur, varie ad rempublicam transfertur. Nam et de humili in reipublicae administratione loco atque gradu usurpatur, ut Cic. *Epp. ad div. IX*, 15., et de civium perditorum ac sceleratorum turba, ut *Or. in Catil. II*, 4. Praeterea alii a re nautica tropi duci solent. *Fluctus* et *tempestates* saepe cum turbis, dissensionibus bellisque civilibus comparantur, ut in loco illo, quem supra ex oratione *pro Milone* laudavimus; *venti* cum civium faventium studiis aut aliis ad rem bene gerendam adminiculis, ut Cic. *Epp. ad div. II*, 6. „Dux no„bis et auctor opus est, et eorum ventorum quos pro„posui moderator quidam et quasi gubernator." Haec et similia expendens facile existimabit allegoriae Horatianae consilium hoc esse, ut ista imagine legentibus objiciatur *respublica motibus bellisque civilibus agitata atque concussa.*

§. 19.

Sic autem reperto allegoriae consilio videndum porro est de ejus intelligentia atque interpretatione. Neque enim statim is qui consilium tenet, etiam plane intelligit aut recte interpretatur, quamquam cui illud perspectum non est, is neque intelligere neque interpretari potest. Allegoriam vero interpretari nihil aliud est,

quam rem similem in propriam convertere ita, ut partes ejus cum singulae tum universae ad illud referantur, ad quod ex scriptoris consilio referri debent. Ejus interpretationis fundamentum est verbum *primarium*, hoc est illud in quo posita est notio princeps seu caput allegoriae. Hujus sensu allegorico reperto, ceterae allegoriae partes sive verba singula ad hunc sunt referenda eique convenienter explicanda, ita quidem ut quaerantur singulae notiones in re ipsa imagini respondentes. Velut quum Christus *Matth. VII*, 6. discipulis illa praecipit: *Μὴ δῶτε τὸ ἅγιον τοῖς κυσὶ μηδὲ βάλητε τοὺς μαργαρίτας ὑμῶν ἔμπροσθεν τῶν χοίρων· μήποτε καταπατήσωσιν αὐτοὺς ἐν τοῖς ποσὶν αὐτῶν καὶ στραφέντες ῥήξωσιν ὑμᾶς*, nemini dubium esse potest, quin ea allegorice sint accipienda. Atque statim patet, verba primaria *κυσὶ* et *χοίρων* dici de hominibus. Eorum autem interpretationem juvabit usus loquendi scriptorum cum profanorum, qui canes saepissime vocant homines maledicos, impudentes atque importunos, ut vel ex Homero constat, tum etiam sacrorum, qui eadem voce designant homines peccatores atque separatim illos, qui mentem habent a religione alienam, vel qui eamdem humanis commentis et erroribus contaminant. Vid. ad *Philipp. III*, 2. et *Apoc. XXII*, 15. Similis ratio est vocabuli *χοῖρος*, quod transferri solet ad homines voluptatibus nimium deditos atque profanos, ut docet vel illud Horatianum, *Epicuri de grege porcus*. His jam effectis non est difficile, cetera verba allegorica ad vocis primariae sensum referre. Nam *καταπατεῖν τοῖς ποσὶν* de ejusmodi hominibus dictum nihil aliud significabit, quam *summo contemtu habere*, *adspernari*, *ῥηγνύειν hostiliter quem invadere*. Itaque totam allegoriam propriis verbis sic reddas: „Nolite veram sanctamque dei doctri-„nam hominibus offerre, quibus neque mens est reli-„giosa, neque animus veri sensu atque amore imbutus, „quique hujus vitae commodis et voluptatibus unice de-

„diti nullius boni nisi terrestris et caduci fructum adpe-
„tunt. Neque enim oblati beneficii ulla vel gratia erit
„vel utilitas. Immo doctrinam ipsam indigne repudiantes
„risui ac contumeliae objicient; vos autem ipsos tanti
„muneris auctores insidiarum ac vexationum omni ge-
„nere insequentur.“

Ex hisce jam perspicitur, verum esse illud quod Ernestus dicit, *Non esse consentaneum alias partes proprie, alias tropice in allegoria interpretari.* Nam si propria cum allegoricis confundantur, sensum ipsum turbari necesse est. Itaque perperam agunt qui in loco illo, quem e I. ad *Cor. V*, 8. Ernestus laudat, verbum ἑορτάζωμεν proprie accipiunt, quamvis etiam Semleriana paraphrasis sic reddat: *Itaque festos dies paschales sic transigere nos decet.* Locus enim iste allegoriam continet ductam a consuetudine festi Paschalis, quo Judaeis nefas erat vesci panibus fermentatis. Jam apostolus Corinthios monens, ut ab omni cum hominibus scelestis commercio abstineant, isthoc cum pravis commercium vel ipsos potius pravos homines inter probos versantes ζύμην vocat, quoniam hisce bonorum mores facile, tamquam fermento farinae massa, inficiuntur, ipsam deinde etiam nequitiam ζύμην adpellans. Tum v. 8. ista sequitur admonitio: ὥστε ἑορτάζωμεν μὴ ἐν ζύμῃ παλαιᾷ. In quo clarum est, verbum ἑορτάζειν convenienter explicandum esse verbo primario ζύμη, ut, quum manifesta sit in hoc allegoria, etiam illud allegorice capiatur. Itaque non erit *festum agere* proprie, sed allegorice, scilicet *deum colere vita honesta.* Non igitur male versio Bahrdtiana: Daher solltet ihr billig euere Tage, die ihr dem Herrn Jesu geheiligt habet, nicht bey altem Sauerteige feiern. — Illud autem per se intelligitur, ab hac admonitione excipi loca illa, in quibus genus obtinet allegoriae permixtum, aut in quibus singula verba aperte propria allegoriae sunt intertexta, quae ipsius allegoriae

partem haud constituunt: qualia sunt illa quae supra laudavimus ex Ep. ad *Ephes. VI*, 13. et *Ioann. VI*, 35.

Ceterum in omni allegoriae interpretatione diligenter cavendum est illud, quod de oratione tropica universe monuimus, ne similitudinem nimis urgeamus, singulas imaginis partes curiose rimantes, quod qui faciunt, ad ineptias facile divertunt a scriptoris consilio prorsus alienas. Etenim quemadmodum non sunt res duae per omnia similes, ita nulla duarum rerum comparatio sic instituitur, ut in omnibus rei similis partibus similitudo quaeratur. Itaque diligenter videndum est, quanam in parte similitudo sive quod dicitur tertium comparationis insit, idque unum, ceteris omissis, est spectandum. Ut quum Homerus *Iliad. XI*, 555. Ajacem a Trojanis proelio pulsum tardeque ac pedetentim aciem relinquentem cum asino comparat, quem pueri sata ingressum baculis lente cedentem et nonnisi saturatum pabulo expellunt, admodum ineptus fuerit, qui hanc cum asino comparationem ad significandam in Ajace stupiditatem valere existimet. Neque enim Homerus aliud declarare voluit quam Ajacis animum obstinatum et timoris expertem. Eadem plane ratio est illius allegoriae, qua utitur Paullus I. ad *Tim. V*, 18. ubi de doctorum opera remuneranda aliquid monens sic pergit: *Λέγει γὰρ ἡ γραφή· Βοῦν ἀλοῶντα μὴ φιμώσεις.* Ad quae nimis argute Albertus: „Bubus, inquit, comparantur „ministri evangelii ob constantiam laboris." Immo non bubus doctores comparat Paullus, sed simile hoc nonnisi valet ad justitiam debitae remunerationis illustrandam. Hunc igitur in errorem ne incidamus, cavendum in primis est, ne e verbo primario seu notione generali quidquam singulare adsumamus, quod non sit disertis verbis ab scriptore commemoratum. Quamquam ne hoc quidem praecepto nobis satis erit consultum. Nam interdum fit, ut scriptores singulas notionis primariae partes diligenter persequantur etiam tum, quum nolint in singulis quaeri aliquam cum ipsa re similitudinem; idque non-

respectum habeant necne, is hoc universe praeceptum teneat: quotiescumque non ipsa per se in promtu sit rerum similitudo, ita ut anxie quaerendum et e longinquo petendum videatur aliquid in ipsa re, quod allegoriae singulis partibus respondeat, eoque reperto aliud facile inveniri queat non minus simile, toties in scriptore quidem probabili et non plane inepto non esse singula curiose rimanda, sed omnia ad notionem generalem omnibus adcommodatam referenda. Ex hoc genere est ille locus, quem supra ex Ep. ad *Ephes. VI.* 15. seqq. adtulimus, ubi si quis rationem exquirat, cur singula armorum genera ad singulas virtutes Christianas referantur, is certe frustra laborabit. Itaque vere atque sobrie Clericus ad hunc locum, „Non est, inquit, „singillatim et subtilius quaerendum, cur virtutes quas- „dam cum hoc armorum genere potius conferat Paullus „quam cum alio, quum aeque bene dicere potuisset, a „Christianis sumi oportere *cingulum justitiae et thoracem veritatis*, quam *cingulum veritatis et thoracem justitiae*. Hoc unum vult tota hac oratione, vir- „tutes Christianas arma esse, quibus Christiani utan- „tur, cum ut repellant impetus hostium, tum etiam „ut hostes vincant. Aliud nihil quaerendum, nisi ina- „nibus commentis animum pascere juvet." Verissime haec dici vel inde clarum fit, quod idem Apostolus I. ad *Thessal. V.* 8. in loco parallelo non ut hic 14. τὸν θώρακα τῆς δικαιοσύνης, sed θώρακα πίστεως καὶ ἀγάπης, contra vero ad *Ephes.* l. l, 16. τὸν θυρεὸν τῆς πίστεως dicit.

§. 20.

In genere dictionis tropicae etiam *parabola* censetur. Id nomen a Graeco verbo παραβάλλειν (contendere, conferre) ductum universe similitudinem significat, et haud raro de quavis comparatione usurpatur. Velut *Luc. XIV.* 3. tamquam parabola commemoratur quod non est nisi exemplum. Hic autem strictius sumitur

de certa comparationis genere, tam a metaphora quam ab allegoria diverso. Quamvis Ernestus in parabolis plerumque meram inesse dicit allegoriam; Ammonius autem nihil aliud quam allegoriam historicam contendens, res genere tantum conjunctas, specie vero discrepantes confundit. Nos, quid inter utrumque intersit, exemplis declarabimus. Praeceptum allegoricum est quod supra e I. ad *Tim. V.* 18. commemoravimus: *Βοῦν ἀλοῶντα μὴ φιμώσεις*, cujus haec est sententia: *Operarium neminem esse debita mercede defraudandum.* Parabola est quae legitur *Matth. XVIII.* 23. seqq. de rege, qui cum ministris rationem iniens, quum eorum aliquis solvendo impar supplex dilationem reddendae pecuniae peteret, misericordia tactus totam mille talentorum summam remisit, quumque mox idem minister collegam centum denarios sibi debentem in carcerem daret, durum illum atque inhumanum perpetuis vinculis addixit, donec totum nomen dissolvisset. Cujus parabolae vis haec est, *ut divini numinis gratiam atque peccatorum veniam sperare nemo possit, qui nimis acerbus aliorum offensas aut injurias condonare nesciat.* Hic igitur parabolae cum allegoria in eo convenit, quod utraque sententiam aliquam re simili declarat. Hoc autem ab se differunt, quod allegoria rem similem in ipsius rei declarandae locum sufficit, parabola vero rem similem cum ipsa re declaranda comparandam proponit. Hoc idem etiam facit *exemplum.* Sed inter hoc et parabolam illud discrimen obtinet, quod parabola non modo rem similem contentionis caussa proponit, sed illud simile tamquam rem factam narrat. Exemplum est, quo utitur Cicero *de Off. III.* 5. ita disserens: „Ut si unumquodque membrum sensum hunc haberet, ut posse „putaret se valere, si proximi membri valetudinem ad „se traduxisset, debilitari et interire totum corpus ne„cesse esset; sic si unusquisque nostrum ad se rapiat „commoda aliorum, detrahatque quod cuique possit

„emolumenti sui gratia, societas hominum et commu-„nitas evertatur necesse est.“ Sed eamdem plane sen-tentiam Menenius Agrippa parabola comprehendit, quum plebs Romana a patribus dissidens secessionem in sacrum montem fecisset. Ita enim auctore Livio II. 32. narrasse fertur. „Tempore quo in homine non ut „nunc omnia in unum consentiebant, sed singulis mem-„bris suum cuique consilium, suus sermo fuerat, in-„dignatas reliquas partes, sua cura, suo labore ac mini-„sterio ventri omnia quaeri; ventrem in medio quie-„tum nihil aliud quam datis voluptatibus frui. Con-„spirasse inde, ne manus ad os cibum ferrent, nec os „acciperet datum, nec dentes conficerent. Hac ita dum „ventrem fame domare vellent, ipsa una membra to-„tumque corpus ad extremam tabem venisse. Inde ap-„paruisse, ventris quoque haud segne ministerium esse, „nec magis ali quam alere eum, reddentem in omnes „corporis partes hunc quo vivimus vigemusque divi-„sum pariter in venas maturum confecto cibo sangui-„nem.“ Sed ut redeamus ad illum *Lucae* locum XV. 3. seqq., si Christus illa sic dixisset: Ἄνθρωπός τις ἔχων ἑκατὸν πρόβατα καὶ ἀπολέσας ἓν ἐξ αὐτῶν, κατέλιπε τὰ ἐνενήκοντα ἐν τῇ ἐρήμῳ καὶ ἐπορεύετο ἐπὶ τὸ ἀπολωλὸς, ἕως εὕρηκεν αὐτὸ, id jam non exemplum sed parabola foret. Ex his ergo intelligitur, parabolam esse *narrationem fictam ad rem similem declarandam.* Eadem fere apologi s. fabulae definitio est, de cujus discrimine atque omnino de tota hac re acutissime disputat Lessingius in der Abhandlung über die Aesopische Fabel.

Hoc genere ad erudiendos movendosque homines rudes, indoctos et rationis cultu destitutos saepenumero usi sunt doctores antiquissimi atque illud inprimis Christus frequentavit; idque nemo humanae indolis peritus mirabitur. Neque enim vel docendi vel persuadendi ratio adcommodatior vel singulorum hominum vel populorum infantiae haec est, quae ab rerum imaginibus

atque narrationibus rationem per sensus moventibus ducitur. Hinc etiam Livius hunc dicendi modum *priscum et horridum* adpellat, id est talem, qualem prima hominum vita artibus ac literis nondum exculta exigebat.

Jam de parabolae interpretatione pleraque valent ea, quae ante de allegoria diximus. Primum igitur ejus *consilium* est indagandum eo modo, quem supra docuimus. Atque consilio reperto etiam interpretatio simili ratione est instituenda. Etenim quemadmodum allegoria omnis verbum habet *primarium*, in quo posita est notio princeps, ad quam ceterae ejus partes sunt referendae, ita etiam parabola partes alias habet primarias atque *necessarias*, alias *accessorias* atque exornandae narrationis caussa inventas, quibus rei fictae veri quaedam species atque color quaeritur, humanae vitae consuetudinem referens. Has igitur a primariis caute discernere oportet, ne singula curiosius rimantes ad argutias delabamur a scriptoris consilio plane alienas. Quod jam Chrysostomus monuit *Homil.* 65. ad Cap. *Matth.* XX. ita praecipiens: *Παραβολὴ τὸ λεγόμενον· διὸ ὅπερ οὐδὲ χρὴ πάντα τὰ ἐν ταῖς παραβολαῖς κατὰ λέξιν περιεργάζεσθαι, ἀλλὰ τὸν σκοπὸν μαθόντας, δι' ὃν συνετέθη, τοῦτον δρέπεσθαι καὶ μηδὲν πολυπραγμονεῖν περαιτέρω.* Hujus praecepti immemores multi singula parabolarum eaque vel minima momenta explicatione persequuntur, atque inepte ingeniosi res plane mirificas et portentosas comminiscuntur. Hunc errorem ipse magnus Grotius erravit in interpretanda parabola de filio amisso et recuperato, quae legitur *Luc.* XV. 11. seqq. Ibi hujus filii pater, ejus reditu laetus v. 22. adferri jubet vestem omnium quas habet pretiosissimam cum annulo et calceamentis, quae omnia jubet illum induere. Istas parabolae partes non necessarias sed accessorias esse et ad conciliandam narrationi veri speciem vel potius colorem inventas, rectum judicium omnino agnoscit. Quid

autem Grotius? Ad vocabulum στολὴν, „Videtur, in„quit, στολὴ significare continuam vitae innocentiam, „quam deo dante parit animus gratus ob acceptum tan„tae indulgentiae beneficium. Praeit ad hanc explica„tionem *Apoc. VI.* 11. *VII.* 13. 14. addito ejusdem libri „loco XIX. 8." — Ad δακτύλιον porro: „Quum, inquit, „annuli usus inter alia sit signare, non male veteres re„spondere annulo putant donum Spiritus S. qui nos ob„signat, ut loquitur Paullus II. ad *Cor. I.* 22." — Tandem ad ὑποδήματα: „Explicari potest ex *Ephes. VI.* „15. ὑποδησάμενοι τοὺς πόδας ἑτοιμασίᾳ τοῦ εὐαγγελίου τῆς „εἰρήνης. Nimirum poenitentibus in gratiam receptis „etiam hoc deus concedit, ut apti sint aliis aut voce aut „certe exemplo docendis." Ista omnia praeter ratio nem fingens Grotius merito reprehenditur a Clerico ad haec ita disserente: „Istae parabolae partes pertinent „ad descriptionem gaudii paterni ob receptum filium, „quem amissum deploraverat. Christus ut hoc pinge„ret, usus est coloribus ex usu recepto petitis, ex quo „majore honore non poterat quisquam se inferiorem ad„ficere, quam si eum annulo et stola donaret. Vid. *Ge„nes. XLI*, 42." — Locus iste quem Clericus laudat, in versione Alexandrina sic habet: Καὶ περιελόμενος Φαραὼ τὸν δακτύλιον ἀπὸ τῆς χειρὸς αὐτοῦ, περιέθηκεν αὐτὸν ἐπὶ τὴν χεῖρα Ἰωσήφ, καὶ ἐνέδυσεν αὐτὸν στολὴν βυσσίνην etc.

Atqui haec tamen Grotii commenta mediocria sunt, si cum aliis conferantur. Ita ad parabolam illam quam *Lucas* habet XIII. 21. mirifice argutantur veteres ecclesiae doctores. In quibus Augustinus, „Quae est ista mu„lier, inquit, nisi caro domini? Quod est fermentum „nisi Evangelium? Quae sunt tres mensurae nisi omnes „gentes propter tres filios Noachi?" At Hieronymus, „Mulierem istam, inquit, nonnulli ecclesiam, quae „fidem hominis farinae tribus satis commiscuerit, cre„dulitati patris et filii et spiritus sancti, quumque in „unum fuerint fermentata, non nos ad triplicem deum,

„sed ad unius divinitatis perducunt notitiam. Farinae „quoque sata tria, dum non est in singulis diversa na„tura, ad unitatem trahunt substantiae." Alii tandem alia comminiscuntur: quae ipsa opinionum diversitas ostendit, ista nullo fundamento niti nihilque aliud esse, quam ingenii lusus, neque ingeniosos illos neque veros. Recentiori vero aetate in hoc genere ante alios eminent Coccejani. Nihil enim tam absurdum atque ineptum est, quod isti in parabolis N. T. non invenisse sibi videantur. Inter quos Deusingius quidam in explicanda hominis divitis atque Lazari parabola, quae legitur *Lucae XVI.* 19. seqq., praeter modum ingeniosus est. Is igitur „*homine divite* significari existimat „populi Judaici principes, sua saltem opinione divites. „*Purpuram* notare illam justitiam, quam ex observa„tione legis caerimonialis se adquisivisse putabant Pha„risaei, inprimis ex sanguine victimarum quotidie im„molandarum; *byssum* esse justitiam, quam iidem ho„mines ex lege morali comparasse sibi visi fuerint. „*Mendicum* esse peccatores e gentibus resipiscentes. „*Vestibulo divitis* significari atrium templi Hierosoly„mitani exterius, in quo peccatores e gentibus jacue„rint quasi exulcerati. *Ulcera* Lazari esse conscien„tiam peccatorum, quae eos valde excruciaverit. Ve„nisse *canes* h. e. apostolos e Galilaea oriundos, et lin„xisse ulcera ethnicorum, dum salutem per Christum „partam iis annuntiarent. *Mortem Lazari* esse conver„sionem gentilium, qua peccato moriantur. Hunc de„portari ab *angelis* h. e. ab apostolis in sinum Abraha„mi h. e. in regnum gratiae. *Mortem divitis* esse abro„gationem cultus Levitici, *sepulturam* dispersionem „Judaeorum in omnes gentes." Haec igitur singula modo commemorare jam est refellere.

Atque hujus erroris caussam si quaeramus, nimirum est posita in eo, quod qui sic agunt, rei parabola illustrandae explicationem petendam putant ab ipsa pa-

rabola, quo nihil falsius neque perversius cogitari potest. Non enim rei difficilis aut obscurae explicationem parabola sequitur, sed rei per se intellectu facilis illustrationem; hoc est, rem satis in se claram, sed intelligentiae subjectam, quo facilius altiusque in animum descendat, imagine comprehendit ad sensus phantasiamque pertinente. Itaque contraria ratione parabolae ipsius explicatio repetenda est ab re atque videndum, quaenam parabolae partes cum hac similitudinem habeant perspicuam et in promtu positam, atque hae tantum necessariae sunt judicandae, ceterae, in quibus similitudo non ipsa per se lucet, pro accessoriis habendae atque proinde in interpretatione ad notionem generalem aliquam referendae. Ita quae in parabola de homine divite de purpura atque bysso dicuntur, pertinent ad descriptionem luxuriae atque prodigalitatis. Quod Lazarus in vestibulo divitis cubans dicitur micas legisse de mensa divitis decidentes, id valet nonnisi ad declarandam mendicitatem et cum hac conjunctam fere omnis generis miseriam. Itemque quod in parabola de filio prodigo pater jubet adferri vestem pretiosam cum annulo et calceamentis, ad nullum alium finem refertur, quam ad declarandam, quemadmodum diximus, laetitiam parentis ex filio recuperato, quae omni genere liberalitatis atque beneficientiae sese manifestabat. Quapropter neque his parabolae partibus quaerenda est similitudo in re ipsa, neque interrogandum, quae pars futurae felicitatis vesti, quae annulo, quae calceamentis respondeat. Omnium autem pessimum est illud, si diversae parabolae partes ad unam eandemque rei partem, aut contra, referuntur, quod facit Deusingius, apostolos primum *canes* esse dicens Lazari ulcera lingentes, eosdem postea *angelos* faciens illius animam in sinum Abrahami deportantes; idemque hominem divitem populi Judaici principes esse putans, et morte divitis cultus Levitici abrogationem significari, unde fit,

ut et ipse dives cultum Leviticum referre censendus sit. Nam hoc ut vitium est in omni parabola maximum, ita etiam in interprete permagnam arguit interpretandi imperitiam. Etenim si quae imago diversis rebus perinde apta est, magnum id sane est argumentum, illam neutri satis convenire, neque similitudinem vel plenam esse vel adcuratam, quemadmodum tabulam pictam nemo laudabit, quae inter plures homines sibi vel maxime similes cujus imaginem referat, dubitare possis.

ERNEST. INSTITUT. PART. I. SECT. II.

CAP. VI.

De compositione Ἐναντιοφανῶν.

Ad hunc locum conferri possunt: *Mori super Hermeneutica Novi Testamenti acroases academicae* Vol. II. — *Βίβλος καταλλαγῆς, in quo secundum veterum theologorum Hebraeorum formulas allegandi et modos interpretandi conciliantur loca ex vetere in novo Testamento allegata, auctore Guilielmo Surenhusio*, Amstelaedami, 1713. 4. — „Die vereinigten Wider-„sprüche der Bibel, oder Erklärung und Rettung derje-„nigen Stellen der heiligen Schrift, welche entweder „sich selbst oder andern bekannten Wahrheiten zu wi-„dersprechen, oder sonst anstössig zu seyn scheinen. „Quedlinburg, 1778. II. Vol. 8. —“ „Sammlung ab-„weichender Vorstellungen der neutestamentlichen „Schriftsteller über einen und denselben Gegenstand, „Leipzig, 1803. II. Vol. 8.“

§. 1.

Loca ἐναντιοφανῆ dicuntur ea, quae videntur aut secum, aut cum aliis pugnare. Hujusmodi loca, in

quibus talis est species repugnantiae, in libris sacris haud pauca numero exstare, non est ut quis vel negare possit, vel in dubium vocare. Illud quaeritur, an usquam vera occurrat repugnantia. Id plerique theologi negant, et cum his facit Ernestus supra Sect. I. c. I. §. 23. ita scribens: „Quoniam autem libri sacri scripti sunt a „viris θεοπνεύστοις, facile intelligitur, veram dictorum „repugnantiam in iis esse non posse." De θεοπνευστίᾳ paullo post videbimus: nunc ad illustrandum paragraphum revertamur. Dicit autem Ernestus: „Si evidenter demonstrari possit, duo librorum divinorum loca „inter se ita pugnare, ut conciliandi ratio nulla relinqua„tur, confitendum esse necessario, alterutrum in li„bris vulgatis mendosum esse, et de emendatione legiti„ma cogitandum." Hic quaeritur, quam emendationem legitimam dicat. Talis autem, ni fallor, habenda est ea, quae non temere lectionem mutat, sed vel librorum bonae fidei auctoritate, vel probabili conjectura, lectionis, quae corrupta censetur, tractibus sese facile commodantibus, locum ita refingit, ut aut secum aut cum alio consentiat. Exemplum dabo primum e Vellejo Paterculo, qui L. II. c. 102. de Cajo Caesare, Agrippae filio, haec refert. „Deinde revertens in Italiam, in urbe „Lyciae (Limyra nominant) morbo obiit; quum ante „annum ferme quinquagesimum Caesar, frater ejus, „Hispanias petens Massiliae decessisset." Ita Rhenanus locum ex unico Velleji codice edidit. Sed haec quum per se absurda sunt, tum pugnant cum Suetonio, qui in vita Caesaris Augusti, C. 65. „Cajum, inquit, et Lu„cium in duodeviginti mensium spatio amisit ambos, „Cajo in Lycia, Lucio Massiliae defunctis." Hanc igitur repugnantiam facile tollit Editoris Velleji Basiliensis emendatio legitima, qui acute videns, librarium oscitantem litteram L. pro nota numerali accepisse, lectionem ita refingit: „Quum ante annum ferme L. Caesar frater „ejus — decessisset."

Non dissimile exemplum Ernestus profert e codice sacro, locum *Joannis* laudans XIX. 14. ubi Christus dicitur stetisse ad tribunal Pilati hora diei *sexta*. Çum hoc si conferas Marcum, tribus minimum horis ab illo dissentientem reperies. Dicit enim C. XV. vs. 25. *Ἦν δὲ ὥρα τρίτη, καὶ ἐσταύρωσαν αὐτόν.* Matthaeus quidem, cujus, operarum vitio, laudatur Cap. XXIX. 9. quum laudari deberet, ut opinor, XXVII. 45., Matthaeus igitur huc advocandus non erat. Nam ille non tempus, quo Christus ad supplicium ducebatur, sed quo sol deficiebat, designans horam commemorat sextam, in eoque plane consentit cum Marco, vs. 33. solis defectionem eidem horae adsignante. Sed quod ad dissensum Ioannis atque Marci spectat, infinitum est, omnia referre, quae interpretes ad illos conciliandos sunt commenti. Praecipuas quidem eorum sententias adfert Wolfius in *Curis philologicis et criticis* in N. T. ad locum Joannis. Iste igitur interpretum in alia omnia discedentium dissensus atque opinionum diversitas satis, puto, declarat, hanc Evangelistarum inter se pugnantiam hac via tolli vix posse, certe eorum adhuc neminem aliquid dixisse, quod omnibus probaretur. Itaque cogitandum videtur de lectione, si quidem id ratione legitima fieri possit, mutanda. Atque hic quidem proclive fuerit aut Marcum cum Joanne, aut hunc cum illo sic componere, ut utrobique vel *τρίτη* vel *ἕκτη* legatur. Verum lectionem per se atque nulla probabili de caussa mutare temerarium fuerit. Ante omnia igitur accedat oportet codicum bonae notae haud suspecta auctoritas. Quae quidem in hoc loco minime desideratur. Nam libros plures laudant Wetstenius atque Griesbachius apud Joannem pro *ἕκτη*, *τρίτη* legentes. Praeterea in Chronico vetusto, quod vel Alexandrinum, vel Paschale, vel Constantinopolitanum, vel Antiochenum dicitur, illa leguntur verba: *Ὥρα ἦν ὡσεὶ τρίτη· καθὼς τὰ ἀκριβῆ ἀντίγραφα περιέχει, αὐτό τε τὸ ἰδιόχειρον τοῦ Εὐαγγελιστοῦ, ὅπερ μέχρι τοῦ νῦν πεφύλακται*

χάριτι θεοῦ ἐν τῇ Ἐφεσίων ἁγιωτάτῃ ἐκκλησίᾳ. Sed dicendum etiam est, quo modo factum videatur, ut *τρίτη*, si quidem vera et antiqua apud Joannem quoque lectio erat, cum vocabulo non admodum simili *ἕκτη* commutaretur. Hoc igitur, si numeri litteris scribebantur, ut fere solebant, facile omnino fieri potuit, id, quod jam veteres multos interpretes intellexisse monet Theophylactus, cujus haec sunt verba: *Πῶς δὲ τοῦ Μάρκου λέγοντος τρίτην ὥραν εἶναι, ὅτε Χριστὸς ἐσταυροῦτο, ὁ Ἰωάννης ἕκτην φησί; Λύουσιν οὖν τοῦτό τινες μὲν, ὅτι γραφικὸν τὸ σχῆμα· τὸ μὲν γὰρ γάμμα τὴν τρίτην ὥραν σημαίνει, καὶ ἔστιν ὁ χαρακτὴρ αὐτοῦ τοιοῦτος Γ· τὸ δὲ καλούμενον ἐπίσημον τὴν ἕκτην, καὶ ἔχει τὸν χαρακτῆρα τοιόνδε ς. Εἰκὸς οὖν τὸ γάμμα στοιχεῖον ἀπὸ τῆς ἀπροσεξίας τῶν μεταγραφόντων κυρτωθείσης τῆς ἀποτετομένης εὐθείας εἰς μῆκος, εἰς τὸν τοῦ ἐπισήμου μεταχωρῆσαι χαρακτῆρα, καὶ οὕτω τὴν πλάνην ταύτην γενέσθαι.* Eadem fere dicunt Ammonius Alexandrinus atque Severus Antiochenus. Atque ista probabiliter fingi inde argumentum capi potest, quod non hic modo, sed aliis etiam locis hi numeri sunt a librariis confusi, siquidem Bengelius in *Adparatu critico ad Novum Testamentum* ad *Matth.* XX, 3. ubi illa leguntur: *καὶ ἐξελθὼν περὶ τὴν τρίτην ὥραν*, codicis alicujus lectionem adfert, pro *τρίτην*, *ἕκτην* legentis. Quae quum ita sint, multis iisque doctissimis viris lectio ista non sine causa fuit probata, eamque Griesbachius in sua Novi Testamenti editione illo signo notavit, quo lectionem aliquam receptae aequiparandam, vel etiam praeferendam sibi videri significare solet: Ernestus autem, si quidem sibi velit constare, illam, ejecta vulgata, in contextum recipiendam contendat.

Aliud exemplum adfert Ernestus repugnantiae, ut multis videtur, emendatione tollendae. Is locus est *Lucae III*, 36. ubi Evangelista genealogiam Christi evolvens *Cainan* commemorat, Arphachsad genitum,

quem ignorat auctor Geneseos X. 24. Atqui hunc Cainan intrusit quoque versio Alexandrina. Jam vero nonnulli interpretes nomen istud apud Lucam delendum censent, tamquam temere illatum e versu proximo. Idem nomen, corruptis semel Lucae exemplaribus, inde a Christianis Graecis illatum arbitrantur in versionem Alexandrinam, quae est sententia Grotii. Sed parum haec ratio firma videtur. Nam primum nomen illud in omnibus libris legitur, excepto uno codice Cantabrigiensi. Itemque illud cum versiones antiquae omnes, tum etiam patres agnoscunt. Quorum testimonium non potest convelli uno codice Cantabrigiensi, licet praestantissimo. Nam in hoc omissum consulto videri potest, quo Lucae cum auctore Geneseos conveniret. Lucam vero nomen isthoc e versione Alexandrina adsumsisse maxime persuadet scriptorum N. T. sacrorum consuetudo veteris Testamenti loca ex hac versione etiam ibi laudantium, ubi non bene conversa reperiuntur. Ut *Act. VII*, 14. familia Jacobi in Aegyptum migrantis numerantur capita septuaginta quinque. Sed auctor Geneseos XL. vs. 27. septuaginta tantum refert. Versio autem Alexandrina eumdem, quem Lucas, habet numerum. Itaque non sine justa caussa Ernestus de hoc loco non sibi liquere fatetur. Qui vero sibi non liquere in tali caussa profitetur, is simul emendationem legitimam locum non habere fatetur; si quidem emendatio legitima nonnisi illa vocanda fuerit, cujus tanta sit probabilitas, ut dubitationi locus non relinquatur. Sed si in loco illo lectio maneat, manifesta erit repugnantia. Atqui Ernestus dicit: *Si demonstrari possit, loca duo divinorum librorum inter se ita pugnare, ut conciliandi ratio nulla relinquatur, confitendum esse necessario, alterutrum in libris vulgatis mendosum esse.* Itaque, si sibi constare voluerit, locum, quem adtulimus, mendosum esse adfirmabit, licet, utrum nomen illud, in quo inest repugnantia, exturbandum, an

retinendum sit, parum sibi liquere fateatur; quod est absurdum. Sed pergamus ad reliqua.

§. 2.

„Quod si, ita pergit Ernestus, de integritate lectio„nis utriusque ita constet, ut in dubiam vocari non pos„sit, intelligitur, speciem esse meram repugnantiae.“ Hic jam quaeritur, quaenam lectio e mente Ernesti talis esse censenda sit, *ut de ejus integritate constet?* Quod si rationibus criticis ea res disceptetur, lectio integra, ni fallor, judicanda fuerit, primum, quae sensum per se commodum atque probabilem fundit, tum in quam libri omnes sine ulla varietate consentiunt, denique quae ab eo loco, cum quo pugnare videtur, ita differt, ut neque ad illum probabiliter refingi queat, neque, si primum cum illo consentiret, quo modo corrumpi, atque in illam, quae in libris obtinet, scripturam aberrare potuerit, ulla ratione intelligatur. Exemplo sit *Matthaeus*, apud quem VIII, 5 seq. illa legimus. *Εἰσελθόντι δὲ τῷ Ἰησοῦ εἰς Καπερναοὺμ, προσῆλθεν αὐτῷ ἑκατόνταρχος παρακαλῶν αὐτὸν, καὶ λέγων· Κύριε, ὁ παῖς μου βέβληται ἐν τῇ οἰκίᾳ παραλυτικὸς δεινῶς βασανιζόμενος.* Cum hoc conferatur *Lucas VII*, 2 seq. eamdem rem sic narrans: *Ἑκατοντάρχου δέ τινος δοῦλος κακῶς ἔχων, ἤμελλε τελευτᾷν, ὃς ἦν αὐτῷ ἔντιμος. Ἀκούσας δὲ περὶ τοῦ Ἰησοῦ, ἀπέστειλε πρὸς αὐτὸν πρεσβυτέρους τῶν Ἰουδαίων, ἐρωτῶν αὐτὸν, ὅπως ἐλθὼν διασώσῃ τὸν δοῦλον αὐτοῦ.* Hic igitur *Matthaeus* atque *Lucas* hactenus inter se videntur pugnare, quod Matthaeus centurionem inducit ipsum Christi auxilium pro servo implorantem, Lucas idem munus tribuit Judaeis centurionem Christo commendantibus. Hos autem inter se conciliandi ratio critica nulla relinquitur. Etenim utriusque loci integritas in dubium vocari nullo modo potest. Quid igitur faciendum? Nimirum, si Ernestum audias, *intelligendum est, speciem esse meram repugnantiae, atque commo-*

ita interpretatione loca ad consensum sunt revocanda. Atque id facere plures sunt conati. In quibus Grotius ad illa Matthaei verba: προσῆλθεν αὐτῷ, „Sicut latine, „inquit, convenire aliquem dicimur etiam per episto- „lam, ita et προσέρχεσθαι etiam Graece usurpatur citra „praesentiam corporis. Sic et deo προσέρχεσθαι dici- „mur ad *Hebr. IV*, 16. *VII*, 25. *X*, 22. *XI*, 6. Quam- „quam etiam si proprietas vocis hac in parte non suffra- „garetur, sufficere deberet illud in jure receptissimum; „facere nos et quod per alium facimus. Ita et infra XI. „4. Joannes dixisse dicitur, quae per discipulos nuntia- „bat." Haec igitur Grotius: quae quidem mihi rem non satis expedire videntur. Nempe quod dicit: *convenire aliquem per epistolam* latine dici, id certe dubium nullum habet. Sed hoc tamen ita verum est, si diserte significetur, id per epistolam fieri, neque, hac voce omissa, *convenire quem* de scribente dicitur. Simili ratione *convenire quem per amicos* recte dici minime nego; illud nego, nisi addito *per amicos*, *aliquem convenire* eodem sensu posse dici. Ita neque Graece dicitur προσέρχεσθαί τινα, omisso διὰ τῶν φίλων, de eo, qui non ipse, sed per amicos aliquem compellaverit. Alia ratio est verbi προσέρχεσθαι, quando ex usu scriptorum sacrorum de deo dicitur. In eo enim manifestus est tropus, quoniam proprie ad Deum accedere nemo potest. Itaque necessitas uti cogit vocabulo tropico. Quod porro Grotius dicit, in jure esse receptissimum, *facere nos etiam id, quod per alios facimus*, id, licet verissimum, tamen ad rem propositam haud pertinet. Sane innumerabilibus locis, *urbem condidisse, domum aedificasse, viam fecisse, flumen ponte junxisse, aliquem interfecisse* dicitur is, qui haec fieri jussit: sed velim mihi unum scriptoris probabilis exemplum ostendi, qui *adiisse* alterum, atque haec vel illa locutum fuisse dicat eum, qui non ipse coram, sed per alios id fecerit. Nam exemplum illud, quod Grotius de Joanne ad-

fert, dissimile est totum. *Ὁ δὲ Ἰωάννης*, ita Matthaeus scribit, *ἀκούσας ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ τὰ ἔργα τοῦ Χριστοῦ, πέμψας δύο τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, εἶπεν αὐτῷ· Σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, ἢ ἕτερον προςδοκῶμεν;* Alia nimirum res est, *missis nuntiis adire aut compellare quem*; alia, *simpliciter adire quem atque compellare.* Quod si igitur *Matthaeus* ita scripsisset: *Εἰσελθόντι δὲ τῷ Ἰησοῦ εἰς Καπερναοὺμ, ἑκατόνταρχος, ἀποστείλας πρὸς αὐτὸν πρεςβυτέρους τῶν Ἰουδαίων, εἶπεν αὐτῷ*, tunc sane optime illi cum Luca conveniret.

Neque melius Hammondus inde se expedit, exemplum tamquam simile laudans Jacobi et Joannis, quos *Marcus X, 35.* dicat ad Christum venisse aliquid petentes, quum contra *Matthaeus XX, 20.* id factum referat ab eorum matre. Quod si ita esset, nihil inde ad expediendam Matthaei atque Lucae repugnantiam proficeretur. Nam quae difficilia sunt explicatu, iis ab aeque difficilibus nulla lux potest accedere. Itaque si vera sunt illa, quae hactenus disputavimus, fatendum fuerit, *Matthaeum* cum *Marco* non minus quam cum *Luca* pugnare. Sed loca ipsa inspicienti patebit exemplum illud ab Hammondo parum adcommodate ad rem adferri. Nam inter Matthaeum et Marcum aliqua quidem discrepantia, nulla vero repugnantia intercedit. Apud hunc quidem Jacobus et Joannes a Christo petunt, ut in ejus regno sibi liceat a dextera atque sinistra proximum locum occupare. Apud Matthaeum idem mater, non praesens pro filiis absentibus, sed cum praesentibus rogat. Itaque Matthaeus non tollit id, quod a Marco dicitur, sed idem dicens, tertiam personam adjungit, quam Marcus tacet. Ex quibus omnibus illud tandem, ni fallor, efficitur, et veram esse inter Matthaeum Lucamque repugnantiam, neque tamen rationibus criticis lectionis integritatem in dubium vocari posse. Itaque mea quidem sententia Ernestus hoc loco refellitur, quando sic statuit: *In libris divinis veram repugnantiam locum non habere, sed si quae pugnare videantur, alterum*

tram lectionem mendosam esse, aut, si lectio in dubium vocari nequeat, speciem meram esse repugnantiae.

Neque vero periculum est, ne religio Christi hinc aliquid detrimenti capiat. Inanis enim nonnullorum est metus, de librorum sacrorum divina auctoritate actum esse putantium, si ulla vel minima in re scriptores vel secum ipsos vel cum aliis alios vere pugnare concedamus. Cujus opinionis falsitas ab illa nascitur opinione, quam sibi de librorum sacrorum, quae dicitur, θεοπνευστίᾳ informant, quam quidem talem esse volunt, ut scriptoribus sacris, quaecumque tradunt, ea omnia divini spiritus adflatu instinctuque fuerint suppeditata; unde necessario consequitur, veram in illis repugnantiam minime cogitari posse. Eam vero de θεοπνευστίᾳ opinionem neque necessariam esse, neque omnibus placuisse, quorum aliqua in rebus ad doctam religionis cognitionem pertinentibus auctoritas est, eo magis dicendum puto, quod, nisi hac re prius excussa, de compositione Ἐυαγγελιστῶν recte et subtiliter judicare nemo possit.

Jam primis rei Christianae temporibus inter illos, qui patres vocantur, fuisse constat, qui quamquam θεοπνευστίαν librorum sacrorum acriter defenderent, tamen in libris sacris consignandis aliquam ipsorum scriptorum partem fuisse, statuere minime vererentur. E quibus Augustinus in opere *de consensu Evangelistarum* L. II. c. 13. de iis verba faciens, quae Matthaeus, Marcus atque Lucas de Joanne Baptista alius alio modo referunt, sic pergit: „Quod alius alium verborum ordinem tenet, „non est utique contrarium. Neque illud contrarium „est, si alius dicit, quod alius praetermittit. Ut enim „quisque meminerat, et ut cuique cordi erat, vel bre„vius, vel prolixius eamdem tamen explicare senten„tiam, ita eos explicasse manifestum est.“ E quibus patet, Augustinum sic judicasse: non esse omnia scri-

ptoribus sacris divini spiritus instinctu subministrata, quando quemque res historicas ita scripsisse dicit, ut meminerit. — In ecclesia autem orientali fuisse doctores, qui non aliter sentirent, Euthymii monachi Constantinopolitani exemplo confirmatur, qui multis post Augustinum seculis scripsit simillima. Nam ad *Matth. XII*, 8. qui cum *Marco II*, 23 seqq. eadem narrante non prorsus conspirat, *Οὐ χρὴ θαυμάζειν*, inquit, *εἰ τὰ μὲν οὗτος ὁ εὐαγγελιστὴς προστίθησι, τὰ δὲ ἐκεῖνος παραλιμπάνει. Καὶ γὰρ οὐχ ἅμα τῷ λέγειν τὸν Χριστὸν ἔγραψαν τὰ εὐαγγέλια, ἵνα καὶ πάντων ὁμοῦ τῶν αὐτοῦ λόγων ἀναμνημονεύειν ἔχοιεν, ἀλλὰ μετὰ πολλοὺς ὕστερον ἐνιαυτούς. Καὶ εἰκὸς ἀνθρώπους ὄντας αὐτοὺς ἐπιλαθέσθαι τινά. Καὶ ταύτην ἔχε τὴν λύσιν ἐπὶ τῶν τοιούτων προςθηκῶν τε καὶ παραλείψεων.*

Recentiori vero aetate, quamquam omnium partium theologi plerique ad nostra fere usque tempora divini spiritus adflatum adsererent eum, quo scriptoribus non modo res singulae, sed ipsa etiam verba fuissent suppeditata, tamen non defuerunt clari, atque in his permagna auctoritate doctores, quibus de ea re longe aliter statuendum videretur. In quibus vir magnus Erasmus Roterodamus in *Annotationibus* ad *Act. X*, 38. „Non necesse est, opinor, inquit, quidquid fuit in apo„stolis, protinus tribuere miraculo. Homines erant, „quaedam ignorabant, in nonnullis errabant. Etiam „post acceptum spiritum sanctum objurgatur ac doce„tur Petrus a Paullo; Paullus a Barnabo dissentit usque „ad divortium." — Porro Grotius, vir doctrina et auctoritate nulli secundus, in *Voto pro pace Ecclesiastica*, „A spiritu sancto, inquit, dictari historias nihil fuit „opus. Satis fuit, scriptorem memoria valere." Praeclarus item theologus Sigismundus Baumgartenius, „in der Evangelischen Glaubenslehre" Tom. III. quamvis veram repugnantiam in libris sacris non deprehendi judicans, de re ipsa pag. 37. aic statuit: „Es würde we-

„der der Göttlichkeit noch der Untrieglichkeit der hei-
„ligen Schrift eigentlich schaden, wenn man auch ge-
„nöthigt werden sollte, in Chronologischen, Geographi-
„schen, und Historischen Kleinigkeiten Fehler zuzuge-
„ben, da die Verfasser dergleichen aus ihrem Gedächt-
„nifs geschrieben, und daraus nur folgen würde, dafs
„sich die göttliche Offenbarung nicht bis auf diese Stü-
„cke erstrecket, und dafs Gott ihre historische Erkennt-
„nifs bey seiner Eingebung so gelassen, wie er sie ge-
„funden.“ Atque Semlerus vir eximius, in animad-
versionibus ad eumdem librum pag. 111. sic judicat:
„Ich habe kein Bedenken, meine Meinung heraus zu
„sagen, dafs durch unrichtige Uebertreibung der Inspi-
„ration sowohl, als überhaupt der göttlichen Providenz
„über die heilige Schrift, wirklich ein grofser Theil von
„sehr scheinbaren Widersprüchen sind recht gestärkt
„worden; da viele Ausleger, zumahl seit Lutheri Zei-
„ten, der nicht so übertrieben gehandelt hat, es für
„besser gehalten haben, sehr grofse, und ernsthafte (be-
„denkliche) Aussprüche und Behauptungen von sich zu
„geben, als manchen Weg von sehr leichter Auflösung
„solcher Schwierigkeiten zu billigen.“ His adjungamus
praeclarum in primis theologum Guilielmum Abraha-
mum *Tellerum*, qui in dissertatione *De inspirationis
scripturarum judicio formando*, quae inserta est ejus
opusculis varii argumenti, omnem scriptorum divino-
rum inspirationem ad haec tria monenta refert: Pri-
mum: *Fuisse gubernationem divinam, qua effectum,
ut in multitudine rerum scriptores sacri in eas in pri-
mis animum figerent, quae maxime usui futura
omnium essent:* Proximum ab hoc: *Majorem confir-
mationem virium animi, mox hujus, mox illius, pro
vario rei argumento:* Summum denique: *Novam idea-
rum informationem, cum aucto omnium virium robo-
re conjunctam.* Inspirationem autem, quam dicunt,
verbalem neque librorum sacrorum testimonio confir-

mari, neque omnino necessariam fuisse, atque multis magnisque urgeri incommodis demonstrat. — Eadem fere sentit *Toellnerus*, vir doctissimus, neque minus philosophiae quam rerum theologicarum scientia clarus, cujus egregius exstat de hoc argumento liber ita inscriptus: „Die göttliche Eingebung der heiligen Schrift, un„tersucht von Johann Gottlieb Toellner. Mietau und „Leipzig, 1772. 8." In quo libro cum multa praeclare disputantur, tum in primis ponderanda sunt illa, quae pag. 361 seqq. leguntur.

Ex his itaque patet, theologis haud paucis, iisque sobriis ac sapientibus ita placuisse, non omnia, quae in libris sacris scripta sunt, ad divini spiritus adflatum esse referenda, sed aliquas etiam in illis consignandis partes fuisse scriptorum. Quorum si sententia vera est, in iis, quae isti ex sese scripserunt, non modo ἐναντιοφανείας, verum etiam ἐναντιώσεις locum posse habere, si statuamus, librorum sacrorum, quatenus divini sunt, auctoritati ne minimum quidem derogantes, magna laboris parte levati, hoc consequemur, ut omissis iis, quae nisi tergiversando et inanibus artibus expediri nequeunt, ipsam illam librorum sacrorum divinitatem eo facilius tueamur. V. p. 63. In quo negotio tanto majori cura atque diligentia versari fas est, quanto majus periculum fuerit, ne divina cum humanis temere confundentes, ea, quae scriptoribus sunt tribuenda, in divinum spiritum transferamus.

Sed quaerat fortasse aliquis, quibusnam rerum indiciis divina in libris sacris ab humanis possint dignosci. Ejus rei judicium repetendum est a divino in his libris consignandis consilio. Id quidem certe non tale fuit, ut liber exstaret, sive rem sive orationem spectes, omnibus numeris absolutus, omnique humani erroris labe carens, sed ut religionis verae praeceptis hominum animi ad consequendam salutem informarentur. Hoc itaque consilio verum de librorum sacrorum θεοπνευστίᾳ

judicium dirigitur. Eorum nempe auctores divini spiritus adflatu scripsisse hactenus tantum existimandi sunt, quatenus ad religionem recte atque sine errore tradendam fuit necessarium. Sed quoniam in hoc ipso genere multa ab ipsis per se recte tradi potuerunt, quidquid tale fuit, id ipsis reliquitur. Neque enim quidquam deus sine caussa molitur: et caussa nulla erat, cur ea, quae et per se scirent, et recte tradere possent, divino spiritu concitati scriberent.

Ita vero quotam partem ipsius doctrinae scriptores sacri ex sese, quotam impulsu divino scripserint ignorabimus? Ignoremus licet; nihil certe hinc metuendum fuerit doctrinae divinitati. Neque enim haec tota pendet e librorum sacrorum *θεοπνευστίᾳ*. Aliud nimirum est divina scribere, aliud divinitus scribere. Scilicet si vera scriptores sacri, hoc est ea scripserunt, quae a divino religionis auctore illis erant tradita, certe etiam divina scripsisse censendi sunt, quamvis sua vel aliorum memoria nixi, sine ullo divini spiritus adjumento scriberent. Hoc igitur omne, quidquid praeceptionis est ad salutem necessariae, sive natura, sive impulsu divino scriptum, et verum et divinum, adeoque ab omni repugnantia liberum esse existimandum est.

Quando autem religionis praeceptionem dico ad *salutem necessariam*, intelligendum est, illa me excipere, quae quamquam ad ipsam religionem spectent, aut cum illa sint aliquo modo conjuncta, tamen neque vim ejus atque summam attingunt, neque ad salutem omnino sunt necessaria. Ut quum verbi caussa scriptores sacri ipsi ex sese de aliqua re, quamvis religiosa, judicium suum aut sententiam interponunt, nullo divini spiritus adflatu commoti, clarum est illos tamquam homines errare, atque etiam pugnantia dicere potuisse. Vid. I. *Cor. VII.* 12. coll. 10. — II. XI. 17. Ita Paullum illa multorum ejus aetatis cum Judaeorum, tum etiam

Christianorum opinione imbutum fuisse, qua Messiam mox adfuturum, et cum hostium religionis interitu splendidum aliquod in his terris regnum agitaturum exspectabant, cum aliis locis tum in primis e I. *Thess.*, *IV.* 13 — 16. satis clare evincitur. In quo tamen illum falsum esse res docuit. Praeterea quae ipsi fuit cum Petro de abstinentia a certo ciborum genere altercatio, annon res erat religiosa? Vid. ad *Galat. II.* 11. seqq. Atqui hic duorum apostolorum dissensus talis fuit, ut necesse esset, alterutrum eorum falli. Tandem quando Paullus τὴν πίστιν, Jacobus τὰ ἔργα ad salutem valere contendit, quamquam iste dissensus religionis summam haud adtingit, quum neque Paullus *fidem* sine *operibus*, neque Jacobus *opera* sine *fide* valere vellet, tamen ea vera est repugnantia, quod alter in hac, alter in illis maximum inesse momentum existimaret.

Haec igitur de illis repugnantiis, quae spectant ad res dogmaticas, generatim dicta sunto. Rerum autem historicarum haud dissimilis est ratio. In his igitur distinguendum est inter ea, quibus rei summa atque caput continetur, et res adjunctas, quae περιστάσεις vocari solent. In illis inter scriptores veros, ne dicam divinos, repugnantia locum habere nequit; his autem nullius omnino scriptoris fides censetur. *Matth.XXVIII.*, in. *Marc. XVI.* 5. *Luc. XXIV.* 4. *Jo. XX.* 12. Quod si alius evangelista Christum post fata in vitam rediisse diceret, alius negaret, haec ejusmodi repugnantia foret, quae in alterutro non modo divinitatem, sed vel veritatem tolleret: sed si uterque Christum revixisse dicentes, alter unum, alter duos angelos sepulcro vacuo adstitisse narrant, haec diversitas minime tanta est, ut vel alteri fides neganda, vel de iis inter se conciliandis anxie laborandum videatur. Ita quoque defunctam vita centurionis illius filiam Christum in vitam revocasse, Matthaeum pariter atque Lucam testari satis est, neque vel ejus rei fides vel scriptorum auctoritas eo la-

befactatur, quod alter centurionem per se, alter per amicos Christum adiisse narrant. Atque omnino haec venia scriptoribus historicis omnibus datur, ut, dum in rerum summa inter se consentiant, parva in rebus levibus discrepantia neque levitatis neque vanitatis esse existimetur. Neque omnino ulli vel maxime probato aliter fides posset constare. Neque Thucydides, neque Xenophon, neque Sallustius, neque Tacitus, neque caeteri, qui omnium praestantissimi atque fide dignissimi habentur, non in parvis rebus ab aliis dissentientes interdum a vero aberraverunt. Quae res si eorum auctoritati ne minimum quidem derogat, scriptores sacros longe severiori lege judicari omnino est periniquum.

P. 69. Hic autem nobis occurrunt dicentes, aliam omnino rationem esse scriptorum divinorum, aliam humanorum. Horum quidem fidei in parvis rebus dissensum ideo nihil derogare, quod tales discrepantias humana diligentia nulla cavere queat: at vero divinum spiritum ab se dissentire non posse, propterea quod erroris sit expers. Atqui isti sic statuentes illud, de quo ambigitur, sumunt pro concesso, ut nulla non pars sit librorum sacrorum ad divinum spiritum referenda. Nos autem supra diximus, rationi maxime consentaneum videri, nullam librorum sacrorum partem divini spiritus adflatu scriptam existimare praeter religionis praeceptionem ad salutem necessariam, et quidquid cum hac est necessario conjunctum. Verum sit ita, ut isti volunt. Omne librorum sacrorum argumentum divino spiritui vindicemus, nullaque in iis vera repugnantia deprehendatur. At illi, qui, his sublatis, ἐναντιοφανείας relinquunt, videant, ne rem parum dignam, aut consentaneam divino spiritui inducant. Unde enim illae nascuntur, nisi a genere orationis admodum vitioso, quod optimus quisque scriptor sibi diligenter cavendum existimat? Nam qui clare, apte, et distincte scribit, is facile intelligitur, neque usquam ea dicet, quibus dis-

sentire ab se videatur. Quid igitur profecerunt, quum spiritus ille divinus a vera quidem repugnantia liberatur, sed ita obscure atque per ambages loquitur, ut ad illum sibi conciliandum potius divinatione opus sit, quam interpretatione? Enimvero ἐναντιοφανείας, ut in scriptoribus sacris facile ferendas, sic in divino spiritu minime posse cogitari, etiam illi interdum judicant, qui nullam in libris sacris veram scriptorum inter se repugnantiam inveniri contendunt. De qua re egregie Toelnerus in illo libro, quem supra laudavimus, pag. 367. seqq.

Sed dicunt, in istis ἐναντιοφανείαις magnum inesse argumentum ad fidem scriptorum sacrorum confirmandam. Hinc enim demum clare intelligi, unumquemque pro se res suas narrare, nihil collato consilio, nihil communi fraude agi. „Es sind, ita scribit Michaelis, „vir doctissimus, in der *Einleitung in die göttlichen* „*Schriften des neuen Bundes* §. 120., Es sind solche „anscheinende Widersprüche unter den Evangelisten, „die sich aber zuletzt dennoch heben lassen, kein wah- „rer Fehler, sondern vielmehr für uns ein grosser Vor- „theil, weil man eben daraus sehen kann, dass sie sich „nicht unter einander verabredet haben: denn sonst „würden diese Widersprüche aus ihnen verbannt seyn. „Wenn einige Leute mit Fleiss eine Historie erdichten, „so werden sie sich in ihren Schriften schon vor Wi- „dersprüchen zu hüthen wissen: und wenn die ersten „Jünger Christi seine Wunder und andere wichtige Um- „stände seines Lebens erdichtet hätten, so würde Jo- „hannes sorgfältiger gewesen seyn, seinen Vorgängern „nicht zu widersprechen. Selbst die Sorglosigkeit der „Evangelisten in diesem Stücke ist ein gutes Merkmahl „davon, dass sie sich bewusst gewesen sind, die Wahr- „heit zu schreiben.“ Recte haec quidem, si de humana Evangelistarum fide stabilienda agitur. Huic vero quantum accedit ab illis ἐναντιοφανείαις, tantum divinae co-

rum auctoritati derogatur. Itaque spiritus divinus his admittendis scriptorum sacrorum fidei consulere volens, suam ipse rem neglexisse censendus est. Neque enim libri alicujus divinitas declaratur humanae socordiae aut imbecillitatis imitatione, sed contra ex eo intelligitur, si omnibus illis caret naevis, quos humana sollertia nulla cavere potest. Adde, quod ne humanae quidem scriptorum sacrorum fidei hic satis consulebatur. Nam ad hanc penitus stabiliendam divinus spiritus non modo ἐναντιοφανείας admittere debebat, sed veras quoque in parvis rebus repugnantias, a quibus nullum vel praestantissimi scriptoris humanum opus liberum esse inter doctos peritosque judices omnes constat. Id quod acute vidit Lessingius in illo libro, quo imperitum librorum sacrorum adversus *fragmenta* illa *Guelferbytana* vindicem acriter perstrinxit. Vid. „Eine Duplik, „Braunschweig, 1778. pag. 18. seqq."

Tandem qui veras repugnantias in libris divinis posse locum habere negant, ad demonstrandam librorum sacrorum divinitatem viam sibi ipsi praecludunt. Nam illud dicentes simul profitentur, se librum, in quo istiusmodi repugnantiae deprehendantur, pro divino habere omnino non posse. Atqui eorum quidem, quorum aliqua in his rebus auctoritas est, nemo hoc sibi sumserit, ut omnes codicis sacri ἐναντιοφανείας plane se expedire posse existimet. Quod maxime declarat eorum dissensus, qui in re, quae ad liquidum perduci potest, locum non habet. Plerumque igitur conjecturis utuntur, neque certa atque explorata dicunt, sed ea tantum adferunt, quae ipsis quidem probabilia videntur. Quod Ernestus ipse fatetur in extremo hujus capitis §. ita scribens: „Caeterum haud abnuerim, verum esse, quod Pfaffius putabat, vix fieri posse, ut „verbi causa Harmonia Evangelica condatur omnibus „numeris perfecta. Conjecturis interdum utendum, „tum in canonibus harmonicis, tum in iis ad rem quam-

„que conferendis.“ Hoc ergo quid aliud est, quam fateri, librorum sacrorum divinitatem non certa persuasione, sed conjectura tantum niti, atque sola probabilitate contineri? De iis loquor, qui de divinitate actum esse existimant, si vel una cujuscunque modi repugnantia in iis relinquatur. At vero illi, quibus levis in parvis rebus discrepantia, religionis summam cognitionemque ejus salutarem haud adtingens, minime tollere videtur divinitatem, in hac libris sacris adserenda non magnopere laborabunt. His de toto hoc genere universe disputatis reliqua deinceps persequemur. Prius tamen scriptores illos commemorabimus, quorum in componendis librorum sacrorum ἐναντιοφανείαις opera ante alios clara exstitit.

Ex his, omissis antiquiorum, *Tatiani*, *Theophili Antiocheni*, *Eusebii*, *Augustini*, conaminibus, primus laudandus est Andreas Osiander, cujus libri IV. *Harmoniae evangelicae* in lucem prodierunt Basileae 1537. fol. Hunc ab eo principio proficiscentem, ut statueret, Evangelistas per omnia ordinem temporis secutos, sicubi ab se discrepant, bis terque res Christi atque sermones, non eosdem, sed simillimos narrasse, ipsam sacrarum scripturarum fidem maximo opere labefactasse, doctissimus Michaelis judicat, „in der Einleitung in die „göttlichen Schriften des neuen Bundes §. 124.“ — Porro celebrantur Chemnitii *Harmonia quatuor Evangelistarum*, quae primum 1593. atque postremo a Polycarpo Leysero, et Joanne Gerhardo Hamburgi prodiit III. Voll. fol. 1704. — Joannis Clerici *Harmonia evangelica*, Amstel. 1700. fol. — „Joh. Albrecht Ben„gels *richtige Harmonie der vier Evangelisten* 1766.“ — „Die vier Evangelisten mit ihren eigenen Worten zu„sammengesetzt, von neuem verdeutscht, auch mit „hinlänglichen Erklärungen versehen von Anton Friedr. „Büsching, Hamburg. 1766. 8.“ — „Ernst August Bert-

„lings neue Harmonie der vier Evangelisten. Halle „1767."

§. 3.

Repugnantiae species existit in locis vel dogmaticis vel historicis. Scriptores autem pugnare videntur vel cum semet ipsis, vel cum aliis vel veteris vel novi Testamenti scriptoribus. Recte autem Ammonius addit, interdum etiam pugnare videri scriptores sacros cum profanis. Verum hoc genus repugnantiae Ernestum ideo omisisse puto, quod ab hac parte minime contendendos existimaret scriptores divinos cum humanis. Sic enim, ni fallor, judicabat: Si quando pugna inter hos exsisteret, nihil valere caeterorum consensum adversus librorum divinorum auctoritatem. Quod ut satis circumspecte dicatur, vehementer vereor. Aut enim librorum sacrorum divinitas partim hoc ipso censetur, ut in rebus historice certis ac confirmatis, ipsis cum scriptoribus fide dignis conveniat, aut sine hoc judicio ex aliis rebus constare potest. Quod si necesse est libris divinis in rebus historicis cum caeteris scriptoribus convenire; nimirum omnis tollenda est species repugnantiae, atque divina cum humanis ad consensum revocanda. At si libris sacris in summo cum humanis dissensu divinitas tamen constare potest, illi qui hanc divinitatem erroris omnis expertem esse contendunt, sic statuant, necesse est, in omni dissensu historiam esse ad librorum sacrorum argumentum conformandam, atque refingendam, id quod neque doctior quisquam, neque ipse, opinor, Ernestus probaverit. Ita quoquo se illi vertant, in summas angustias sese redactos sentient. Qui vero librorum sacrorum divinitatem iisdem quibus nos finibus circumscribunt, illi de hujusmodi dissensu expediendo non magnopere laborabunt.

Interdum autem scriptores sacros a profanos dissidere, pluribus exemplis confirmatur. Ammonius quidem Lucam laudat, qui II. 1. sequ. Ἐγένετο δὲ ἐν ταῖς

ἡμέραις ἐκείναις, inquit, *ἐξῆλθε δόγμα παρὰ Καίσαρος Αὐγούστου, ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην. Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη, ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου.* In his duo potissimum sunt, ad quae viros doctos necesse erat offendere: alterum, quod iste census primus dicitur; alterum, quod factus sit *ἡγεμονεύοντος τοῦ Κυρηνίου*. Nam primum hunc censum non fuisse certissimum est, neque in populo Romano, cujus rex sextus numero Servius Tullius census auctor exstitit; neque in Judaea, quae sexaginta annis ante Romanorum potestati subjecta, facta erat stipendiaria. Praeterea quo tempore Christus nascebatur, non Quirinium, sed Sentium Saturninum Syriae praesidem fuisse viri docti ex Josephi antiquitatibus et Tertulliano ostendunt, eosque cum Luca conciliare studentes alius aliam rationem ineunt: quorum praeter alios sententias recensens Deylingius *observationum sacrarum* T. I. p. 233. ipse sic judicat: „Si historia profana ab sacra hoc in loco vere „dissideret, huic magis quam illi credendum esse: nam „Lucam fuisse scriptorem *θεόπνευστον*, atque ab omni „erroris periculo immunem.“ At vero Grotius, „Qui „Josephum, inquit, tam diligentem rerum Judaicarum „inquisitorem, et cui Romana quoque Archiva patue„runt, deceptum putant in re tam obvia, eos ipsos „valde decipi non dubito.“ Recte haec atque perite. Ego autem, qui vanos atque irritos virorum doctorum hanc repugnantiam tollendi conatus puto, minime vereor sic statuere, Lucam errasse in re neque magni in se momenti, et ad religionis summam haud spectante. — Atque idem omnino sentio de loco *Joann. II.* 20. ubi postquam Christus dixisset: *Λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον, καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερῶ αὐτόν*, Judaei sic respondent: *τεσσαράκοντα καὶ ἓξ ἔτεσιν ᾠκοδομήθη ὁ ναὸς οὗτος, καὶ σὺ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερεῖς αὐτόν*; Atqui Josephus Antt. Jud. XV. 11. diserte tradit, templum Hierosolymitanum ab Herode octo annis fuisse instauratum. Quod quidem

dissidium sic expedire licet, ut dicas, non Joannis ipsius, sed Judaeorum hunc errorem esse. At si quis dixerit, hunc ipsum annorum numerum ab Evangelista silentio probari; minime tamen necesse est, ut falsa tradi a Josepho diligentissimo scriptore concedamus. Neque enim res ipsa ejusmodi est, ut Joannis, tamquam scriptoris divini, auctoritatem vel minimum possit labefactare.

§. 4.

Hactenus conati sumus ostendere, veras in rebus neque ad summam religionis spectantibus, neque cum illa necessario conjunctis, *ἐναντιώσεις* neque scriptorum sacrorum fidei quidquam derogare, neque eorum tollere divinitatem. Quod si ita est, de *ἐναντιοφανείαις* idem esse sentiendum per se intelligitur. Sequitur, ut, quomodo illae interpretando tolli possint, ac debeant, doceamus. In quo ante omnia adtendendum est ad caussas, e quibus *τὸ ἐναντιοφανὲς* solet nasci. Exsistit autem id primum in rebus dogmaticis *e modo loquendi non ad ἀκρίβειαν dogmaticam subtiliter facto*. Ea ratio est loci, qui legitur *Lucae XIV.* 26. de quo alio tempore diximus. Ibi Christus omnem discipulum aversatur, qui non parentes, uxorem, fratres, liberos, sorores suamque adeo vitam oderit. Atqui hoc praeceptum cum a natura et ratione abhorret, tum aliis librorum sacrorum locis aperte repugnat, si veram verbi *μισεῖν* urgere velis notionem. Conf. *Matth. XV.* 4. Paullum ad *Ephes. VI.* 1. I. ad *Tim. V.* 8. Sed nimirum intelligendum est, *μισεῖν* non subtiliter sed crassius dici, ut non omnem consanguineorum amorem excludat, sed illum sic jubeat temperari, ut studium religionis omnia vincat. Atque hunc ejus praecepti sensum esse clarissime patet conferenti locum parallelum, qui exstat *Matth. X.* 37. — Ita porro I. ad *Cor. X.* 24. jubentur Christiani *non ipsorum sed aliorum rationem*

habere, at ad *Philipp. II.* 4. *cum ipsorum tum caeterorum.* Non pugnant ista inter se praecepta; sed priori loco idem cogitans Paullus, omissa subtilitate dogmatica, secutus est negligentiam sermonis quotidiani. Illam si spectes, scribere sic debuit: *μηδεὶς τὸ ἑαυτοῦ μόνον ζητείτω, ἀλλὰ καὶ τὸ τοῦ ἑτέρου ἕκαστος.* Nunc illud *μόνον* omisit, quod infinitis locis fit ab optimis scriptoribus, ubi per se intelligitur; eamque ellipsin in illo ad Philippenses loco aperte indicat addita copula. Locus geminus est apud Xenophontem *Ἀπ. III. II.* 3. *Καὶ γὰρ βασιλεὺς αἱρεῖται, οὐχ ἵνα ἑαυτοῦ καλῶς ἐπιμελῆται, ἀλλ' ἵνα καὶ οἱ ἑλόμενοι δι' αὐτὸν εὖ πράττωσι.* — Denique verba *ἐντέλλειν* et *ἐντολή*, si notiones subtiliter exigas, mandati vim habent, contra *ἐπιτρέπειν* et *ἐπιτροπή* *concessionem*, vel *permissionem* significant. At Christus, quam rem *Matth. XIX.* 8. *ἐπιτροπὴν* dicit, eamdem *ἐντολὴν* vocat *Marc. X.* 5. Pharisaei contra iisdem locis *ἐντέλλεσθαι* et *ἐπιτρέπειν* confundunt. Quid igitur? An inter se pugnant Matthaeus et Marcus? Immo intelligi debet, non in hisce limari orationem ad subtilitatem philosophicam, sed utrumque illa sermonis negligentia uti, qua legis lator, cujus proprium munus est *mandare*, etiam tum mandasse dicitur, quum quid adjuncta restrictione indulsit.

Praeterea *τὸ ἐναντιοφανὲς* existit *ex ingenio linguae orientalis.* Matthaeus X. 10. Christum inducit apostolos praedicandi Evangelii caussa iter facturos sic instruentem: *Μὴ κτήσησθε πήραν εἰς ὁδὸν, μηδὲ δύο χιτῶνας, μηδὲ ὑποδήματα, μηδὲ ῥάβδον.* A quibus aliquanto differunt illa, quae apud Marcum VI. 8. seq. sic leguntur: *Καὶ παρήγγειλεν αὐτοῖς, ἵνα μηδὲν αἴρωσιν εἰς ὁδὸν, εἰ μὴ ῥάβδον μόνον· μὴ πήραν, μὴ ἄρτον, μὴ εἰς τὴν ζώνην χαλκόν· ἀλλ' ὑποδεδεμένους σανδάλια, καὶ μὴ ἐνδύσασθαι δύο χιτῶνας.* Ergo apud Matthaeum Christus apostolis calceamenta et baculum capere haud permittit, apud Marcum eadem concedit. Eos vero Hackspanius in *notis*

philologico-theologicis Part. III. pag. 61. seq. inter se ita conciliat. „Saepe, inquit, apud Hebraeos aliqua „vox ex antecedentibus repetenda est: quo facto facile „Matthaeus et Marcus conciliari poterunt. Matthaeus „enim vult, ne duo calceamenta possideant apostoli: „Marcus autem contendit, ut sint calceati, sed non ut „possideant duo calceamenta, id quod hoc loco inter- „dicitur. Plura autem hujus hebraismi exempla passim „occurrunt. ex. gr. *Matth. V.* 22. vetamur dicere fratri „*Raka, stulte, fatue.* Hic certe ex antecedentibus „repetenda est vox εἰκῇ, *frustra, temere.* Alias ipse „Christus peccasset, quum quosdam *stultos* vocavit, „(vid. *Matth. XXIII.* 17. 19. *Luc. XXIV.* 25.) et Pau- „lus, quum exclamavit *Gal. III.* 1. *o amentes Gala-* „*tae.*" Haec igitur Hackspanius. Eadem Grotii est in- terpretatio, qui dicit, ad ῥάβδον intelligendum esse *ba- culum alium, quam quem manu geritis*; additque: *Qui iter facerent, propterea quod soleae facile adte- rebantur, neque raro fiebat, ut baculus frangeretur, aut alicubi adhaeresceret, ideo solitos esse in sar- cinulis ponere alias soleas, aliosque baculos.* Hanc autem interpretationem egregie firmat Lucas, apud quem IX. 3. illa leguntur: Καὶ εἶπε πρὸς αὐτοὺς, Μηδὲν αἴρετε εἰς τὴν ὁδὸν, μήτε ῥάβδους, μήτε πήραν, μήτε ἄρτον, μήτε ἀργύριον, μήτε ἀνὰ δύο χιτῶνας ἔχειν.

§. 5.

In historicis τὸ ἐναντιοφανὲς primum oritur e *consi- lii diversitate.* Haec consilii diversitas interdum tan- tam vim habet, ut, in quibus verbis non modo diver- sus, sed contrarius sensus inesse videatur, his idem prorsus dicatur, si ad dicentis consilium verba retule- ris. Matth. XVII. 10 — 14. Christus discipulis dicit, Eliam, quem Judaei ante Messiam in has terras redu- cem exspectabant, esse Joannem Baptistam. Ista nempe Judaeorum opinio nitebatur Malachiae IV. 4. seq. ubi e

versione Alexandrina illa leguntur: *Καὶ ἰδοὺ ἀποστέλλω ὑμῖν Ἠλίαν τὸν Θεσβίτην πρὶν ἐλθεῖν ἡμέραν κυρίου τὴν μεγάλην καὶ ἐπιφανῆ.* Atqui Joannes baptista ipse a Judaeis interrogatus eum se esse negat apud Joannem I. 21. Sed nimirum alio consilio atque mente Christus Joannem Eliam esse dicit, alia ipse Joannes negat. Christus respicit ad munus atque officium Joannis illius simile, quod Eliae tribuit Malachias vs. 5. *ὃς ἀποκαταστήσει καρδίαν πατρὸς πρὸς υἱὸν, καὶ καρδίαν ἀνθρώπου πρὸς τὸν πλησίον αὐτοῦ.* Joannes vero respicit ad ipsam Eliae personam, quam se esse negat. Hanc autem neque Christum in Joanne designare voluisse, patet ex alio loco, qui legitur *Matth. XI.* 13. seq. ubi *Πάντες γὰρ,* inquit, *οἱ προφῆται καὶ ὁ νόμος ἕως Ἰωάννου προεφήτευσαν. καὶ εἰ θέλετε δέξασθαι, αὐτός ἐστιν Ἠλίας ὁ μέλλων ἔρχεσθαι.* h. e. Vos Eliam reducem exspectatis, tamquam praecursorem ac velut antesignanum Messiae. En vobis praecursorem meum Joannem! Is igitur, modo ne animum obduretis, ille ipse erit Elias, quem exspectatis. Cf. *Luc. I.* 17. — Eodem modo nonnulli discrepantiam illam expediendam putant, quae obtinet inter Matthaeum et Lucam historiam tentationis narrantes. Alium enim ordinem prior tenet Cap. IV. 5. seq. Christum a Satana primum in fastigium templi Hierosolymitani, ac postea demum in locum editum abductum dicens, Lucas vero IV. 5. seqq. inverso ordine haec narrát. Inter hos igitur vera repugnantia obtineret, si constaret, utrique propositum fuisse, ut rem, quo acta erat ordine, narraret. Verum id neque necesse fuit, neque satis certum ejus rei in alterutro exstat indicium. Probabile tamen videtur, verum ordinem illum esse, quem tenet Matthaeus, huncque singula tentationis genera, quemadmodum sese exceperunt, velujsse persequi. Utitur enim particula *τότε*, quae est temporis definiti nota. Lucas vero, quemadmodum dixi, ejus consilii indicium habet nullum, sed videtur non nisi ipsam rem spectasse,

quae recte referri poterat, etiamsi ordo immutaretur.

§. 6. 7.

Porro dissensus speciem infert *modus loquendi*, etiam in historicis, cujus generis non una est forma.

I. Atque primo quidem *iisdem verbis alia significatione usi* idem dicunt, quum tamen contraria dicere videantur. Hujusmodi est illud, quod *Act. IX, 7.* de viso illo Paullo Damascum proficiscenti in itinere objecto narratur. *Οἱ δὲ ἄνδρες οἱ συνοδεύοντες αὐτῷ εἱστήκεισαν ἐννεοὶ ἀκούοντες μὲν τῆς φωνῆς, μηδένα δὲ θεωροῦντες.* Cum his plane pugnare videntur ea, quae in ejusdem libri C. XXII. 9. ipse Paullus de eadem re dicit: *Οἱ δὲ σὺν ἐμοὶ ὄντες τὸ μὲν φῶς ἐθεάσαντο, καὶ ἔμφοβοι ἐγένοντο, τὴν δὲ φωνὴν οὐκ ἤκουσαν τοῦ λαλοῦντός μοι.* Sed omnis ista species dissensus nascitur ex unius vocabuli diversa significatione. Scilicet ἡ φωνὴ non modo vocem articulatam, seu *loquelam* denotat, verum etiam sonum quemvis inconditum, sive *fragorem.* Ita in ipsis *Act. II.* 6. accipiendum hoc vocabulum videtur in illis verbis: *Γενομένης δὲ τῆς φωνῆς ταύτης* κ. τ. λ. ubi ἡ φωνὴ, ut puto, illud ipsum est, quod vs. 2. dicitur ἦχος ὥσπερ φερομένης πνοῆς βιαίας. Separatim vero *tonitru* significat, ut *Io. XII,* 28 seq. Hinc *Apoc. VI,* 1. ἡ φωνὴ βροντῆς dicitur. Alibi vero *sonitum tubae,* vid. *Matth. XXIV,* 31. Etiam de *strepitu aquarum* legitur *Apoc. I,* 15. Eodemque modo vocabulum latinum *vox* usurpari solet. Virgil. *Aen. III,* 566.

Et gemitum ingentem pelagi pulsataque saxa
Audimus longe, fractasque ad littora voces.

Et Cicero *de divin.* I. 7. ex Arato:

Saxaque cana salis niveo spumata liquore
Tristificas certant Neptuno reddere voces.

II. Interdum *de rebus aut personis singulis optimi scriptores historici utuntur numero plurali,* unde faci-

re species dissensus inter plures nascitur. Ita Vellejus Paterculus I. 11. *Vix ullius gentis, aetatis, ordinis,* inquit, *hominem inveneris, cujus felicitatem fortunae Metelli compares. Nam praeter excellenteis triumphos, et principale in rep. fastigium — quatuor filios sustulit* etc. Hic, quoniam Metellum semel tantum ex Macedonia triumphasse ex aliis scriptoribus constat, Lipsius aliique commentatores pro *excellenteis triumphos* numerum singularem Vellejo reponi volunt, recte refutati a Grutero, qui Vellejum, non jam concinnantem fastos, figura scriptoribus classicis usitatissima plurali numero uti potuisse monet. Ita etiam Tacitus Annal. I. 55. de Segeste, *gener invisus,* inquit, *inimici soceri,* de uno tantum socero loquens. Id. eod. XI. 16. *Non alium infensius arma contra patriam ac deos penates, quam parentes ejus exercuisse,* ubi unum patrem intelligit. Tandem in *Agric. V. Trucidati veterani, incensae coloniae,* de unica tantum colonia igni hausta loquens. — Neque insolens haec figura est scriptoribus sacris. Nam Lucas *Actt. XVII,* 18. nonnullos philosophorum Stoicorum atque Epicureorum Paullum Athenis verba facientem insimulasse scribit: *Ξένων δαιμονίων δοκεῖ καταγγελεὺς εἶναι;* rationem subjungens, *ὅτι τὸν Ἰησοῦν καὶ τὴν ἀνάστασιν αὐτοῖς εὐηγγελίζετο.* Ad quem locum plures interpretes, post Chrysostomum, numerum pluralem *δαιμονίων* referendum putant ad *ἀνάστασιν,* quasi hanc tamquam numen Athenienses commemoraverint, admodum illi imperite, ut alio tempore pluribus dicemus. Geminum huic est, quod tamquam caput accusationis Melitus Socrati imputabat: *ἀδικεῖ ὁ Σωκράτης, οὓς μὲν ἡ πόλις νομίζει θεοὺς, οὐ νομίζων, ἕτερα δὲ καινὰ δαιμόνια εἰσφέρων.* Vid. Xenophont. *Ἀπομν. Σ.* in. Cf. Plat. *Ap. S.* 11. Quaenam igitur erant illa *καινὰ δαιμόνια?* Scilicet unus ille daemon, quo Socrates se moneri contendebat. Ita in Platon. Euthyphr. 2. ipse Euthyphron melior interpres hanc accusationem

intelligit: *μανθάνω, ὦ Σώκρατες*, inquit, *ὅτι δὴ σὺ τὸ δαιμόνιον φῂς σαυτῷ ἑκάστοτε γίγνεσθαι*. Ex hujus figurae notatione conciliandi inter se sunt Matthaeus et Joannes, quorum ille C. XXVI. 8. in historia mulieris Soterem unguento pretioso perfundentis, *Ἰδόντες δὲ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ*, inquit, *ἠγανάκτησαν λέγοντες· εἰς τί ἡ ἀπώλεια αὕτη;* hic contra XII. 4. eumdem sermonem uni tribuit Judae Ischariotae: conciliandus quoque Paullus, qui I. *Cor.* *XV*, 5. Christum redivivum sese ostendisse dicit *τοῖς δώδεκα*, cum Marco XVI. 14. dicente illum adparuisse *τοῖς ἕνδεκα;* quod unice historice verum est, quum illo tempore Judas ex apostolorum numero excesserit, nisi si quis potius dicendum fuisse putet *δέκα*, quod scilicet eo tempore neque Thomas adfuisset. Vid. *Joann. XX.* 24. Sed ad Paullum cum Marco conciliandum minime opus est, ut vulgatam lectionem repudiantes cum codicibus quibusdam, versionibus ac patribus Latinis legamus *ἕνδεκα*, quae lectio aperte correctoris manum prodit de scriptorum sacrorum consensu imperite solliciti; verum rem omnem una facillime expedit observatio, haec scilicet. *Ubi de collegio aliquo memoratur certo numero constante, interdum plenus numerus commemoratur, uno vel pluribus detractis aut detrahendis.* Eam quidem observationem firmare licet exemplo e scriptoribus profanis, huic, quod e sacris libris adtulimus, plane gemino. Scilicet post pugnam navalem apud Arginusas pugnatam Atheniensium praetores, qui numero decem erant, quod, disjecta subita tempestate classe, caesorum militum corpora sepulturae mandare nequiverant, capitis sunt accusati. Ex his Xenophon *octo* damnatos scribit, in *Historia Graeca I. VII.* 11. At *Aelian. V. H. III.* 17. cum aliis multis habet *decem.* Quo modo igitur hi inter se sunt conciliandi? Nimirum Xenophon atque Marcus rem tradunt ex historiae veritate, alter undecim apostolos memorans, uno Juda e toto numero subtracto, alter octo tantum praetores damna-

tos scribens, quod scilicet Conon cum Leonte Mitylenè obsidione inclusus proelio ad Arginusas non interfuerat. Vid. Xenoph. l. l. §. 11. 12. coll. 21. Contra Aelianus aliique plenum decem praetorum, Paullus duodecim apostolorum numerum commemorantes rem crassius, neque κατὰ τὴν ἀκρίβειαν veritatis historicae tradidisse existimandi sunt.

III. Interdum scriptores historici *rem aliquam gestam anticipantes in ea rerum serie commemorant, in qua proprie locum non habet.* Ita Lucas III. 20. narrat, Ioannem Baptistam ab Herode in vincula fuisse conjectum, ac postea demum commate proximo Christum commemorat ab eo baptizatum. Atqui hoc prius factum esse, quam Joannes in carcerem mitteretur, partim alii Evangelistae narrant, partim inde intelligitur, quod Joannes custodia non fuit liberatus, sed in ipso carcere obtruncatus. Vid. *Matth. III.* 13. *IV.* 12. *XIV.* 1 seqq. *Marc. I.* 9 seqq. 14. *Joann. I.* 29 seqq. *III.* 23 seq. Hos igitur Lamius in Harmonia evangelica sic studet cum Luca conciliare, ut bis putet Joannem in vincula fuisse conjectum, primum quidem a magno synedrio, irritato illo ob convicia Pharisaeis facta, quos Joannes ad baptismum accedentes γεννήματα ἐχιδνῶν salutaverat. At ista quidem gratuito ac sine idonea caussa finguntur. Multo magis probatur eorum sententia, qui existimant, vincula Joannis per πρόληψιν a Luca commemorari, ut Joannis fata atque exitum ejus muneri subjungeret; hisque commemoratis Lucam reverti ad illud, quod ipsi potissimum erat propositum, ut ipsum Christi baptismum explicaret. Atque in eo nihil fecisse censendus est, quod non possit optimorum scriptorum exemplo defendi. Veluti Sallustius *Cat. XXIV. Neque tamen,* inquit, *Catilinae furor minuebatur, sed in dies plura agitare, arma per Italiam locis opportunis parare, pecuniam sua aut amicorum fide sumtam mutuam Faesulas ad Manlium quemdam portare* etc.

Capite autem XXVII. illa leguntur: *Igitur C. Manlium Faesulas, atque in eam partem Etruriae, Sulpitium quemdam Camertem in agrum Picenum, C. Julium in Apuliam dimisit, praeterea alium alio, quem ubique opportunum credebat.* Num igitur Catilina pecuniam ad Manlium Faesulas misit, antequam ibi esset? Itane Sallustium sui oblitum dicemus? An Manlium, postquam Faesulis fuerat, revertisse Romam, indeque rursum eo missum a Catilina putabimus, quae est Castilionei opinio? Mihi quidem multo magis Perizonii sententia probatur, qui in *Animadversionibus historicis* pag. 166. putat, Manlium Faesulis mansisse, sed ejus mentionem posteriori quoque loco fieri, quia voluerit Sallustius, quo quemque Catilina miserit, conjunctim illic exponere, licet ille aliquamdiu ante Faesulas a Catilina dimissus jam fuisset.

IV. Per hanc πρόληψιν *saepe usurpantur nomina locorum, urbium atque personarum, post illud tempus, cui adsignantur, imposita.* In libro *Judicum II,* 1. haec leguntur: *Καὶ ἀνέβη ἄγγελος κυρίου ἀπὸ Γαλγὰλ ἐπὶ τὸν Κλαυθμῶνα.* Versu autem 4. et 5. hujus nominis origo sic explicatur: *Καὶ ἐγένετο, ὡς ἐλάλησεν ὁ ἄγγελος κυρίου τοὺς λόγους τούτους, πρὸς πάντας υἱοὺς Ἰσραὴλ, καὶ ἐπῆραν ὁ λαὸς τὴν φωνὴν αὐτῶν, καὶ ἔκλαυσαν. Διὰ τοῦτο ἐκλήθη τὸ ὄνομα τοῦ τόπου ἐκείνου Κλαυθμών.* Pari modo *Matth. IV,* 18. nomen *Petri* de Simone usurpatur, antequam esset illi inditum. Conf. *Joann. I,* 41. coll. 43. Atque ita scriptores quoque profani; ut Virgilius *Aen. I,* 2. *Lavinia* littora nominat, quae ab urbe Lavinia post Aeneam demum condita hoc nomen acceperunt. Quamquam Vellejus Paterculus I. 2. hujusmodi prolepsin poëtis tantum epicis concedendam, in tragicis haud magis quam in scriptoribus historicis ferendam putat, ideoque reprehendit eos, qui Iliaca componentes tempora de Myrmidonum civitate a Thessalo condita

tamquam de *Thessalia* loquantur, quum ante Thessalum Myrmidonum vocata fuerit civitas.

V. *Saepe non summam ἀκρίβειαν sequuntur in tempore definiendo.* Vellejus Paterculus I. 8. mentione facta Olympiadis primae, sic pergit: *Tum Athenis perpetui Archontes esse desierunt.* Atqui viri docti ostendunt, istos Archontes desiisse demum Olympiadis sextae anno primo. Ergo illud *Tum* non praecise, sed paullo laxius est accipiendum. Idem scriptor II. 32. postquam ejus legis mentionem fecisset, qua Cn. Pompejus ad opprimendos piratas mittebatur, illa subjungit: *Per idem tempus Cotta judicandi munus, quod C. Gracchus ereptum senatui ad equites, Sulla ab iis ad senatum transtulerat, aequaliter inter utrumque ordinem partitus est.* Ad quae P. Manutius Velleji diligentiam requirit, eo quod lex Aurelia judicia inter equites et senatum distribuens biennio ante sit facta. Contra Ruhnkenius recte monet, tales formulas in historicis pinguius, sive populari quadam ratione esse capiendas. Itaque neque scriptoribus sacris hoc fraudi esse potest, si quando ista ἀκρίβεια in iis desideratur. Neque Matthaeus atque Marcus inter se pugnare censendi sunt eo, quod ille XVI. 21. Christum inducit discipulis praedicentem, se *tertio die, τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ,* in vitam esse rediturum, quum apud hunc VIII. 31. legatur, *post diem tertium, μετὰ τρεῖς ἡμέρας.* Nam verbis non iisdem uterque idem dicit. Et quamvis praepositio μετὰ proprie tempus praeteritum atque exactum indicat, tamen aliquando crassius sumitur de tempore quod agitur, et nondum elapsum est, ut plane nihil differat, μετὰ τρίτην ἡμέραν an τρίτῃ ἡμέρᾳ dixeris. At ne quis putet, hoc proprium esse scriptoribus sacris, etiam profanos ita loqui solere multis e Flavio Josepho testimoniis collatis egregie docet Krebsius in *Observationibus in N. T.* ex hoc scriptore pag. 87 seqq. quorum unum saltem hic adferam. Josephus igitur *Antt. Jud. I. XII.* §. 2. de Isaci circum-

cisione loquens haec habet: ἂν μετ' ὀγδόην ἡμέραν περιτέμνουσι. At id non *post diem octavum*, sed *ipso die octavo* factum esse, e divino mandato intelligitur, quod cum libris sacris consentiens ipse Josephus L. VI. C. VI. his verbis refert: Προσέταξε δὲ ὁ Θεὸς, βουλόμενος τὸ ἀπ' αὐτοῦ γένος μένειν τοῖς ἄλλοις μὴ συμφυρόμενον, περιτέμνεσθαι τὰ αἰδοῖα, καὶ τοῦτο ποιεῖν τῇ ὀγδόῃ ἡμέρᾳ μετὰ τὸ γεννηθῆναι.

VI. Huic simile est illud: *quod scriptores saepe de tempore nondum expleto perinde, ac si exactum esset, loquuntur.* Ut quum Lucas II. 21. de Christi circumcisione sic loquitur: Καὶ ὅτε ἐπλήσθησαν ἡμέραι ὀκτὼ τοῦ περιτεμεῖν τὸ παιδίον, diem octavum non expletum significat, sed inchoatum, idemque omnino vult intelligi, quod I. 5. dixerat de Joanne: Καὶ ἐγένετο ἐν τῇ ὀγδόῃ ἡμέρᾳ ἦλθον περιτεμεῖν τὸ παιδίον. Similiter in annorum computatione *annos modo completos, modo inchoatos numerant.* Ita sine dubio expediendum est illud, quod in libro II. *Regum XV*, 17. Menahemus Israelitarum rex decem annos regnasse dicitur. Atqui si, ut ibidem legimus, coepit regnare Asaria rege Judae annos triginta novem imperium tenente, atque diem obiit ejusdem regis anno quinquagesimo, quod dicitur vs. 23., non decem sed undecim annos regnasse reperitur. Verum probabile est, auctorem libri alterum utrum annum, vel quo regnum Menahemus adiit, vel quo decessit, tamquam incompletum haud numerasse. Contraria ratione I. XV. 2. Abiami regno additur annus non completus. Nam regnare coepit anno Ieroboami XVIII. vid. vs. 1. regno autem decessit anno regis ejusdem XX. vs. 8. 9. Dicitur autem regnasse tres annos. Ista autem res nihil habet, quod ab scriptorum admodum probabilium consuetudine abhorreat. Atque adeo sunt, qui diversum computandi modum sequentes, diversis locis ipsi ab se dissentiant. Sic Josephus *Antt. Iud. XVII*, C. XV. §. 2. Archelaum scribit *decimo* imperii anno a

Caesare Viennam fuisse in exilium missum: idemque *de bello Iud. I.* C. VII. §. 3. factum id dicit anno *nono*, annum omittens inchoatum, quem priori loco adnumeraverat. Simili ratione Suetonius in vita *Caesaris Aug.* Cap. LXV. *Cajum et Lucium*, inquit; *in duodeviginti mensium spatio amisit ambos*; idemque in vita Tiberii 15. *Cajum et Lucium intra triennium*, dicit, *defunctos*. Quae loca inter se concilianda sic sunt, ut dicamus, Suetonium in *Augusto* mensium numerum adcurate inivisse, in *Tiberio* contra annum primum atque tertium, inchoatos tantum, numerasse pro completis.

VII. *In numero annorum denario aut centenario saepe numerus ponitur rotundus, omissis pluribus, qui excedunt, annis.* Ea res tam est pervulgata, ut testimoniorum pondere vix indigeat. Unum tamen exemplum adferam e Vellejo Paterculo, qui II. 4. de Scipione Africano loquens, *Reversus in urbem*, inquit, *intra breve tempus M'. Aquilio, C. Sempronio coss. abhinc annos CL. mane in lectulo repertus est mortuus.* Hic Aldus et Puteanus ad auctores et Fastos corrigunt CLVIII. idque nonnulli editores receperunt. Ruhnkenius vero numerum illum reliquit. Recte. Sic igitur explicanda est illa diversitas librorum sacrorum in constituendo numero annorum, quos Israelitae in servitute Aegyptiaca exegerunt. Nam *Genes. XV*, 13. numerantur anni CCCC. at Exodi XII, 40. invenies 430. Cum priori autem numero congruit Stephanus *Act. VII*, 6. cum posteriori Paullus ad *Galat. III*, 17. Nimirum Stephanus cum auctore *Geneseos* dat numerum rotundum. Paullus vero cum *Exodi* libro consentiens rationes adcurate subducit. Atque eadem discrepantia obtinet in Josepho. Vid. *Antt. Iud. II*, 15. 2. coll. 9. 1. et de *bello Iud. V*, 9, 4. Krebs. *Obs. Flav.* p. 185 seqq.

VIII. *In rebus ad loca referendis e pluribus locorum nominibus, quae omnia aeque recte poni possint, alii saepe aliud commemorant.* Tale est illud, quod

ab Ernesto in Xenophontis *An.* III. V. 4. observatum in subjecta nota laudat Ammonius. Scilicet Xenophon proelium ab Atheniensibus cum Boeotiis *Lebadiae* adverso Marte commissum refert, dissentiens a Thucydide, qui pro *Lebadia. Chaeroneam*, et a Pausania, qui *Haliartum* habet. Sed erat Lebadia inter Chaeroneam et Haliartum intermedia, ut omnia tria nominari potuerint, sed adcuratissime tamen nominata sit Lebadia. Cf. Wolf. ad Leptin. p. 287. Neque vero aequus judex quisquam ideo vel Thucydidem vel Pausaniam falsitatis aut negligentiae accusabit. Eadem plane est ratio ejus dissensus, qui obtinet inter Matthaeum et Marcum atque Lucam, quando quod miraculum prior a Christo editum narrat in regione Gergesenorum (VIII. 28.), id Marcus V. 1. et Lucas VIII. 26. agro adsignant Gadarenorum. Quamquam et apud Matthaeum codd. aliqui pro *Γεργεσηνῶν* legunt *Γαδαρηνῶν*, notante Epiphanio, et vicissim apud Marcum et Lucam pro *Γαδαρηνῶν* alii habent vel *Γεργεσηνῶν* vel *Γερασηνῶν*, atque viri docti plures Evangelistarum lectionem ad consensum revocandam existimant, magis, ut equidem puto, provide, quam ex artis criticae peritia. Nam si omnium eadem fuisset lectio, vix esset mutata: sin vero in alio aliud primitus erat scriptum, facile adparet, quid correctores in mutanda lectione secuti sint, scilicet ut Evangelistae ad consensum revocarentur. Itaque maxime equidem probo Grotii sententiam, qui nihil hic movens, ad Marcum, „Discimus, inquit, e tabulis Judaeae, quas Judaei „edidere, *Girgasa* et *Gadara* ad eamdem partem stagni „vicino esse positu, ita ut adsita regio non minus *Gada-„renorum* Marco, quam Matthaeo *Gergesenorum* dici „recte potuerit."

IX. *Saepe genus pro specie, et contra species pro genere; aut etiam pro individuo exprimitur.* Sic apud Marcum VII. 26. quae mulier *Ἑλληνὶς*, eadem *Συροφοίνισσα τῷ γένει* dicitur. Neque tamen secum ipse Marcus

pugnat. Nam Ἕλληνας scriptores sacri vocare solent, non tantum eos, qui erant natione Graeci, sed omnes omnino omnium gentium homines, praeter Judaeos, eo nimirum, quod plurimae gentes Graece loquebantur. Hinc non raro Judaei atque Graeci sibi opponuntur. Vid. *Act. XIV*, 1. ad *Rom. I*, 16. *II*, 9. 10. *I. ad Cor.* X, 32.

§. 8.

Hactenus exposuimus de caussis atque fontibus, e quibus nasci solet τὸ ἐναντιοφανές: sequitur, ut, qua ratione illud tollendum sit, videamus. Id autem fieri debet locorum, quae inter se pugnare videntur, compositione. Componere vero loca nihil aliud est, quam commoda interpretatione ad consensum sic revocare, ut non diversa, sed idem dicere videantur. In quo negotio ante omnia hoc est videndum, uter e duobus locis ad alterum sit conformandus, atque utrius in sensu constituendo valere debeat auctoritas. Quaecumque igitur species repugnantiae exsistit, ea non in sensu, sed in verbis est quaerenda. Nam quae alter locus clare et aperte dicit, eadem alter verbis non iisdem obscurius sic enuntiat, ut primo adspectu longe aliud dicere videatur. Unde per se intelligitur, cum in rebus dogmaticis, tum in historicis, *locum obscuriorem interpretando conformari debere ad clariorem.* Itaque quum Christus Lucae XIV. 26. illa praecipit: Εἴ τις ἔρχεται πρός με, καὶ οὐ μισεῖ τὸν πατέρα ἑαυτοῦ καὶ τὴν μητέρα etc. οὐ δύναταί μου μαθητὴς εἶναι, obscuritas aliqua inest in verbo μισεῖν, ab usu emphatico. Contra vero, quae idem Christus Matth. X. 37. dicit: Ὁ φιλῶν τὸν πατέρα ἢ μητέρα ὑπὲρ ἐμὲ οὐκ ἔστι μου ἄξιος, ea omni carent ambiguitate, neque interpretandi aliam rationem admittunt praeter eam, quae est in promtu. Itaque superiora illa ad haec sic sunt conformanda, ut verbo μισεῖν nihil amplius, quam hoc significari putes: Christo ejusque do-

ctrinae caetera omnia cognationis ac necessitudinis vincula esse posthabenda.

Neque vero loca tantum obscuriora ad clariora sunt interpretatione conformanda, sed etiam, *si ea quae dicunt scriptores sacri cum iis, quae ipsi in caussa religionis certo consilio fecerunt, pugnare videntur, scripta cum factis potius sunt componenda, quam contra.* Ita de iis judicandum videtur, quae Paullus ad Galatas scribit V. 2. Ἴδε ἐγὼ Παῦλος λέγω ὑμῖν, ὅτι ἐὰν περιτέμνησθε, Χριστὸς ὑμᾶς οὐδὲν ὠφελήσει. Haec si ad verbum intelligas, quid aliud dicit apostolus, quam eos, qui se circumcidi patiantur, e gentibus Christianos, hoc ipso divina gratia atque religionis Christianae beneficio excidere? Atqui ipse tamen Timotheum e gentibus ad sacra Christiana accedentem, Christianorum ex Judaeis imbecillitati obsecutus, circumciderat. Vid. *Act. XVI,* 1 seqq. Quid? quod ipse Paullus eadem de caussa Hierosolymis rituum Mosaicorum observationi sese submisit? Vid. eod. XXI. 18 seqq. conf. I. ad *Cor. IX,* 19 seqq. Quae igitur ista dictorum factorumque est inconstantia? Nimirum loci illius ad Galatas interpretatio ad generale ejus epistolae consilium eorumque, quae ipse fecerat, consensum revocanda sic est, ut illum non ad solum ritum circumcisionis respicere, sed omnem legis adparatum intelligere putemus, cujus ille ritus quasi omen erat et auspicium. Itaque sine dubio hoc vult: „Qui „veterem religionem Judaeorum cum pura Christi do„ctrina conflare quasi in unum atque confundere velint, „eos exitiali hoc rerum dissociabilium contubernio ipsius „religionis vim tollere, atque conjunctorum cum illa „beneficiorum fructu excidere.“

In hac tamen locorum contentione probe tenendum est: ad tollendam ἐναντιοφάνειαν minime sufficere, ut locus obscurior per se conformetur ad clariorem, sed fieri id ita debere, ut interpretationis caussa atque ratio reddatur. Neque enim verba licet in sensum detorquere,

quem eorum significatio atque usus loquendi constans repudiet. Ita supra Obs. II. Matthaeum XXVI. 8. cum Ioanne XII. 4. sic conciliavimus, ut de rebus aut personis singulis ex usu loquendi optimorum scriptorum pluralem poni, pluribus exemplis doceremus. At quae inter Matthaeum VIII. 28. homines impuro genio vexatos duos Christo occurrisse referentem, et Marcum V. 2. atque Lucam VIII. 27. nonnisi unum memorantes pugna obtinet, ea certe talis est, ut ex usu loquendi tolli minime possit. Quod enim de illa numerorum permutatione diximus, id de numero tantum infinito valet, ut *parentes* dicantur pro *patre*, *liberi* pro *filio*, *discipuli* pro *discipulo*, *latrones* pro *latrone*, ut *Matth. XXVII*, 44. coll. Luc. XXIII. 39. sed ut numerus finitus addatur, atque duo vel tres dicantur, quum unus nonnisi intelligendus sit, id constans non bonorum modo, verum omnium scriptorum usus loquendi respuit. Itaque, quemadmodum dixi, ille Evangelistarum dissensus, quamvis in se nullius momenti, tamen verus est, neque ex usu loquendi tolli potest. Nam quod nonnulli dicunt, Marcum atque Lucam de duobus daemoniacis insigniorem, id est altero magis saevientem memorasse, hoc quidem tale est, ut tacuisse praestiterit: nisi forte, quando Matthaeus XX. 30. duos homines coecos, Marcus vero X. 46. item nonnisi unum memorat Timaei filium, id etiam fecit eo, quod iste coecior fuerit. Quamquam ne hic quidem responso destituuntur. Nam dicunt, hunc fuisse nobiliorem. At hoc quidem nugari potius est, quam scriptores divinos ad consensum revocare. Quis enim ferret interpretem in conciliandis scriptoribus profanis ita versantem? Sed haec discrepantia, quemadmodum dixi, in se levis et ad summam ejus rei, de qua agitur, haud pertinens scriptorum divinorum auctoritati ne minimum quidem derogat. Nam in eo quod caput est, inter se consentiunt, ut dicant, Christum miraculum sive in uno homine, sive in duobus edidis-

se. — Caeterum qua ratione explicando usu loquendi ἐναντιοφάνειαι aperiri ac tolli possint, exemplis quam plurimis ostendimus ad §. 6. et 7.

§. 9.

In locis dogmaticis atque moralibus componendis in primis hoc tenendum est: *Multa simpliciter et absolute dicta videri, quae non sint sine aliqua restrictione intelligenda.* Ita quando Christus Io. X. 8. haec dicit: *Πάντες ὅσοι πρὸ ἐμοῦ ἦλθον, κλέπται εἰσὶ καὶ λῃσταί,* nemo sanus ista de omnibus, qui ante Christum venerunt, doctoribus dicta existimabit. Neque id omnino aliis Christi sermonibus fuerit consentaneum. Nam et alios saepe honoris caussa laudat prophetas, et in his longe maximum esse dicit Ioannem baptistam Lucae VII. 28. Atqui effatum illud generale restringi debet ad id, quod paullo ante vs. 7. dicitur, quodque repetitum legimus vs. 9. Ἐγώ εἰμι ἡ θύρα· δι' ἐμοῦ ἐάν τις εἰςέλθῃ, σωθήσεται. E quibus inter se collatis efficitur, ut hujus loci sententia haec sit. „Per me hominibus patet via „ad salutem; hoc est, ego sum verus ille Messias, per „quem res prolapsas et adflictas in integrum iri restitu„tum libri divini praedixerunt. Quicunque ante me „hoc nomen munusque sibi adrogarunt, non sunt nisi „impostores, qui dolose ac fraudulenter in locum alie„num sese intruserunt.“ — Hujusmodi etiam est illud, quod Ernestus dicit: *Cum in primis religionis principiis esset* etc. Scilicet Matth. XXV. 34 seqq. sola beneficientia tamquam caussa aeternae salutis videtur commemorari. Atqui primum tenendum hoc est: virtutem unam, quae quidem in praecipuis habetur, poni pro omnibus, id est formam pro genere, qua figura in libris sacris nihil est frequentius. Ita intelligenda sunt illa Iacobi I. 27. *Θρησκεία καθαρὰ καὶ ἀμίαντος παρὰ τῷ θεῷ καὶ πατρὶ αὕτη ἐστὶν, ἐπισκέπτεσθαι ὀρφανοὺς καὶ χήρας ἐν τῇ θλίψει αὐτῶν, ἄσπιλον ἑαυτὸν τηρεῖν ἀπὸ τοῦ κόσμου.*

Sed ne hoc quidem res tota conficitur. Nam in epistolis Paullinis passim salutis fundamentum atque caussa dicitur esse ἡ πίστις. Quae si absolute dicta intelligantur, plane inter se pugnant. Sed nimirum haec explicandi ratio unica haec est, si dicas, neque fidem sine virtute, neque hanc sine illa valere ad salutem, utramque vero sic conjungi, ut salus quidem unice divinae gratiae debeatur, atque fiducia in hac collocata obtineri queat, ea tamen lege, si fuerit cum virtute conjuncta.

§. 10.

In scriptoribus historicis species dissensus nonnumquam ex eo nascitur, si res diversas propter similitudinem confundimus. In primis autem frequens is error est ex locorum aut hominum, quibus idem nomen erat, confusione. Ita Iulius Frontinus Strategematum III. 10. duo diversorum Annibalum strategemata ad unum illum refert celebriorem. Valerius item Maximus *Mem. II.* 2. Quintos Fabios Maximos duos confundens res diversas singulis tribuendas tribuit uni. Vid. Perizonii *Animadvers. hist.* Cap. II. pag. 82. Atque hoc modo etiam tollendum viri docti plures dissensum existimant inter Lucam *Act. V.* 36. et Iosephum *Antt. Iud. XX.* 5. Nam apud illum Gamaliel Theudam quemdam commemorat populum ad defectionem sollicitantem. Loquitur autem Gamaliel imperante Tiberio Caesare. At Iosephus item de Theuda refert turbas movente sub Cuspio Fado, qui aliquanto post imperante Claudio Palaestinae fuit procurator. Itaque viri docti existimant, duos diverso tempore fuisse Theudas, seu vero nomine utrumque, seu alterum adsumto, in populo turbulento seditionem cientes. Quam sententiam in primis ornat Scaliger in opere *de emendatione temporum,* et Casaubonus in *Exercitationibus contra Baronium,* cum quibus faciunt, praeter alios, Krebsius in *Observationibus e Flavio Iosepho,* Morus in Explicatione *Actuum Apo-*

stolicorum, et jam ante hos magnus Grotius, monens id nomen frequens fuisse apud Hebraeos.

Sed ea quoque res cautionem habet. Neque si vel paullulum narrationes discrepent, ideo statim hoc effugium est capiendum, ut diversa narrari dicamus. Id quidem non nisi tum recte fieri potest, si in aliqua similitudine longe major est diversitas. At si in plurimis atque gravissimis rerum momentis diversae narrationes inter se consentiunt, non licet profecto facta temere multiplicare. Ergo quod Matth. VIII. 5 seqq. Centurio inducitur ipse pro aegrotante servo Christi opem implorans, Lucas autem VII. 2. seqq. has partes tribuit senioribus Judaeorum a centurione missis, male nonnulli interpretes diversas res narrari contendunt. Nam apud utrumque et locus et persona et oratio ipsa sic congruit, ut non diversa, sed unam eamdemque rem referri luce clarius videatur. Idem omnino judicandum est de illa discrepantia, quam inter Matthaeum VIII. 28. Marcum V. 1. et Lucam VIII. 26. notavimus supra. Nimirum quod Matthaeus duos homines impuro genio vexatos habet in agro Gergesenorum Christo obviam factos, Marcus vero et Lucas non nisi unum memorant, et quidem in agro Gadarenorum occurrentem, ideo non eadem sed diversa narrari frustra Osiander somniat. Nam in caeteris omnibus Matthaeo adcurate cum Marco atque Luca convenit, primum in iis quae proxime erant relata de tempestate Christi nutu sedata, tum in ipsa narratione pleraque leguntur simillima, homo ex sepulcris prodiens, ejus oratio ad Christum, denique grex porcorum in propinquo pascens, et a daemonibus in lacum praecipitatus, quae talia sunt, ut quidvis potius quam similia tantum, non eadem, narrari crediderim. Neque aliter statuendum videtur de eo, quod Matth. XX. 30. duos homines caecos refert prope Jerichuntem a Christo sanatos, quum Marcus X. 46. Lucas XVIII. 36. nonnisi unum memorent, praetereaque priores a

Luca in eo discrepent, quod illi egrediente ex urbe Christo, hic urbem ingrediente hoc factum narrat. Ad quem dissensum tollendum nonnulli frustra diversas res referri contendunt. Nam idem prorsus narrari in rebus minimis conspirans oratio loquitur.

§. 11.

Componendorum locorum historicorum eadem quae dogmaticorum lex est. Videlicet loca obscura ad clariora, ambigua ad certa et adcurate definita interpretando sunt conformanda. Ernestus huc advocat locum, qui legitur *Act. VII.* 14. ubi Stephanus dicit: familiam Jacobi a Josepho in Aegyptum arcessitam constitisse capitibus LXXV. At *Genes. XLVI.* 26. seqq. *Exod. I.* 5. non numerantur nisi LXX. Sed priori loco versio Alexandrina cum Stephano consentit. Ac mihi quidem maxime probatur eorum sententia, qui putant, sive Stephanum, sive Lucam actuum apostolicorum scriptorem, utrumque Hellenistam, secutos esse Graecam versionem, quod quidem ab scriptoribus sacris etiam in illis locis, qui non satis adcurate conversi sunt, saepius fieri diximus supra ad §. 1. Ernestus ab auctore Geneseos numerum rotundum poni, Stephanum rem adcurate tradere existimat, atque proinde ad hunc illum esse conformandum. Aliorum sententias recenset Wolfius in *Curis philologicis et criticis* in N. T. Lectu omnino digna sunt, quae de isthoc dissensu docte, ut solet, disputat Krebsius in *Observationibus e Flavio Josepho* pag. 186. seqq.

Ad §. 12. conferenda sunt ea, quae ad §. 2. sub finem disputavimus.

CAP. VII.

De versionibus et commentariis scribendis et judicandis.

§. 1.

Hactenus exposuimus praecepta *de modo sensus indagandi.* Hoc autem capite agitur *de interpretatione.* Conf. Proleg. ad §. 8. Interpretari nempe dicitur is, qui sensum ab se repertum aliis etiam tradit. Id autem duplici modo fieri potest, vel *vertendo*, vel *commentando.* Et *vertere* quidem nihil aliud est, quam scriptorem totum ex sua lingua in aliam transferre sic, ut in hac legi deinceps atque intelligi queat. *Commentari* vero censetur ille, qui sive ipsius scriptoris sermone, sive alio quovis quum res tum verba ita explicat, ut intelligendi difficultas tollatur.

§. 2.

Primum igitur dicendum est de *versione.* De qua quamquam multa passim scripta sunt a viris doctis probabiliter et ad usum adcommodate, nondum tamen, quod sciam, plena et adcurata de hac re exstat praeceptio. Quae autem maxime cum fructu legi posse existimo, haec sunt. — *Petri Danielis Huetii de interpretatione libri duo*, Parisiis 1661. 4. — „Grundsätze „der Kunst zu übersetzen, ein Versuch aus dem Eng„lischen, mit Rücksicht auf Deutsche Muster bearbei„tet von Renatus Gotthelf Löbel, Leipzig 1793.“ — „Et„was über die neusten Uebersetzungsfabriken der Grie„chen und Römer 1782.“ — „Garve's Vorrede zu seiner „Uebersetzung des Cicero von den Pflichten. Vergl. die „Recension dieser Uebersetzung im zweyten Bande der „Bibliothek der neusten theologischen, philosophischen

„und schönen Litteratur." — Sam. Frid. Nathanaelis Mori Dissertatio *de discrimine sensus et significationis*, in ejus Dissertationibus theologicis et philologicis Lipsiae 1787. — „Geist eines Schriftstellers, Lectüre, Ue-„bersetzung, von Herrn Prof. Maass, in den Charak-„tern der vornehmsten Dichter aller Nationen, Leip-„zig. III. B. 2. St."

Versionis igitur illud munus est: ut scriptorem totum in alia lingua referat; id est, ut easdem sententias, quas scriptor sua lingua expressit, in alia lingua legenti objiciat ita, ut hic neque plus, neque minus, neque aliud cogitet, quam scriptor ipse cogitaverit, atque alios cogitare voluerit. In sententiis autem vel *materiam* spectamus vel *formam*. *Materiam* illud dicimus, in quo posita vis est sententiae, seu id quod per se scribens aut loquens significare vult: *forma* autem continetur modo, quo illud significatur. Ut quum Ovidius illa dicit:

Donec eris felix, multos numerabis amicos;
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

et Petronius:

Quum fortuna manet, vultum servatis amici;
Quum cecidit, turpi vertitis ora fuga.

et Horatius:

Diffugiunt cadis
Cum faece siccatis amici,
Ferre jugum pariter dolosi.

et poeta Graecus:

Ἀνδρὸς κακῶς πράσσοντος ἐκποδὼν φίλοι.

atque alius tandem:

Κρίνει φίλους ὁ καιρὸς, ὡς χρυσὸν τὸ πῦρ.

omnium, si materiam spectes, eadem est sententia, nempe haec: „Die äussern Umstände sind der Prüfstein, „an welchem man wahre Freunde und falsche erken-

„nen kann." Eam vero sententiam alius alio modo exornavit; atque nemo illa dicens quae adtuli, sic loca illa omnia convertisse erit censendus.

Jam sententiarum forma partim illud continetur, quod est cujusque scriptoris proprium. Sed et praeter hanc sunt aliae orationis vel virtutes vel vitia, quibus scriptor ab alio alius differre solet. Namque alius verbis aptus est, creber sententiis, grandis, incitatus, verborum ambitu et numeris devinctus, alius tenuis, obscurus, asper, horridus, exilis, diffluens, alius denique inter hos interjectus aequabili et temperato genere orationis. Ex his omnibus, cujuscumque tandem sunt modi, orationis exsistit universae color, et nativus quidam scriptoris character. Unde efficitur, ut triplex bonae versionis sit munus: primum, ut scriptoris *sententias*, secundum, ut earum *formam*, tertium denique, ut universum orationis colorem, atque nativum scriptoris habitum et *characterem*, quantum per linguarum diversitatem conceditur, adcurate referat.

§. 3.

Hoc autem fieri aliter non potest nisi verborum *dilectu*. Itaque interpreti deligenda sunt verba ea, quae vi sua plane respondeant iis, quae sunt in archetypo, neque sensu tantum, verum etiam significatione, ita ut etymologia quoque atque tropus servetur, enunciatis autem ea qua scriptor usus est figura reddatur. Namque his omnibus dicendi modus censetur, quem dixi esse in versione referendum. Haec exemplis nonnullis illustrabimus. Virgilius, *Georg. I.* 127, de aurea hominum aetate loquens: *Ipsa tellus*, inquit, *omnia liberius, nullo poscente, ferebat*. Quae Duschius sic vertens: „Die Erde selbst trug alles freywillig, *ohne alle* „*Arbeit*," vim illam poeticam, quae in verbo *poscente* inest, prorsus sustulit. In epistola autem ad *Galatas IV.* 15. Bahrdtius illa Paulli verba: *Τίς οὖν ἦν ὁ μακα-*

φισμὸς ὑμῶν, sic vertens: „Daher kam es, dass ihr euch „glückselig prieset, mich zum Lehrer zu haben," non vidit, quantum pondus orationi accederet ab illa interrogatione, qua usus est Paullus.

Verumtamen ista res hanc habet cautionem, ut per omnia usus linguae servetur. Neque enim ubique id, quod diximus, facere licet propter diversam linguarum indolem atque scribendi consuetudinem, quae ab aliis aliae saepe ita discrepant, ut, si verbum verbo reddideris, aut obscurum sit, aut durum atque insolens, aut ridiculum, aut denique a consuetudine temporis alienum. In hoc genere vix quisquam saepius peccat Homeri et Virgilii interprete, multorum laudibus celebrato, Henrico Vossio, non magis imperitia, quam quod sensu elegantiae destitutus ita se denique fidum interpretem esse existimat, si verbis atque loquendi formulis archetypis, servilis potius imitator quam religiosus, adhaerescat. Hinc non modo orationis omnis lepos et venustas cum facilitate perit, sed nonnumquam ita fit obscurus, ut interpres, sine interprete, ab homine graece aut latine indocto intelligi nequeat. Hujusmodi sunt illa Virgilii *Georg. I.* 147.

> Prima Ceres ferro mortales vertere terram
> Instituit.
> „Ceres zuerst hat die Menschen das Land mit Eisen
> „zu kehren
> „Angeführt."

Paullo post vs. 155.

> Quod nisi et adsiduis terram insectabere rastris.
> „Wenn du nicht immer die Flur mit gätender Hake
> „*verfolgest.*"

Porro vs. 175. seq.

> Possum multa tibi veterum praecepta referre,
> Ni refugis, tenuesque piget cognoscere curas.
> „Manches *Gebot* der Alten vermag ich dir zu ent-
> „hüllen,

„Fliehest du nicht, dein Ohr den niedrigen Sorgen
„versagend."

Tandem II. 198.

Sunt et Amineae vites, firmissima vina,
Tmolius adsurgit quibus et rex ipse Phanaeus.
„Ferner prangt des Aminischen Stocks hochaltern-
„der Kraftwein;
„Welchem der Tmolier selbst aufsteht, und der Kö-
„nig Phanäus."

In quibus omnibus quantopere sit peccatum inepta verborum diligentia, dicere longum est. Sed ut de postremo tantum loco dicam, in duobus versibus non uno tantum modo labitur vir doctus, primum quod *firmissima vina* vocabulo reddit prorsus humili et plebejo „Kraftwein;" deinde quod vitiosam amplectens lectionem, *Tmolium*, i. e. Tmoli montis incolam, dicit pro ipso monte *Tmolo*, quamquam haec minus pertinent ad rem propositam. Illud gravius est et a loquendi consuetudine abhorrens delictum, quod illam loquendi formulam, *adsurgere cui*, in linguam nostram ad verbum transferens, hoc dicit, quod, nisi latine doctus, nemo possit intelligere. *Adsurgere* nempe *cui* Latinis idem erat, ac *primas alicui partes honoris aut laudis tamquam praestantiori deferre*. Hoc enim loquendi genus inde fluxit, quod principibus civitatis viris vel in curiam vel in theatrum intrantibus, caeteri, qui aderant, cives honoris caussa de sedibus surgebant. Tandem etiam *regem Phanaeum*, i. e. Phanaeum montem, caeteros montes vitiferos vini bonitate superantem ad verbum vertens „der König Phanäus," sensum plane obscurat. Ergo ut clarius ita rectius sic vertere debuit:

„vor welchem
„Tmolus sich neigt, und selbst der König der Weine
„Phanaeus."

E tali igitur tam servili scriptorum conversione,

quae etymologiam primamque verborum significationem etiam ibi sequitur, ubi linguarum usus minime consentit, necesse est oriri sensus vel obscurationem, vel perversionem. Etenim lector indoctus verba ex suae linguae usu intelligens aut plane nihil cogitabit, aut certe aliud quam scriptor verbis significare voluit. Atque hinc saepe in religione cum dogmata commentitia nascuntur, tum notiones rerum a vero plurimum aberrantes. Hujusmodi multa in religionem populi invexit imperita versio vocabulorum πίστις, δικαιοσύνη, χάρις, βασιλεία, μυστήριον, et quae sunt hujus generis alia. Nam ut in postremo maneamus, vix est ut putemus, theologos tantum mysteriorum, quae dicunt, numerum in religionem fuisse invecturos, nisi talia in libris sacris ultro quaerenda et evestiganda existimassent, decepti scilicet graeca ejus vocabuli significatione, qua sacra quaedam arcana denotat, ad quae aditus nemini praeterquam initiatis patebat. Quam notionem doctores Christiani ad religionem transferentes μυστήρια dogmata vocarunt non modo intellectu difficilia, sed humani ingenii captum omnino superantia. In quo illos primum ipsa ratio corrigere debebat, propterea quod ea docere, quae nemo intelligere possit, perversae sedulitatis, adeoque divina sapientia plane indignum est judicandum. Sed praeterea usus scriptorum sacrorum docet, τὸ μυστήριον illos vocare doctrinam quamvis novam, et hominibus, maxime Judaeis, ante Christum incognitam, quamvis claram in se atque facilem intellectu. Ita doctrinam de animorum aeternitate nemo mysterium illo priori sensu dixerit. Atqui Paullus I. ad *Cor. XV.* 51. Ἰδοὺ, inquit, μυστήριον ὑμῖν λέγω. Πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα. Quae perquam imperite nostra versio sic reddit: „Siehe, ich sage euch „ein Geheimniss. Wir werden zwar nicht alle entschlafen; aber wir werden alle verwandelt werden.“ Multo melius ad sensum versio Bahrdtiana: „Daher

„werden wir alle, (ich sage hier eine Sache, die man „ohne göttliche Offenbarung freylich nicht wissen kann) „auch die, welche nicht sterben, werden dereinst verwandelt werden." Eodem modo ad *Rom. XI.* 25. ubi Paullus de futura Judaeorum ad sacra Christiana conversione loquens, *οὐ γὰρ θέλω*, inquit, *ὑμᾶς ἀγνοεῖν, ἀδελφοὶ, τὸ μυστήριον τοῦτο* etc. nostra versio supra modum obscure: „Denn ich will euch, ihr Brüder, diess „Geheimniss nicht verhalten (auf dass ihr nicht bey euch „selbst klug seyd), dass die Verhartung dem Israel zum „Theil widerfahren ist, bis die Völle der Heiden hin„eingegangen seyn wird; und also wird das ganze Israel „selig werden." Quanto lucidius rectiusque Bahrdtius: „Ich muss es euch nur gerade heraussagen, so uner„wartet es euch scheinen wird, damit sich euer Dünkel „verliere: die Israeliten werden nicht immer in ihrer „Verstockung beharren; sondern wenn die Menge der „Heiden in das Reich Gottes wird eingegangen seyn, so „werden auch noch die Juden aus allen Stämmen von „ihrem Unglauben gerettet werden."

Ex hac vertendi ratione imperita multa vocabula migrarunt in consuetudinem sermonis quotidiani, quae unusquisque se intelligere putat, quum non modo a plebe, sed a viris saepe eruditis aut omnino non intelligantur, aut ubique eo sensu accipiantur, quem ipsis consuetudo loquendi, non usus sacrorum scriptorum tribuit. Ex hoc genere sunt illa verba, „Erbauen" et „Erbauung," quae quotidie usurpata a paucis ita intelliguntur, ut usus scriptorum sacrorum in verbis *οἰκοδομεῖν* et *οἰκοδομὴ* postulat. Nam vulgo nihil aliud esse putant, quam praeceptione, aut institutione, aut exemplo incitari ad bona mentis consilia, atque inprimis confirmari in sensu religioso. Hinc ipse Adelungius in Lexico minori sic explicat: „Zum Guten bewegen, und „darin befestigen, gottselige Empfindungen hervorbrin„gen;" recte, si ex usu linguae Germanicae definias;

qui vero Graeca verba eodem modo definienda putat, is nimis arcte sensum circumscribit. Nam οἰκοδομεῖν, similitudine ab aedificiis desumta, quae aedificando altius surgunt, significat augmentum qualecumque vel virtutis, vel scientiae, vel cujuscumque tandem utilitatis. Itaque modo reddendum est *instituere*, modo *corrigere*, modo *emendare*, modo *confirmare*, modo *consolari*, modo *prodesse*, prout res et contextus ferat.

§. 4.

Quod si propter linguarum discrepantiam haud liceat verbis talibus uti, quae vi sua plane respondeant iis quae sunt in archetypo, tum Ernestus satis esse dicit sensum archetypi verbis quibuscumque expressisse modo idem significent ex indole linguae. De quo adcuratius paullo magisque circumscripte dicendum videtur. Nam si hoc ita dicit Ernestus, ut sententiae modo materiam, neglecta plane illius forma, verbis utcumque reddidisse sufficiat, neque scienter, neque ex arte id praecepisse videri potest. Neque enim, si formam eamdem reddere non licet, ideo dicendi modus est negligendus, aut orationis virtus verborum tenuitate diluenda. Nam vel in hoc maxime boni interpretis sollertia cernitur, ut scriptorem aemulans, ubi idem dicere non potest, certe quam possit simillima dicat, omnesque linguae suae copias excutiens diligenter videat, ecquod verbum, ecqua dicendi ratio ad archetypi non sensum modo, sed ipsam dicendi formam quam proxime accedat. Atque hoc de universo sermone valet, tum inprimis de dictione tropica. Quemadmodum igitur tropus omnis rhetoricus, id est qui ornandae aut variandae orationis caussa adhibetur, etiam vertendo reddi debet, neque dilui sermonis proprietate, ita etiam si quem vel linguae indoles respuit, vel temporum recentiorum consuetudo aversatur, erit ille commutandus cum alio cum imagine tum virtute, quantum fieri

possit, simillimo. Id qua ratione fieri possit, exempla optime docebunt. Nuperrime ad Xenophontis verba, quae leguntur *Ἀπομν.* L. II. III. 1. *εἰπέ μοι, ὦ Χαιρέκρατες, σὺ δή που καὶ σὺ εἶ τῶν τοιούτων ἀνθρώπων, οἳ χρησιμώτερον νομίζουσι χρήματα ἢ ἀδελφόν;* notavimus, in illis verbis *χρησιμώτερον χρήματα* venustam inesse paronomasiam, quam a caeteris interpretibus neglectam, Wielandus Germanice posse reddi desperavit. Ibi ergo vidimus, si non idem, certe simile reddi posse ita vertendo: „einer von denen, bey welchen *Geld* mehr *gilt*, „als ein Bruder." Paullus ad *Galatas IV.* 15. *Μαρτυρῶ ὑμῖν*, inquit, *ὅτι, εἰ δυνατὸν, τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑμῶν ἐξορύξαντες ἂν ἐδώκατέ μοι.* Hic quidem tropus, quo Paullus utitur, talis est, ut neque sermo noster neque sensus aetatis illum prorsus aversetur, neque illum ego reprehendam, qui iisdem verbis vertat: praeferam tamen illud, quod Bahrdtius dedit, non satis perite a Semlero reprehensus: „Ich muss es euch zum Lobe nach„sagen, dass ihr mir das Herz aus dem Leibe würdet „gegeben haben." Nam ipse Paullus germanice ac nostro tempore sine dubio ita dixisset. Isthanc quidem artem tropos apte commutandi inter interpretes Germanos nemo est, qui magis calleat Wielando. Ejus igitur versiones cum alias ob caussas, tum inprimis hoc nomine prae aliis omnibus maxime sunt commendandae.

Interdum vero, quae ad verbum conversa linguae usus maximopere aversatur, lenissima mutatione reddi sic possunt, ut et idem tropus retineatur, neque tamen loquendi usus deseratur, ut quum verbi caussa pro eo vocabulo, quo usus est scriptor, verbum substituas conjugatum. Paullus Philemoni Onesimum servum fugitivum commendans, praeter alia his verbis utitur vs. 20. *Ναὶ ἀδελφέ, ἐγώ σου ὀναίμην ἐν κυρίῳ.* Nempe Graeci *ὀνήσασθαί τινος* vel de homine vel de re dicunt, pro *ὠφεληθῆναι*, *frui* h. e. *fructum s. utilitatem capere e quo.* Sed nostra versio illa ad verbum sic reddens: „Ja Bru-

„der, lass mich dein im Herrn geniessen," id dicit, quod Germanus lector haud intelligat. Bahrdtius vero hunc scopulum vitans, adhaesit alii. Etenim ita vertens: „Ja mein liebster, erzeige mir diese Gefälligkeit," sensum quidem expressit, sed sine tropo, qui tamen satis Germanice verbo conjugato sic reddi potuit: „Nun „denn lieber Bruder! verschaffe mir um unsers Herrn „willen diesen Genuss."

Caeterum qui tropi aut vocabula interpreti iisdem reddenda, quae cum similibus aut adfinibus permutanda sint, non cujusvis est intelligere. Ea enim res sensum omnino subtilem, et judicium haud vulgare requirit, ne verborum sono decepti ea confundamus, quae, quamvis idem fere dicere videantur, tamen aliam alio tempore habent vel significationem, vel certe dignationem. Ita Graecum nomen Πάππας vox est infantium patrem blandiori vocabulo compellantium, atque hactenus ei convenit cum recentiorum linguarum vocabulo „Papa." Sed in eo differunt, quod Graecum recte ubivis dicitur, nostrum autem non fert nisi sermonis quotidiani et familiaris consuetudo. Itaque in Theophrasti Charactere, qui inscribitur περὶ λαλιᾶς, illa verba, quae in fine notationis leguntur: Πάππα, λάλει τι ἡμῖν, ὅπως ἂν ἡμᾶς ὕπνος λάβῃ, sic reddenda putavi: „Papa, so erzähle uns doch was, damit wir darüber „einschlafen." Sed apud Homerum Od. VI. 57. ubi Nausicaa ita patrem adloquitur:

Πάππα φίλ', οὐκ ἂν δή μοι ἐφοπλίσσειας ἀπήνην;

minus perite, me quidem judice, Dammius atque Vossius sic vertunt:

„Lieber Papa, lass mir doch einen Wagen bespannen."

Nam nostro quidem more vocabulum istud carminis epici dignitas plane respuit. Eamdem reprehensionem incurrunt multi, qui vel proverbia, vel jurandi formulas sive ad verbum vertentes, sive cum aliis commutan-

tes non satis expenderunt, quantopere ea, quae cum verbis tum sensu simillima videntur, saepe tamen dignatione discrepent. Bahrdtius in versione Taciti, quoties fere *Hercle!* legitur, Gedickius in Platonis Critone similem formulam *νὴ Δία* uterque Germanice vertunt „bey Gott." Equidem hic nullam video ab his nominibus discedendi necessitatem, neque intelligo, cur non recte quis vertat „beym Herkules, beym Zeus!" Sed si quis malit aliam his, quibus usi sunt Tacitus atque Plato, formulam substituere, aliam certe, quam isti interpretes secuti sunt, adhibere debet dilectum. Nam apud nos quidem hac formula haud facile quisquam utetur, nisi homo plebejus; in caeteris vix habet excusationem sub ira, aut alia vehementiori animi commotione. Male etiam Vossius Socratis juramentum apud Platonem *Apol. S. c. 7.* *νὴ τὸν κύνα, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι,* sic vertit: „Aber beym Hunde! ihr Bürger Athens!" Quod imperitius an intemperantius fecerit, vix dixerim. Socratem quidem hic per Anubim Aegyptiorum deum, qui cum canino capite pingitur, jurare plenior docet formula, quae in Platonis *Gorgia* Ed. Heindorf. §. 85. hunc in modum legitur: *μὰ τὸν κύνα τὸν Αἰγυπτίων θεόν.* Sed sive illum simpliciter per *canem* jurasse, certe interpres Germanus hoc juramentum cum quovis alio debuit commutare. Nam apud veteres longe aliam hoc animal habuit dignationem, ut homines vel dignitate vel virtute eminentes haud refugerent cum eo comparationem. Nostris vero moribus vix aliud majus habetur convicium. Itaque neque ego interpretes possum probare illos, qui ea, quae Paulus ad *Philipp. III.* 2. de falsis doctoribus dicit: *Βλέπετε τοὺς κύνας,* ad verbum sic reddiderunt: „Hüthet euch vor jenen Hunden," ut Stolzius. Nam etsi apostolum homines istos propter impudentiam canes per contumeliam vocare non dubium est, tamen minimam partem ejus contumeliae cogitavit, quam recentior aetas cum isthoc nomine solet conjun-

gere. Itaque tropus hic molliendus est, vel commutatione, vel, si id fieri non possit, verborum proprietate. Bahrdtius quidem id sentiens tropum retinere studuit, sed id quod in eo nimium est, ita tolli posse putavit, si pro substantivo vocabulum redderet ei conveniens. Sic autem vertit: „Hüthet euch vor jenen beissigen, nur „aus Eigennutz arbeitenden Verstümmlern!“ Sed tamen conatu excidit. Nam primum Paullus doctores istos non propter mordacitatem, id est malitiosam nocendi libidinem, sed propter impudentem arrogantiam canes vocat, adeoque versio Bahrdtiana ab ipso sensu aberrat. Deinde ipsum vocabulum „beissig“ tropice usurpatum ex usu loquendi humilitatem habet plebejam, cujus nihil inest in vocabulo Graeco. Rectius haec, misso tropo, auctor anonymus versionis a Tellero editae sic reddit: „Hüthet euch vor jenen unverschäm-„ten Betrügern!“

Gravius etiam offendit idem Bahrdtius in commutando tropo imperito dilectu. Illa dico, quae Paullus II. ad *Cor.* *XI.* 20. scribit: *Ἀνέχεσθε*, inquit, *εἴ τις ὑμᾶς εἰς πρόσωπον δέρει*. Hic sine dubio, qui illa ad verbum reddunt, „Ihr lasset euch geduldig in's Antlitz schlagen,“ non omnem tropi ignominiam exhauriunt. Neque satis placet versio Stolziana: „Ihr vertraget es, wenn man „euch wohl gar auf den Mund schlägt“. Scilicet id significat Paullus, quod Graeci dicebant *τύπτειν ἐπὶ κόρρης*, h. e. *expansa manu alapam maxillae infligere*, quae plaga omnium maxime habebatur ignominiosa. Vid. Plat. *Gorg.* Ed. Heindorf. pag. 134. Sed modum excedit Bahrdtius cum sensu ignominiae sermonis ταπεινότητα conjungens, qua Graeca verba prorsus carent. Etenim ejus versio sic habet: „Ihr lasset euch von ihnen gedul-„dig genug auf der Nase herumdrommeln.“ Quae, si verbum modo melius legeret, optime sic reddere poterat: „Ihr lafst euch von ihnen geduldig auf der Nase „spielen,“ quemadmodum reddidit ille, quem modo

laudavi, interpres Telleri anonymus. Nam quod Bahrdtius dedit, ut dixi, humilitatem habet plebejam, hoc vero scriptor politissimus quisque dixerit. — Alia est ratio eorum locorum, in quibus vel ex persona dicentis, vel ex aliorum sermone non sine dilectu verbum humile adhibetur. Ibi nihil molliendum est interpreti vocabulorum lenitate, sed verbum non minus humile reddendum. Ergo quod *Matth. V*, 22. legitur, Ὃς ἂν εἴπῃ τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ ῥακὰ etc., quoniam hebraicum vel chaldaicum nomen ῥακὰ significat hominem vilem et contemtum, quem Graeci fere κατάπτυστον, vel κάθαρμα dicebant, adeoque in convicio habebatur, quaerendum est interpreti simile vocabulum, neque ejus vocabuli vis inani circumlocutione diluenda, ut Bahrdtius fecit, nunc quidem intempestive nauseans, cujus versio sic habet: „Wer seinen heimlichen Groll auch äusserlich zu erkennen gibt, durch verächtliche Begegnungen und dergleichen," etc. Mihi quidem nulla religio fuerit ista sic convertere: „Wer irgend einen Menschen, auf den er nicht Ursache hat ungehalten zu seyn, einen Schuft nennt," etc. quamvis multi fortasse fuerint, sed artis interpretandi arbitri minime illi peritissimi, quibus id parum probetur.

Hactenus diximus, quomodo in singulis verbis, sine aliquo sensus detrimento, convertendis sit versandum. Addemus pauca de integris sententiis. In his igitur non tam linguae ratio et loquendi usus spectatur, qui nunquam est deserendus, quam indoles aetatis moresque et opiniones cuique tempori aut populo singulares: a quibus discedendum interpreti non est, nisi inde aut sensus perversio nascatur, aut intelligendi difficultas. Ergo quando Christus *Matth. XVI.* 24. illa dicit: Εἴ τις θέλει ὀπίσω μου ἐλθεῖν, ἀράτω τὸν σταυρὸν αὐτοῦ καὶ ἀκολουθείτω μοι, non est ut interpres refugiat haec ad verbum reddere. Quamvis enim *crucem in se suscipere* non sit domestica nobis loquendi formula, sed

e libris sacris in sermonem quotidianum inlata, tamen neque sermo Germanus illam respuit, et facilem habet intellectum. Itaque caussa justa non erat, cur Bahrdtius in his paraphrastam potius quam interpretem ageret, sic vertens: „Wer ein wahrer Nachfolger von mir „seyn will, der muſs alle die Unbequemlichkeiten willig „übernehmen, welche die Wahrheit ihren Bekennern „und Freunden zuzieht: kurz er muſs eben die sauern „Wege betreten, die ich gegangen bin, und noch gehen „werde." Eodem modo I. ad *Thess. II.* 18. ubi Paullus haec scribit: *Ἠθελήσαμεν ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς (ἐγὼ μὲν Παῦλος) καὶ ἅπαξ καὶ δὶς, καὶ ἐνέκοψεν ἡμᾶς ὁ Σατανᾶς,* quamvis nemo hodie, nisi superstitiosus, Satanam ipsum Paulli iter impedivisse crediderit, tamen, quoniam haec ex Iudaeorum opinione dicuntur, atque intellectum habent facilem, ad verbum omnino interpreti sunt reddenda. Ergo neque hic probari potest versio Bahrdtiana loci sensum ad nostrae aetatis morem ita refingens: „Mehr als ein Mahl bin ich für meine Person im Begriff „gewesen zu euch zu kommen: allein es war immer, „als wenn ein böser Geist sein Spiel dabey gehabt hätte. „Bald muſste dieſs, bald jenes dazwischen kommen." Neque magis placet multorum interpretum meticulosa prudentia, qui in illis, quae leguntur *I. Petr. V.* 8. *ὁ ἀντίδικος ὑμῶν διάβολος ὡς λέων ὠρυόμενος περιπατεῖ, ζητῶν τίνα καταπίῃ,* aetatis nostrae sensui id gratificantes, diabolum non Satanam, sed homines calumniatores et rei Christianae inimicos esse malunt, ut Stolzius ita vertens: „Der euch anfeindende Verläumder geht, wie „ein hungriger Löwe, auf Raub aus etc."

In locis autem illis, quae ad verbum conversa aut intellectum difficilem habent, aut sensum etiam perversum offerunt, videndum est, an scriptor sententiam simpliciter exprimere voluerit, an verborum aliquod pondus et orationis *δεινότητα* spectaverit, vel a troporum dilectu, vel a descriptione rem ad vivum adumbrante,

Posterioris generis omnia interpres prorsus vertere debet; sed ut intelligendi difficultas tollatur, aut sensus perversio caveatur, simul erit versio brevi admonitione illustranda. In illa igitur portentorum enarratione, quae legitur vel apud *Matth.* XXIV. 29 seqq. vel *Act.* II. 19. non a verbis discedet interpres; sed monebit, non haec proprie intelligenda esse, sed stylo prophetico ingentes rerum conversiones cum diversis calamitatibus conjunctas significari. Eodem modo quae Christus apud *Matth.* XX. 22. filiis Zebedaei ad intempestivam illam rogationem respondet: Δύνασθε πιεῖν τὸ ποτήριον, ὃ ἐγὼ μέλλω πίνειν, καὶ τὸ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθῆναι; nolim ab interprete extenuari verborum proprietate. Sed de tropo tamen breviter monendus erit lector, ut intelligat, *poculum bibere* nihil aliud esse, quam ingrata et adversa tolerare, *baptismate baptizari*, calamitatibus obrui ac velut immergi. — At si scriptor tantum usus fuit formula quotidiano sermone trita, neque id spectavit, ut rem gravius aut signatius diceret, sique versio ad verbum instituta sensum non modo obscuraret, sed perverteret, tum rectius fecerit, qui, omissa verborum significatione, sensum tantum verbis claris propriisque reddiderit.

Ex hoc genere est formula illa καθίζειν ἐκ δεξιῶν τινος; qua veteres populi orientis designare solebant proximum a rege honoris et potentiae locum. Nam principi primus administer ad dexteram, secundus ad sinistram adsidebat. Nostris contra ex moribus *ad dextram sedere* superioris dignitatis signum habetur. Itaque hanc formulam de Christo legentes saepe, non modo vulgus, sed interdum etiam, qui se doctos haberi volunt, ita intelligunt, ac si deus Christum sibi non modo parem, sed superiorem fecisset, quo quid absurdius cogitari possit? Recte igitur nunc quidem Bahrdtius illum de poculo et baptismate locum ad verbum vertens, illa quae paullo ante leguntur, Εἰπὲ, ἵνα καθίσωσιν οὗτοι

οἱ δύο υἱοί μου, εἷς ἐκ δεξιῶν σου, καὶ εἷς ἐξ εὐωνύμων ἐν τῇ βασιλείᾳ σου, sensum tantum exprimens sic reddit: „Versprich mir doch, dafs diese meine beyden Söhne dereinst in deinem Reiche die obersten Stellen bekleiden „sollen."

Tertium versionis munus hoc esse dixi, ut universum orationis colorem, et nativum scriptoris habitum et characterem referat. In hac re duo spectantur, quorum alterum scriptori proprium est, alterum commune cum ipsius aetate atque gente. Quamquam autem, qui singulas sententias earumque formam apte reddiderit, is etiam haec quodam modo expressisse censendus sit, tamen praeterea est aliquid, unde exsistit quidam scriptoris habitus atque color per omnem fusus aequabiliter orationem, quod quale sit, facilius sentiri potest, quam verbis comprehendi. Quemadmodum enim in imagine picta, quamvis singula lineamenta satis fideliter sint adumbrata, tamen totius oris atque vultus possis desiderare veritatem; sic in versione saepe, licet in singulis sententiis vix aliquid reperias, quod reprehendas, tamen in totius operis summa fuerit aliquid, quod ad perfectam similitudinem requiras.

Atque de eo quidem, quod scriptori proprium est, aliquatenus fortasse facilius est judicium. Hoc enim continetur is, qui cujusque dicitur scriptoris stylus. Hic quoniam alius aliis orationis sive virtutibus sive vitiis insignis habetur, alius brevis est et concisus, alius sermonis copia atque orationis flumine spectatur, alius sententiarum pondere aut acumine gaudet, alius gravis est, alius incitatus, et quae sunt hujus generis alia, quodvis sermonis atque styli genus cuique singulare imitando effingere boni interpretis censetur. Quoniam igitur aliter Cicero scripsit, aliter Seneca, aliter Livius, aliter Tacitus, itemque inter scriptores sacros Matthaeus a Luca, Paullus ab Joanne differunt, eam quoque scribendi diversitatem cujusque versio referre debet. Quod

quamquam in promtu videtur, tamen non ita facile esse experiundo cognoscitur propter ingeniorum diversitatem. Nam et interpres suam habet quisque indolem et characterem, quem in vertendo ponere, atque ad alterius naturam sese conformare cum eximiae solertiae est, tum ingenium requirit ad omnia versatile. Itaque ab hac parte interpretes saepe graviter delinquunt ii, quorum in vulgus praestantia valde celebratur. Garvius quidem Ciceronem de officiis, si singulas sententias spectes, satis ille probabiliter vertit, at nihilominus in opere universo ab styli Ciceroniani indole atque forma aberravit. Nam neque gravitatem neque dignitatem scriptoris est adsecutus. Orationis autem elegantia et sermonis nitor cum sententiarum verborumque concinnitate plane perit; atque in toto opere inest frigus quoddam, ut hoc utar, dogmaticum, ut jam non consulem Romanum te legere putes, verum philosophum quemdam scholasticum e Leibnitii disciplina prodeuntem. E multis locis unum exempli caussa proferam e L. I. C. 40. ubi Cicero, „Illa est *εὐταξία*, inquit, in qua intelligitur „ordinis conservatio. Itaque ut eamdem nos modestiam „adpellemus, sic definitur a Stoicis, ut modestia sit scien„tia earum rerum, quae agentur aut dicentur, loco suo „collocandarum. Ita videtur eadem vis ordinis et col„locationis fore.“ Haec igitur ita vertentem Garvium quis ferat? „Dieses Wort hat zweyerley Bedeutungen. „Nach der erstern, in der ich es hier nicht nehme, kann „es im Lateinischen durch modestia, im Teutschen „durch Bescheidenheit in seiner alten Bedeutung aus„gedrückt werden: weil dieses Wort von *bescheiden*, „*bestimmen*, *einschränken* herkömmt, und ursprüng„lich so viel hiess, als eine gewisse Einschränkung der „Begierden. Nach der zweyten heisst *εὐταξία* so viel „als bey uns die Ordnung, welche Idee auch zuweilen „unter dem Wort modestia mit begriffen wird. In „dieser letztern Bedeutung wird es von den Stoikern so

„erklärt: daſs es die Wissenschaft sey, alle Sachen, wel-
„che man thut, oder sagt, an ihren gehörigen Ort zu
„stellen. Die Ordnung scheint also eine gewisse Art
„des Nebeneinanderseyns, oder die Folge in den Dingen
„zu seyn."

Alterum e duobus illis, quae scriptoris characterem constituunt, ipsi commune esse dixi cum aetate atque gente. Etenim singulae aetates, singulaeque gentes non modo ritibus, moribus et opinionibus, aliae ab aliis differunt, sed omnino in tota cogitandi ac disserendi ratione quaevis cum aetas, tum gens propriam habet atque singularem idearum conformationem. Eam quidem tantum abest ut tollere aut commutare interpres debeat, ut potius summa cum religione sit servanda. Qui secus agit, rem facit peritissimi cujusvis judicis arbitrio maxime perversam. Quod autem recte dicitur, linguarum indolem in vertendo esse servandam, id non nisi hanc vim habet, ut scriptor quisque in aliam linguam transferendus sit ita, velut si hoc sermone scripsisset, non quasi hac aetate aut hoc in populo vixisset. Ergo quaecunque scriptor ex suae aetatis indole cogitavit, atque ex suae linguae proprietate scripsit, ea in aliam linguam converti sic debent, ut cogitandi modus servetur, linguae proprietas commutetur. Verum haec duo maxime diversa interpretes saepe caeterum satis probabiles confundunt, atque hinc in errores incidunt ita non nunquam turpes, ut necesse sit peritum atque intelligentem quemvis judicem illos propter insolentiam fastidire. Quis non miretur Stolbergium illa Platonis verba in Symposio haud procul ab initio: "Ἀλλ' ἡμᾶς, ὦ παῖδες, τοὺς ἄλλους ἑστιᾶτε· πάντως παρατίθετε, ὅ, τι ἂν βούλησθε;" Germanice sic reddentem? „Nun Bursche besorget den „Schmauſs, und setzet uns vor was, und wie es euch gelüstet." Certe hic neque Platonis, neque Graeci cujusquam καλοῦ κἀγαθοῦ; sed comitis alicujus aut nobilis Germani ad servos est sermo. Non lenius, quamvis

diverso modo peccat Bahrdtius ille Taciti *Annal. I.* 5. verba, *Exstincto Maximo, dubium an quaesita morte*, sic reddens: „Nach dem, soll ich sagen, gewaltsamen? „Tode des Maximus." Nam ista tam elegans dubitatio a Taciti gravitate aliena, prorsus recentiorum temporum sapit urbanitatem. Atque haec quoque una omnium maxima labes est versionis librorum sacrorum Bahrdtianae. Qui quamquam singulorum locorum sensum et acutius vidit quam alii multi, atque etiam saepe melius expressit, tamen in libris praesertim historicis ab aetatis indole et personarum charactere saepenumero quam longissime aberrat. Quod si ille res ex sua persona iisdem verbis referret, in plerisque non modo non reprehendendus videri posset, sed etiam laudandus. Sed quum scriptores sacros ipsumque Christum facit loquentes, eo sermone uti debebat, qui esset hujus dignitati et illorum indoctae simplicitati consentaneus. Atqui ille multis in locis et notiones rerum atque sensus iis tribuit, ab ejus aetatis incultu maxime abhorrentes, et orationem fingit talem, qualem elegantulus aliquis nostrae aetatis homo haud abnueret. Cujus rei fidem abunde facient loca ex infinitis pauca, quae adferam. Quae igitur Christus *Matth. V.* 4. dicit; *Μακάριοι οἱ πενθοῦντες, ὅτι αὐτοὶ παρακληθήσονται*, ea ille sic reddit: „Wohl denen, welche die süfsen Melancholien der Tu„gend den rauschenden Freuden des Lasters vorziehen: „sie werden reichlich dafür getröstet werden." Porro VII. 28. *Καὶ ἐγένετο ὅτε συνετέλεσεν ὁ Ἰησοῦς τοὺς λόγους τούτους, ἐξεπλήσσοντο οἱ ὄχλοι ἐπὶ τῇ διδαχῇ αὐτοῦ.* „Als „Jesus seine Rede beschlofs, bezeugte jedermann seine „Bewunderung und Erstaunen über die gründliche und „nachdrucksvolle Schönheit seines Vortrags, welche al„les, was sie von ihren Lehrern zu vernehmen gewohnt „waren, weit hinter sich zurück liefs." Proximo capite vs. 5 seqq. „Bald darauf, da er nach Kapernaum „ging, und schon fast am Thore war, bat ihn ein Rö-

„mischer Hauptmann, dafs er seinen Knecht, den eine „starke Gliederlähmung in den betrübtesten Zustand „versetzt hatte, gesund machen möchte. Jesus erboth „sich sogleich zu kommen, und die Heilung zu ver- „richten. Allein der Römer verbath sich diese Ehre, „weil er sich derselben viel zu unwürdig fände. Er sey „versichert, dafs Jesus durch ein einziges Wort eben „so wirksam der Krankheit würde gebiethen können, „als er es über seine untergebenen Soldaten vermögend „wäre." — Sed neque aliis in locis deest verborum pondus et orationis *δεινότης*, recentiorum temporum rusticitatem potius quam urbanitatem redolens, ut *Luc. XI.* 37 seqq. „Als ihn hierauf ein Pharisäer zu Tische „lud, fügte sich's, dafs ihm bey der Mahlzeit von dem- „selben Pharisäer der Vorwurf gemacht wurde, dafs er „sich nicht vorher nach ihrer Gewohnheit gewaschen „hatte: worauf Jesus ihm zur Antwort gab, es sey frey- „lich bey ihnen jetzt herrschende Sitte, nur auf äusser- „liche Reinigkeit, z. B. der Becher und Schüsseln, zu se- „hen, wenn sie gleich inwendig damit angefüllt wären, „was sie andern entwendet, und mit Unrecht an sich „gebracht hätten. Aber glaubet denn ihr Narren, setz- „te er hinzu, dafs die äussere Reinigkeit auch die innre „ausmache."

§. 5.

Ex iis, quae hactenus a nobis sunt disputata, intelligitur, verissimum esse illud, quod Ernestus dicit, interpretem librorum N. T. probabilem neminem esse posse, nisi qui sit trium linguarum, hebraicae, bene Graecae, atque ejus qua usurus sit in vertendo bene peritus. De Graeca quidem lingua res per se clara est. Hebraicae autem peritia, certe hebraismorum intelligentia, ideo necessaria est interpreti, quod scriptores sacri sermone utuntur non bene graeco, sed hellenistico; id est, verbis quidem utuntur Graecis, sed idiomate hebraico,

ad quod cognoscendum, praeter ipsius linguae hebraicae scientiam, usus scriptorum hellenisticorum, atque inprimis versionis Alexandrinae plurimum adfert adjumenti. Atque his quidem interpres indiget ad intelligendum. Sed ut bene intellecta recte possit exprimere, praeterea opus est ipsi ejus linguae, qua in vertendo utitur, scientia non mediocri ac pervulgata. Neque tamen his solis res tota conficitur. Accedat enim oportet et judicium rectum, et sensus elegantiae optimorum cum scriptorum, tum in primis interpretum diligenti lectione formatus atque perpolitus. Quo quidem destitutus, quamvis linguarum peritus, rem perversissime aget. Reiskius atque Dammius viri fuerunt uterque Graece doctissimi, neque ignari sane sermonis patrii. At ille Demosthenem, hic Homerum atque Pindarum sic convertit, ut eorum lectionem nemo perferre possit elegantior. Henricus autem Vossius sermonis cum Graeci, tum latini atque patrii perinde intelligens et Homerum et Virgilium Germanice sic fecit loquentes, ut lector Germanus vix intelligat, eruditus nemo probet. Contra Wielandus linguarum Graecae ac Latinae doctam scientiam concedens multis vertendi solertia ac calliditate vincit omnes.

§. 6.

Quod supra dixit Ernestus §. 4. „Si linguarum „usus haud consentiat, verba scriptoris deserenda, id „est pro significatione sensum reddendum esse,“ id non unam habet cautionem. Primum igitur, si verba scriptoris cum rebus ipsis, aut cum genere argumentandi conjuncta sic sint, ut iis commutatis aut sensus aut argumentatio pereat, quamvis dissentiente usu linguae, etymologia tamen est servanda, modo id, quod dicitur, possit intelligi. Nam in omni interpretatione primas partes sibi sensus vindicat, usus autem loquendi nonnisi ita servandus est, ut illo servato neque pervertatur

sensus, neque obscuretur. Exemplo sint ea, quae Paullus scribit ad *Galatas IV.* 21. Λέγετέ μοι οἱ ὑπὸ νόμον θέλοντες εἶναι, τὸν νόμον οὐκ ἀκούετε; His verbis Paullus incommodo urget doctores judaizantes, qui Christianos quoque lege Mosis obligari volebant. Eos igitur in iis, quae sequuntur, refutare conatur loco aliquo librorum Mosaicorum, quos libros τὸν νόμον ex usu loquendi scriptorum sacrorum adpellat. Ergo τὸν νόμον hoc et similibus locis, si ex usu nostri sermonis vertere velis, non vertas „das Gesetz," verum „die heiligen Bücher „der Juden." Atque sic reddit interpres anonymus a Tellero editus: „Sagt mir, die ihr durchaus euch dem „Jüdischen Gesetz unterwerfen wollt, kennet ihr nicht „eure Religionsbücher?" nunc quidem praeter rem tenax usus loquendi. Nam non sine dilectu hic Paullus vocabulo νόμος per antithesin utitur, istos homines, quemadmodum dixi, incommodo urgens, eo quod legem tanto opere commendantes ipsi legem aspernentur. Itaque ad verbum haec ita vertenda sunt: „Sagt mir, die „ihr unter dem Gesetze stehen wollet, habet ihr denn „vergessen, was eben dieses Gesetz sagt?" — Eadem ratio ejusdem vocabuli est Cap. II. 19. ubi Paullus, Ἐγὼ γάρ, inquit, διὰ νόμου νόμῳ ἀπέθανον. Hic posteriori loco ὁ νόμος significat legem Mosaicam, priori doctrinam Christi, quam Paullus non sine dilectu adpellat νόμον, nomine Judaeis et Christianis judaizantibus grato. Sed ejus oppositionis gratia prorsus evanescit, si ex usu linguae nostrae sic reddas: „Ich bin durch die Religion „Christi dem Mosaischen Gesetz abgestorben." Paullo quidem melius Bahrdtius: „Ich bin durch eine Religion „der andern gleichsam entstorben." Sed optime tamen etymologiam servans ita reddideris: „Ich bin durch das „spätere Gesetz dem frühern abgestorben." Atque hoc etiam valet de loco simillimo ad *Rom. III.* 27. Ποῦ οὖν ἡ καύχησις; ἐξεκλείσθη. Διὰ ποίου νόμου; τῶν ἔργων; οὐχί· ἀλλὰ διὰ νόμου πίστεως. Quae et verbosius et minus

perite sic reddit Bahrdtius: „Es hat also kein Mensch „Ursache auf gewisse Vorrechte stolz zu seyn: denn Gott „selbst hat diesen Stolz zernichtet: gewiss nicht durch „jenes Taglöhnergesetz (denn dieses hat ihn vielmehr „genährt), sondern durch diejenige Religion, welche den „Glauben zur Bedingung der Seligkeit macht.“ Atqui haec proxime ad verba recte sic reddi poterant. „Und „wo bleibt nun der Stolz auf eigne Gerechtigkeit? Ihm „ist ein Ziel gesetzt. Und wodurch? Durch das Gesetz „der Werke? Nicht doch: Durch das Gesetz des Glau- „bens.“

§. 7.

Secundam caussam usus linguarum deserendi Ernestus adferre dicit *acumina antithetorum.* E quo genere primum *πλοκὴν* commemorans laudat *Matth. VIII.* 22. Ejus figurae, quam alii vel *ἀντανάκλασιν*, vel *διλογίαν* vocant, haec ratio est, ut idem verbum in eadem oratione, sed diverso sensu repetatur. Hujusmodi est illud, quod de Proculejo referunt Quinctilianus atque Rutilius Lupus. Is quum de filio quereretur, quod is mortem suam *exspectaret,* et ille dixisset, *se vero non exspectare,* pater, *immo,* inquit, *rogo exspectes.* Hoc igitur Germanice converti ad verbum potest, consentiente linguarum usu. At saepe ea facultas non datur. Nihilo tamen secius idem verbum erit servandum. Aliter si feceris, aut sensus exsistet frigidus, aut certe cum acumine orationis vis tota frangetur. Ex hoc genere est illud exemplum, quod ex *Matth. VIII.* 22. Ernestus adfert. Ibi quum aliquis Christo se discipulum adfuturum dixisset, ubi prius patrem sepelierit, ei Christus ita respondet: *Ἀκολούθει μοι, καὶ ἄφες τοὺς νεκροὺς θάψαι τοὺς ἑαυτῶν νεκρούς.* Hic priori loco *νεκροὶ* per hebraismum dicuntur homines, qui hujus vitae curis impediti graviorem animi curam negligunt. Vid. *Rom. VI.* 13. *Colass. II.* 13. Id quidem monere commentatoris est: verum interpreti ab ipsis verbis discedere mi-

nime licet. His enim immutatis simul acumen sententiae tollitur. Male igitur et haec, ut tam multa, Bahrdtius: „Aber Jesus sprach: Wolltest du mir nachfolgen, „so müſstest du es thun ohne allen Aufschub, und das „Begraben denen überlassen, denen es gehört.“ Neque melius illi successit versio loci, quem item laudat Ernestus e *Joann. I.* 10. *Ἐν τῷ κόσμῳ ἦν, καὶ ὁ κόσμος δι' αὐτοῦ ἐγένετο· καὶ ὁ κόσμος αὐτὸν οὐκ ἔγνω.* Hic item postremo loco *ὁ κόσμος* ex usu hellenistico significat partem generis humani, ac potissimum Judaeos. Sed si vocabulum mutaveris, illud quod maxime admirationem facit ex idearum contentione, prorsus tollitur. Quod versio Bahrdtiana, quamquam cavere studens, tamen evitare haud potuit. Ejus autem haec est sententia: „Er „erschien in sichtbarer Gestalt auf der Welt. Er lebte „mitten unter den Menschen. Aber diese, gleichsam „mit ihrem Schöpfer unbekannt, wollten ihn nicht kennen.“ Tu sic verte: „Er kam in die Welt, hatte die „Welt geschaffen, und ward von der Welt miſskannt.“

Hujusmodi dilogiam Petrus habet I. III. 1. quae interpretes omnes fefellit. Ejus autem verba haec sunt. *Ὁμοίως αἱ γυναῖκες ὑποτασσόμεναι τοῖς ἰδίοις ἀνδράσιν, ἵνα καὶ εἴ τινες ἀπειθοῦσι τῷ λόγῳ, διὰ τῆς τῶν γυναικῶν ἀναστροφῆς ἄνευ λόγου κερδηθήσονται.* Hic igitur apostolus jubet feminas Christianas maritos non Christianos habentes, his esse in rebus omnibus morigeras, nimirum sperans futurum, ut hac earum modestia ac morum facilitate conjuges doctrinae Christi melius quam ulla vel praeceptione vel admonitione concilientur. Itaque in hac formula, *τῷ λόγῳ ἄνευ λόγου κερδηθῆναι,* dilogia inest, quae facit oxymoron, id est sententiam acutam, quae primum intuenti ob repugnantiam absurda visa, intellecta deinde ipso acumine delectat. Ejus rei, quemadmodum dixi, commentatores atque interpretes nihil viderunt. Neque vero facile est, hoc vertendo exprimere. Nam iisdem plane ver-

bis reddi non potest. Haud tamen, puto, prorsus aberrabimus locum sic convertentes: „Ihr Gattinnen, erweiset euern Gatten die gebührende Achtung, damit „auch diejenigen aus ihnen, welche der Lehre noch abhold sind, ohne Belehrung, blofs durch das Betragen „ihrer Gattinnen für dieselbe gewonnen werden.“

Aliam Ernestus figuram commemorat, quae παρονομασία vocatur. Ea figura, vel addita, vel demta, vel mutata, vel transposita alicujus verbi aut syllaba aut littera, lusum facit non ingratum. Tale est quod Aeschines Ed. Reisk. p. 470. de Demosthene legatione in Macedonia functo dicit: οὐ γὰρ τὸν τρόπον, ἀλλὰ τὸν τόπον μόνον μετήλλαξε, idemque p. 490. ὧν τὰ σώματα οὐχ ἑώρακε, τούτων τὰ ὀνόματα λέγει. Tale etiam quod Cicero *de off. III.* 14. de Canio habet, illum *otiandi*, non *negotiandi* caussa Syracusas concessisse, quodque idem Epist. ad *Attic. I.* 13. de Pisone dicit: „Consul ipse *parvo* animo et *pravo* — *facie* magis quam *facetiis* ridiculus.“ Atqui hic, ubi exempla quaeruntur ejusmodi, in quibus interpres, vel dissentiente usu linguarum, retinere debet vocabula, quae verbis, quibus usus sit scriptor, etymologia respondeant, alieno loco mentio fit hujus figurae. Usus enim linguae verborum significatione censetur, at paronomasia eorumdem externa similitudine sive sono spectatur. Ea reddi adcurate in alia lingua tum demum potest, quum duo vocabula exstant sibi sono similia, significatione autem iis, quae convertenda sunt, respondentia. Sed quoniam ea facultas raro datur, saepissime verba, quae significatione maxime respondent, commutanda sunt cum aliis utcumque sensu adfinibus aut cognatis. Quod si ita fit, non verba contra usum loquendi retinentur, adeoque istius figurae commemoratio hujus loci non erat. Facta tamen ejus mentione etiam de illa dicemus, tanto magis quod in his recte versari et subtilis judicii, atque artis est haud vulgaris.

Primum igitur si, quod rarius fit, ea ipsa verba, quae verbis scriptoris significatione satis respondent, etiam sono haud multum ab se discrepent, tum expedita est ratio vertendi. Tale est illud, quod Cicero de *divin. II.* 37. de rege Dejotaro dicit: „Caesarem eodem tempore *hostem* et *hospitem* vidit.“ Quae cum minima mutatione, ac paene nulla Germanice verti possunt: nam vocabula *hostis* et *hospes* formam non magis similem habent, quam nostra „Freund und Feind.“ Itaque ad verbum sic reddas: „Er erblickte in Caesar zu „gleicher Zeit *Freund* und *Feind.*“ Similiter apud Plat. *Euthyd.* 80. καὶ γὰρ ἔχει οὗτος ὁ λόγος εὐπρέπειαν μᾶλλον ἢ ἀλήθειαν, tu verte: „Diese Rede hat mehr Schein als „Seyn.“ Sed quemadmodum dixi, non facile haec obvia sunt, verum exempli rarissimi.

Nullum autem frequentius genus est paronomasiae eo, quod verba composita aut cum aliis, aut cum simplicibus contendit. Id, quoniam omnis fere lingua verba composita habet similia, plerumque converti facile potest. Ita paronomasiam illam, quam Paullus II. ad *Cor. IV.* 8. in his verbis habet: ἀπορούμενοι, ἀλλ᾽ οὐκ ἐξαπορούμενοι, ab interpretibus vulgo neglectam, *satis*, *opinor*, bene sic reddas: „Ich zweifle oft an meiner Ret„tung, und verzweifle doch nie.“ Sic etiam *lusus ille* verborum, quem in περιτομὴ et κατατομὴ habet Paullus *Philipp. III.* 2. 3. satis commode ad verbum sic reddideris: „Hüthet euch vor der Verschneidung, denn die „Beschnittenen sind wir.“ Bahrdtius quidem, neglecta prorsus paronomasia, supra modum languide sic vertit: „Hüthet euch vor jenen Verstümmlern! ihr seyd „schon beschnitten.“ Est autem, ubi idem verbum propter aliquam significationis discrepantiam servari nequeat. In talibus locis fortasse vocabulum conjugatum commode possit substitui. Ut in illis quae leguntur ad *Rom. II.* 1. Ἐν ᾧ κρίνεις τὸν ἕτερον, σεαυτὸν κατακρίνεις. Quae si ad verbum reddas: „Indem du über

„einen andern urtheilest, verurtheilest du dich selber,“ ipsa quidem paronomasia redditur, sed non sine aliquo sensus detrimento, quoniam *κρίνειν* hic a *κατακρίνειν* non differt, atque aliud est *judicare de quo*, aliud *condemnare quem.* Contra si cum plerisque sic vertas: „Indem du andre richtest, verdammest du dich selbst,“ sensui quidem consulitur, sed paronomasiae perit venustas. Quae, si non tota, at certe aliquo modo salvo sensu servatur, in verbi locum vocabulo conjugato substituendo, ita scilicet: „Indem du einen andern verur„theilest, so sprichst du dir selbst das Urtheil.“

Nec vero sicubi paronomasia reddi non possit in alia lingua, erit illa interpreti ideo statim negligenda. Nam fortasse in ejus locum substitui poterit antitheton aliquod, vel argute dictum, quod non minus placeat, quoque illa ipsa quodam modo figura compensetur. Atque in hujusmodi maxime locis vertendis interpretis solertia cernitur. In iis quae Socrates apud Platonem in *Hipp. maj.* §. 48. dicit: *Ἡμεῖς γὰρ, ὦ βέλτιστε, οὕτως ἀβέλτεροι ἦμεν, πρὶν σὲ ταῦθ' ἡμῖν εἰπεῖν* etc. ille verborum lusus in *βέλτιστε* et *ἀβέλτεροι* reddi non potest, nisi a vocabulorum significatione paullulum deflectens, verba legas simile potius quam idem dicentia. Itaque ego sic vertam: „Ehe wir das wussten, was du, mein scharf„sinniger Freund, uns vorhin sagtest, waren wir so „blödsinnig etc.“ Ita quae Paullus II. ad *Thessal. III.* 11. dicit: *Ἀκούομεν γὰρ τινὰς — μηδὲν ἐργαζομένους, ἀλλὰ περιεργαζομένους*, satis commode Stephanus atque Beza latine sic vertunt: *nihil agentes, sed curiose satagentes.* Vid. Quinctil. *Inst. Or. VI. III.* 54. Nostra vero lingua quomodo paronomasiam reddas, frustra quaesiveris. Ergo etiam ab interpretibus vulgo negligitur. Nostra versio sic habet: „Wir hören, dass etliche unter „euch unordentlich wandeln, die da nichts arbeiten, „sondern Fürwitz treiben.“ Bahrdtiana: „Und, statt „zu arbeiten, sich mit zeitverderblichen und unnützen

„Dingen abgeben." Stolziana: „indem sie ihren Beruf „vernachlässigen, und unnütze Dinge vornehmen." In quibus ejus figurae, qua Paullus usus est, plane nihil relinquitur. At si ita vertas: „Dass einige geschäft„los sind, oder vielmehr Geschäfte treiben, die sie „nicht sollten," quamvis haec proprie paronomasia non sit, tamen antitheti gratia servatur. — Similis est ratio loci ad *Philem.* 11. ubi Paullus Onesimum servum fugacem ad Philemonem remittens, eum his verbis designat: *τόν ποτέ σοι ἄχρηστον, νυνὶ δὲ σοὶ καὶ ἐμοὶ εὔχρηστον.* Haec igitur ad verbum nostra versio sic reddens: „Welcher etwann dir unnütz gewesen, nun aber dir „und mir nützlich ist," ab sensu plane aberrat. Nam *ἄχρηστον* Paullus per figuram, quae *λιτότης* vocatur, non modo *parum utilem*, seu *inertem* dicit, sed potius *damnosum*, furtum nimirum significans cum fuga conjunctum. Paullo melius quidem ad sensum Bahrdtius: „Der dir, so unnütz er sich ehedem gemacht hatte, jetzt „recht gute Dienste leisten wird," in eo tamen reprehendendus, quod formula loquendi usus est humiliori, atque infra dignationem Graeci vocabuli posita. Praetera antitheton illud, quod in vocabulis *ἄχρηστον* et *εὔχρηστον* lucet, ejus versio nimium obscurat. Idemque totum tollit anonymus Telleri interpres sic vertens: „Der ehemals zwar dir untreu ward, jetzt aber mir und „dir sehr nützlich seyn kann." Quod quidem, omissa licet paronomasia, optime sic reddi poterat: „Wohl „weiss ich, dass er dir einst schlechte Dienste leistete; „Hinfort wird er dir und mir sehr gute leisten."

Est vero etiam paronomasia aliqua, quae reddi ab interprete, si maxime possit, tamen non debeat. Ea plerumque ratio est paronomasiarum a nominibus propriis ductarum, quae aut a vocabulis originem trahunt, aut magnam cum iis habent similitudinem. Hae igitur referri in alia lingua vix possunt, nisi nomen illud proprium tanquam vocabulum convertas. Id autem, in

nominibus maxime antiquis, necesse est ridiculum videri atque absurdum. Itaque quando Christus *Matth.* *XVI.* 18. ad Petrum illa dicit: *Κἀγὼ σοὶ λέγω, ὅτι σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν,* interpres Germanus elegantis judicii nemo eam referre paronomasiam studebit. Multo consultius erit, vel brevi admonitione versioni subjecta, vel circumlocutione in textu ipso paronomasiam significasse potius, quam vertendo expressisse. Id Bahrdtius recte exorsus, paullo post conatu inepte excidit. Ejus autem versio sic habet: „Ich sage dir: du führest deinen Namen mit der That. Ein solcher Glaube macht dich zu einem unüberwindlichen Felsen.“ Hactenus bene. Quis autem elegantior sequentia probaverit? „Und auf solchen „*Felsenmann*, welcher durch diesen Glauben stark genug ist, dem Rachen des Abgrunds Trotz zu biethen, „will ich meine Gemeine bauen.“ Quidni potius ita? „Und auf diesen Felsen will ich meine Gemeine bauen.“

§. 8.

Tertiam caussam, quae necessitatem adferat vocabulorum contra usum linguarum servandorum, ibi locum habere Ernestus dicit, ubi alio nullo sensus satis ac sine ambiguitate exprimi possit. Ea plerumque ratio est vocabulorum, quae in artibus et disciplinis versantur. Etenim notiones rerum incognitae verba nulla habent sibi respondentia, quoniam signa rerum tum demum quaeruntur, quum res jam sunt inventae. Neque tamen semper nova vocabula finguntur, sed e veteribus illa, quae sensu proxime absunt, rebus novis aptantur. Idem igitur plerumque facere licet de iisdem rebus in alia lingua disserentibus, ut rem novam vocabulo illo significent, quod etymologice respondeat illi, quo ipsi usi sunt rei inventores. Id si durum initio videatur, ipso usu paullatim mollietur. Hac arte usus Cicero, quum philosophiam latino sermone primus ex-

plicaret, multa Graeca vocabula ad verbum latine convertit. Nam et ἀπειρίαν *infinitionem*, et κατάληψιν *comprehensionem*, et πρόληψιν *praenotionem* vel *anticipationem*, et ἰσονομίαν *aequabilem tributionem*, vel uno verbo *aequilibritatem*, ausus est dicere latine, vocabula Graecis similia ad res novas traducens. Idem igitur jure suo faciet interpres librorum sacrorum, et Germanica vocabula Graecis etymologice respondentia rebus aut notionibus novis adcommodabit potius, quam usum linguae servans verba legat sensu remotiora, aut ingrata circumlocutione utatur. Ea mihi ratio videtur esse illius formulae, ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν, quae in libris sacris sensum habet multiplicem. Universe quidem his verbis designari solet institutum *religionis Christianae*, atque multis in locis sic commode redditur, ut *Matth. XIII.* 11. *Marc. X.* 14. seq. Sed diversa ratio est multorum locorum, in quibus haec formula respectum habet ad veterem Judaeorum de Messia exspectationem, qua illum sibi fingebant haud magis religionis novae auctorem, quam suae libertatis vindicem, novique et amplissimi regni fundatorem. Ad istas igitur opiniones, licet falsas, respicientes cum Christus ipse tum ejus legati, quamvis res non talis esset, nomen tamen retinuerunt Judaeis gratum atque frequentatum, eodem modo, quo Paullus Christi religionem passim νόμον vocat, nomine Judaeis gratiori. Itaque in omnibus iis locis, quibus vocabulis Graecis illa notio adjungitur, interpreti servandum erit idem vocabulum, quamvis in eo lector Germanus illud neque cogitet, neque omnino cogitare debeat, quod olim Judaeis ob animum versabatur. Sed in talibus etiam locis brevis admonitio errorem facile cavebit. Itaque equidem minime probo Bahrdtium, illa Joannis Baptistae apud *Matthaeum III.* 2. verba: Μετανοεῖτε· ἤγγικε γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν, sic vertentem: „Bessert euch: denn Gott „ist im Begriff eine neue Religionssocietät zu errichten.“

Eadem verba, quae *Matth. IV.* 17. ipsi Christo tribuuntur, versio Bahrdtiana longis ambagibus sic effert: „Er ermahnte die Menschen zu einer eifrigen Abände- „rung ihrer bisherigen verderbten Grundsätze und Sit- „ten; wobey er vornehmlich den Beweggrund ein- „schärfte, dass Gott eine neue Religionssocietät unter „den Menschen aufrichten werde, deren Verfassung „sich bis in die Ewigkeit erstreckte." Male haec, inquam, atque imperite utroque loco, quoniam verba Graeca nuntium continent de Messia diu exspectato, atque munus jam auspicaturo. Ergo, si sententiam adcuratius explicare velis, hoc dicunt Christus atque Joannes: „En adest illud novum Messiae institutum, „quod vos regnum vocatis." Id autem significari vertendo non potest nisi verbo proprio; ita scilicet: „Aen- „dert eure Gesinnungen und euer Leben: denn von „jetzt an beginnt das Reich des Messias." Illa vero phrasis: „eine Religionssocietät errichten," non modo hoc non declarat, sed etiam dilectu peccat rei dignitati minime conveniente. Nam ex usu vitae communis adjunctam habet notionem lucri e quaestu faciundi. Quod magis etiam adparet aliis locis, in quibus eadem formula utitur Bahrdtius, ut *Matth. V*, 19. „Wer sich „unterstehen wird, die geringste von diesen Vorschrif- „ten abzuschaffen, der wird sehr bey den Vortheilen „der neuen Societät zu kurz kommen." Eod. vs. 20. „Denn ich sage euch: wofern ihr nicht nach einer Tu- „gend streben wollet, die reiner und vollkommner ist, „als die, mit welcher die Jüdischen Gottesgelehrten „prahlen, so werdet ihr euch mit schlechter Hoffnung „in die neue Societät begeben, die ihre Güter jenseit „der Gräber hat."

Verum est etiam genus aliquod vocabulorum, quae neque proprio verbo reddi debeant, licet aliud nullum habeatur, quo eorum sensus exprimi possit. Ex hoc genere pleraque sunt eorum, quibus vel ritus aliquis,

vel consuetudo, vel opinio, vel qualiscumque tandem notio designatur populo alicui aut aetati aut sectae propria atque singularis, quae si proprio verbo reddatur, aut obscurum sit, aut insolens, aut humile, aut ridiculum. *Consul* a consulendo, *Praetor* a praeeundo, *Censor* a censendo dicti nullum sane in nostra lingua verbum habent, quo isti magistratus possint designari; et quae etymologice iis respondent vocabula, ab iis elegantissimi cujusque judicium maxime abhorret. Et quis ferat interpretem *fasces populi* ita reddentem: „Die „Steckengebünde des Volkes," ut vertit Vossius Virg. *Georg. II.* 495. Quid igitur talibus verbis faciendum, quae neque etymologice bene reddi possint, neque habeant alia sensu sibi satis respondentia? Nimirum sunt illa eodem loco habenda cum nominibus propriis, ut, quoniam verti commode non possunt, iisdem litteris syllabisque reddantur. Sit igitur nobis *Consul*, „der Con„sul;" *Praetor*, „der Prätor;" *Censor*, „der Cen„sor;" *Fasces*, „die Fascen." Sic multis locis librorum N. T. sacrorum consultius duco τὸ εὐαγγέλιον reddidisse „das Evangelium," quam „die frohe Bothschaft „der neuen Religion," συναγωγὴν „die Synagoge," quam „die Versammlung," συνέδριον „das Synedrium," quam „das Gericht," et quae sunt hujus generis alia.

Adhibeamus haec ad initium Evangelii *Joannis*, cujus haec est sententia: Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεὸν, καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος. Quae verba plerorumque interpretum versio sic reddens: „Im Anfang „war das Wort, und das Wort war bey Gott; und das „Wort war Gott;" non modo obscura est, verum etiam absurda. Etenim qualecumque tandem illud sit, quod hic vocabulo λόγος designatur, illud certe a prima ejus vocabuli significatione adeo disjunctum est et remotum, ut sic conversum ne speciem quidem atque umbram sensus aliquam offerat. Ad sensum quidem ipsum quod adtinet, multi post Clericum interpretes existimant,

Joannem, quum Christum λόγον adpellaret, sese adcommodasse ad Judaeorum quorumdam Alexandrinorum consuetudinem, opiniones quasdam Platonicas cum religione Judaica, ac deinde etiam Christiana confundentium. E quibus Philo saepe commemorat τὸν λόγον, τὸν πάντα διακοσμήσαντα, τὴν εἰκόνα Θεοῦ, δι' οὗ σύμπας ὁ κόσμος ἐδημιουργεῖτο. Quae fortasse altius sunt repetenda ab Anaxagora, cujus haec fuit sententia: ὡς ἄρα νοῦς ἐστὶν ὁ διακοσμῶν τε, καὶ πάντων αἴτιος. Utraque voce Athenagoras philosophus Christianus Christum designat (de leg. pro Chr. c. 9.) illum νοῦν καὶ λόγον τοῦ πατρὸς ἐν ἰδέᾳ καὶ ἐνεργείᾳ nominans. His itaque λόγος Christus dici videtur, non quatenus *verbum* haec vox, sed quatenus *rationem* significat; proinde, si locum Joannis ad verbum reddere velis, ne sic quidem dicendum fuerit: „Im Anfang war das Wort," sed: „Im Anfang war „der Verstand." Sed fortasse res altius repetenda est e philosophia orientali et religione Persarum, in qua multus sermo erat *de verbo*, quo res omnes creatae essent. Vid. „Zend-Avesta, Zoroasters lebendiges Wort. Riga „1776. 4. p. 36." Verum quoniam id quoque non obscurum modo, sed etiam absurdum videri debet iis, qui veterum illarum opinionum cognitione non sunt imbuti, ipsum vocabulum Graecum in versione servandum, ejusque explanatio relinquenda videtur interpretationi.

§. 9.

Quartam tandem caussam usus linguarum deserendi interpreti adferunt loca δυςνόητα, id est ea, quae aut prorsus sunt obscura, aut sic ambigua, ut interpretationem certam, aut saltem valde probabilem haud admittant. In talibus igitur locis ipsa vel obscuritas vel ambiguitas in versione est reddenda. Qui secus fecerit, is sibi jus de sensu decernendi arrogat, quod interpreti minime est concedendum. Id quum de omni genere scriptorum valeat, tum ante omnes de scriptoribus sacris.

In his enim error ex versionis temeritate susceptus facile valet ad dogmatum commentitiorum falsitatem, ideoque, quanto in majori discrimine res versatur, tanto minus locus est conjecturae concedendus. Obscura sine dubio sunt illa, quae dicuntur *Matth. XII.* 31. *Διὰ τοῦτο λέγω ὑμῖν, Πᾶσα ἁμαρτία καὶ βλασφημία ἀφεθήσεται τοῖς ἀνθρώποις· ἡ δὲ τοῦ πνεύματος βλασφημία οὐκ ἀφεθήσεται τοῖς ἀνθρώποις.* Hic quid sit *spiritui convicium facere*, facilius est divinare, quam explorate dicere. Itaque theologi multi cum veteres tum recentiores, prout cuique visum fuit, alii aliud statuerunt, nemo autem ausus est, ut in re obscura, suam opinionem unice veram certamque declarare. Ergo etiam interpres hanc obscuritatem vertendo tollere non debet, neque sensum, qui ipsi forte maxime probetur, sed ipsa codicis sacri verba reddere. Quare etiam hic minus bene functus est Bahrdtius interpretis munere atque officio hunc locum ita convertens: „Alle Vergehungen gegen den „unerkannten Gott, sie geschehen mit Thaten oder „Worten, und wenn es auch Lästerungen wären, sind „der Vergebung fähig: aber wissentliche und vorsetzliche Lästerungen des erkannten Gottes sind unverzeihlich. Wer mich also für den armseligen Menschen „ansieht, der ich äusserlich bin, und sich an mir vergehet, kann Vergebung erhalten. Aber wer an mir den „sichtbar wirkenden Gott entdeckt, und dann die Thaten lästert, die er wirkt, hat nie Vergebung zu hoffen.“ Non equidem sensum sperno contextui satis adcommodatum, ipsam autem versionem minime possum probare. Multo melius versio Stolziana, de sensu nihil definiens, ipsa scriptoris verba sic reddidit: „Darum sage „ich euch: Jede Sünde, und jede falsche Nachrede läſst „sich den Menschen noch verzeihen; aber die Lästerung des göttlichen Geistes ist unverzeihlich.“

Recte vero etiam meo judicio Ernestus Castellionem laudat ad ea, quae *I. Petr. IV.* 6. leguntur, ita scriben-

tem: *Haec non intelligo; itaque ad verbum verti.* Illa quidem Petri verba sic habent: *Εἰς τοῦτο γὰρ καὶ νεκροῖς εὐηγγελίσθη, ἵνα κριθῶσι μὲν κατὰ ἀνθρώπους σαρκὶ ζῶσι δὲ κατὰ θεὸν πνεύματι.* Hic quaeritur, quid illa verba: *καὶ νεκροῖς εὐηγγελίσθη* significent. Atque interpretum recentiorum tantum non omnium opinio haec est, ut Petrus Evangelium traditum iis dicat, qui eo quidem tempore, quo haec scribebantur, essent mortui, sed tamen jam tum, quum viverent, Christi doctrinam accepissent, ac propter ejusdem doctrinae professionem ab iniquis judicibus essent supplicio adfecti. Atqui si locum sine omni praejudicata opinione animoque libero intueamur, id potius dicere Petrus videbitur: „Doctri„nam Christi *καὶ νεκροῖς*, h. e. *οὐ μόνον ζῶσι ἀλλὰ καὶ νε„κροῖς, illis, qui ante Christi adventum hanc vitam „reliquisset, fuisse traditam.*" Quem sensum cur interpretes plerique rejiciant, caussam equidem nullam video, nisi fortasse hanc, quod ad nostrae aetatis sensum graviter offendat. Sed poterat Petrus, quum haec scriberet, respectum habere ad fabulam aliquam mythologicam inter Christianos e Judaeis obtinentem, qua Christum putarent doctrinam suam ad homines ante se vita functos detulisse. Ejus rei indicium haud obscurum inest in iis, quae ejusdem Ep. III. 19. ita leguntur: *Ἐν ᾧ (πνεύματι) καὶ τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι πορευθεὶς ἐκήρυξεν (ὁ Χριστός).* Lectu omnino dignissima sunt, quae ad utrumque locum Semlerus adnotavit. Quidquid autem de ea re statuendum sit, locus certe unus ex iis est, quorum sententia in se quidem obscurior non sit clarioribus verbis ullam in partem definienda. Itaque neque Telleri interpretem anonymum probo, ista Germanice sic reddentem: „Deſshalb muſsten auch die „Märtyrer das Christenthum annehmen, daſs, obgleich „Menschen sie dem Körper nach hinrichteten, doch „Gott sie dereinst dem Geiste nach glücklich machen „könnte;" neque satis placet Zachariae, theologi olim

Goettingensis, versio, quae sic habet: „Denn eben diefs „ist auch die Ursache, warum den bey Christi Tode be„reits abgeschiedenen Geistern diese frohe Begebenheit „als die Ursache ihres Glückes kund worden, weil sie „bey aller zeitlichen Strafe, welche sie vor den Augen „der Menschen am Leibe ausstehen müssen, dennoch „durch göttliche, unsichtbare, Verfügung der Seele „nach glücklich werden sollen.“ Bahrdtius: „Denn „das ist der Nutzen, den auch die, welche gelebt haben, „erst künftig von ihrem Christenthum einernten wer„den, dafs sie, ob sie gleich durch Menschenurtheil am „Leibe gestraft werden, sie doch einst durch Gottes Ur„theil der Seele nach selig werden.“ Multo consultius fuerit, Castellionis religionem imitantem sic ad verbum convertisse: „Daher mufste auch den Verstorbenen das „Evangelium verkündigt werden.“

§. 10.

Ernestus hanc admonitionem habet: „Quum ver„siones fiant non eruditis, sed in primis populo, tolera„bilius esse ab legibus versionis hactenus commemoratis „recedere in hanc partem, ut sensus verborum in prom„tu sit, etsi necesse non erat deserere formam phraseos „auctoris.“ Jam primum quaeritur: quando necesse sit deserere formam phraseos auctoris. Ea igitur necessitas tum intelligitur, quum servata phraseos forma sensus vel pervertitur, vel obscuratur. Ut in illa phrasi, *καθίζειν ἐκ δεξιῶν τινός*, quoniam non eodem quo a veteribus sensu nostra aetate usurpatur, si in vertendo ipsam formam phraseos retineas, sensus pervertitur; ergo haec forma necessario est deserenda. In illis vero, quae Paullus I. *ad Tim. III.* 7. de Episcopo scribit: *Δεῖ αὐτὸν καὶ μαρτυρίαν καλὴν ἔχειν ἀπὸ τῶν ἔξωθεν*, si formam phraseos retineas, sensus obscuratur. Quis enim indoctus id intelligat, quod versio nostra habet: „Er mufs „aber auch ein gutes Zeugnifs haben von denen, die da

„aussen sind.“ Ergo etiam hic forma phraseos est necessario deserenda; atque sic potius vertendum: „Uebrigens muſs er auch bey denen in gutem Rufe stehen, „welche sich nicht zu unserer Lehre bekennen.“ Contra in illis quae Paullus dicit ad *Gal. VI.* 10. *Ἄρα οὖν ἐργαζώμεθα τὸ ἀγαθὸν πρὸς πάντας, μάλιστα δὲ πρὸς τοὺς οἰκείους τῆς πίστεως*, forma phraseos illius, *οἱ οἰκεῖοι τῆς πίστεως*, non est illa quidem necessario deserenda. Nam vel nostra versio haec ad verbum sic reddens: „Lasset „uns gegen jedermann gutthätig seyn, allermeist aber „gegen die Hausgenossen des Glaubens,“ vix cuiquam vel indocto prorsus erit obscura: neque tamen probari potest, quoniam sensus non est in promtu, neque ita perspicuus, ut verba lecta simul intelligantur. Est autem versionis bonae munus scriptoris sententias verbis aptis clarisque sic aperire, ut suo quodam lumine luceant, atque sola adtentione, sine mentis agitatione percipiantur. Neque enim legentes sensum quaerere volumus, sed videre, non divinare, sed intelligere. Itaque verba illa *τοὺς οἰκείους τῆς πίστεως*, quamvis, si reddas „die Hausgenossen des Glaubens,“ etiam hoc intelligi possit, tamen melius fuerit sic convertisse: „die „Glaubensgenossen.“

§. 11.

Quae hactenus ad Ernestum exposuimus bonae versionis praecepta, tam clara sunt atque perspicua, ut in se quidem ab nemine non imperito possint improbari. Sed quae universe omnes probant, ea in exemplis ac judicio versionum multi repudiant. Hoc nimirum inde fit, quod verba atque orationis formam a rebus sententiisque non satis subtiliter discernentes, si quid in illa mutaveris, ad has pertinere existimant, atque sensum ipsum vel deseri vel perverti opinantur. Quod contra existimari oportet, quae versio cum singulis scriptoris verbis et loquendi formulis consentiat, eam non modo

inelegantem esse, sed vel maxime perversam. Nam quotiescumque linguarum usus discrepat, quod in primis in linguis antiquis et recentioribus fit *saepissime*, toties phrasis est mutanda; aliter iisdem verbis non idem dicitur, sed aliud. Quae autem verborum tantum, quae rerum atque sensus discrepantia sit, id facillime hoc modo judicatur. Scilicet quae versio, utcumque ab scriptore specie maxime discrepans, undique tentata talis reperiatur, ut, quomodo conservato usu linguae ac puritate, rectius dici possit, frustra quaesiveris, ea proba utique et accurata habenda erit: at contra, quae diligentius excussa, aut nullum, aut diversum ab scriptore sensum offert, ea, quamvis prima specie cum archetypo adcurate conspirans, perversa atque fallax *est* existimanda. Sed imperitum hominum, linguas non adcurate doctorum, vulgus plerumque levem illam externae similitudinis speciem arripit, ex illaque de versionis bonitate temere atque leviter statuit. Id *quum* omnis generis librorum versionibus accidere soleat, tum multo maxime fit in judicandis versionibus librorum sacrorum. Etenim ad has explorandas vix quisquam animo accedit a partium studio aut praejudicatis opinionibus libero. Plerique igitur et opinionibus sectae alicujus imbuti, et versioni alicui vel ex usu publico, vel e domestica lectione adsueti, quum loca, quae dicunt probantia, sibi eripi nolunt, tum consueta verba atque loquendi formulas ubique requirunt, quae si cum aliis, licet melioribus, vident commutata, statim fidem interpretis accusant, religionem ipsam temerari, atque nefario ausu cum divinis humana commisceri clamantes. Hinc versio quaeque, ut maxime docta atque liberalis, muneris sui partes optime explet, ita plerumque invidia maxime laborat. Id olim et Erasmi et Lutheri versionibus accidit, atque nostra aetate quodam modo etiam Bahrdtii, qui quamquam saepe reprehendendus, tamen etiam, quando non modo probabiliter, sed etiam

praeclare rem gessit, censores nactus est valde iniquos. Neque tantum imperitorum ea iniquitas est, sed saepe etiam doctorum. In Catellionem quidem Beza saepe acriter invehitur, eo quod multis locis bene latine vertendo dogma illud de Praedestinatione videbat evanuisse. Interdum etiam neque ibi a maledictis abstinet, ubi vanus erat is metus: ut in loco illo, qui legitur *Lucae II.* 34. Ἰδοὺ οὗτος κεῖται εἰς πτῶσιν καὶ ἀνάστασιν πολλῶν ἐν τῷ Ἰσραήλ. Ad haec igitur verba Beza: „Operae pre„tium est, inquit, hoc loco considerare sacrilegam Ca„stellionis audaciam, qui utrumque Testamentum nu„per ita convertit, ut suo arbitrio non modo quidvis „detraxerit, aut addiderit, sed etiam mutarit. Is igitur „quia inter caeteros errores hunc etiam tuetur, qui ho„mini etiam non regenerato, ac proinde adhuc peccati „peccantis servituti addicto liberum naturale in salutis „doctrina vel amplectenda, vel repudianda arbitrium „cum Pelagio tribuit, ut a cujus voluntate spontanea „pendeat divini consilii constantia, id est qui caussarum „ordinem prorsus invertit: videbat autem verbum κεῖ„σθαι non posse sine violenta interpretatione ad solum „eventum referri, sed potius aeternam dei destinatio„nem declarare, idcirco in locum unius copulativae „conjunctionis duas disjunctivas substituit, et totum „hunc locum ita interpretatur: *Scito, hunc multorum „vel casui vel resurrectioni in Israelitis destinatum es„se.* Hoc est scilicet divinae providentiae religiose pa„trocinari.“ Haec igitur Beza, non modo iniquius, sed etiam minus perite. Etenim si demus, praedestinationem, seu decretum, quod dicitur, absolutum hoc loco confici, quod quidem sic esse minime concedo; sed si sumas, dogma illud verbis istis contineri, sensus quidem hic erit: *Per hunc puerum aliis fatale erit labi atque perire, aliis emergere ad salutem.* Jam, si cum Castellione pro copula particulas disjunctivas posueris, idem ille sensus non modo magis latine, verum etiam

clarius exprimitur. Ita enim duo illa genera *labentium* atque *emergentium* distincte separantur. Contra si dixeris: *Multis fatale erit labi et emergere*, de uno eodemque genere hominum utrumque videri possit praedicari, quasi illis fatale esset *labi* primum, et deinde *emergere*. Itaque tantum abest, ut versione ad verbum facta praedestinationi melius consulatur, ut potius ipse Beza, nisi animum habuisset partium studio occaecatum, ultro amplecti ac fovere debuisset illam, quam tam acriter reprehendit, Castellionis versionem.

Caeterum quae de bonae versionis munere atque officio hactenus disputavimus, in iis summam perfectionem atque absolutionem spectavimus, quae quidem, nisi servatis illis omnibus, quae praecepimus, obtineri non potest. Ab hac autem si discesseris, aliae praeterea versionum formae cogitari possunt, in se utilium, et quae singulae aliorum hominum ingenio atque usui sint adcommodatae. Atque separatim si libros sacros spectemus, tria omnino sunt versionum genera, quorum unumquodque pro consilii diversitate diversam habet praeceptionem. Primum genus *publicum* est, atque usibus ecclesiasticis destinatum; alterum, quo libri sacri *hominum elegantiorum aut liberali institutione usorum lectioni commendantur*; tertio denique *imperitae plebis imbecillitati* consulitur. De singulis istis generibus adcurata exstat Griesbachii viri doctissimi commentatio, quae sic inscribitur: „Ueber die verschie-„denen Arten Deutscher Bibelübersetzungen, in dem „Repertorium für biblische und morgenländische Litte-„ratur. Leipzig. 1780. Tom. VI. p. 262 seqq.“

Primum igitur genus, quod *ecclesiasticum* diximus, quoniam publicam habere debet auctoritatem, neque dictionis puritati admodum studet, neque omnem tollit obscuritatem, sed verba ipsa scriptoris plerumque sequitur, formamque phraseos nonnisi in iis deserit, in quibus ejus mutandae linguarum discrepantia summam

adfert necessitatem. Nam quum hoc genus versionis potissimum inservire debeat praeceptis atque dogmatibus in omni institutione publica firmandis stabiliendisque, omnis fere illius laus posita est in eo, ut ipsa archetypi verba, quam potest, adcurate referat. Oratoris autem est sententiam ipsam evolvere, obscura interpretari, eaque omnia, quae propter linguarum discrepantiam intellectum habent difficilem, partim e contextu, partim locorum similium luce illustrare. — *Secundum* genus ejus ipsius versionis est, de qua hactenus praecepimus, et in qua summam diximus spectari perfectionem. — Tertium tandem est illud, *quo privatae hominum imperitorum lectioni consulitur.* Hoc genus versionis non modo dictionis puritati studere debet, verum etiam omnem, quantum fieri potest, tollere intelligendi difficultatem. Quaecunque igitur per se non satis clara sunt, ea insertis brevibus quasi scholiis sunt illustranda, ellipsis difficilior omnis supplenda, denique quidvis agendum, ut, sine longiori tamen circumlocutione aut ambitu paraphrastico, cum verborum tum sententiarum intellectus penitus aperiatur. Sed audiamus ipsum Griesbachium. „In einer genauen Uebersetzung, „ita ille, redet der Uebersetzer, so wie der Verfasser „geredet haben würde, wenn er zwar völlig eben der„selbe Mensch und Schriftsteller gewesen wäre, mithin „unter denselben Umständen gelebt, völlig dieselbe „Denkart, und in der Sprache des Originals dieselbe „Schreibart gehabt, und eben denselben Lesern die „nähmlichen Reden unter derselben Einkleidung mitge„theilt, aber der Deutschen Sprache sich bedient hätte, „jedoch diese nicht vollkommen in seiner Gewalt ge„habt, sondern solches hebräischdeutsch geschrieben „hätte, wie die Schriftsteller des neuen Testaments he„bräischgriechisch schrieben. — In Uebersetzungen der „zweyten Art läfst man den Verfasser so reden, wie „eben derselbe Mensch und Schriftsteller unter den

„nähmlichen Umständen, mit eben denselben Le-
„sern würde geredet haben, wenn beyde die Deut-
„sche Sprache, wie wir sie jetzt schreiben, in ihrer
„Gewalt gehabt hätten, und der Verfasser darauf be-
„dacht gewesen wäre die Sprachhebraismen (welche
„man von dem einem jeden damahligen Israëliten an-
„klebenden Gedankenjudaismus unterscheiden mufs)
„möglichst zu vermeiden, und für jedes Idiom der He-
„bräischen Sprache ein gleichgeltendes der Deutschen
„zu setzen. — Endlich in erklärenden Uebersetzungen
„läfst man den Verfasser so schreiben, wie er es gethan
„haben würde, wenn er zwar für seine Person eben der-
„selbe, unter den nähmlichen Umständen lebende Mensch
„und Schriftsteller gewesen wäre, jedoch vollkommen
„Deutsch hätte reden können, und sich alle Mühe ge-
„geben hätte, Deutschen Lesern des achtzehnten Jahr-
„hunderts seine Gedanken möglichst verständlich zu
„machen."

Haec igitur qua ratione fieri debeant, in uno sal-
tem librorum sacrorum loco declarabimus. In epistola
Jacobi I. 27. religionis verae atque non verbis tantum
sed actione vim suam manifestantis natura sic exponi-
tur: *Θρησκεία καθαρὰ καὶ ἀμίαντος παρὰ τῷ θεῷ καὶ πα-
τρὶ, αὕτη ἐστὶν ἐπισκέπτεσθαι ὀρφανοὺς καὶ χήρας ἐν τῇ θλί-
ψει αὐτῶν, ἄσπιλον ἑαυτὸν τηρεῖν ἀπὸ τοῦ κόσμου.* Ea no-
stra versio sic reddit: „Ein reiner und unbefleckter
„Gottesdienst vor Gott und dem Vater ist dieser: die
„Waisen und Wittwen in ihrer Trübsal besuchen, und
„sich selbst von der Welt unbefleckt erhalten:" omnia
quidem ad verbum, ac diligenter legens archetypi vesti-
gia, ipsiusque adeo tenax hebraismi; qualia sunt illa:
„ein unbefleckter Gottesdienst vor Gott." Nam formu-
la *παρὰ τῷ θεῷ* rebus adjuncta significat id quod *deo
probatur,* aut ejus judicio verum est ac genuinum. Por-
ro, „die Wittwen und Waisen besuchen," genus lo-
quendi plane Hebraeograecum. Nam *ἐπισκέπτεσθαι*

scriptoribus sacris idem est, quod ἀντιλαμβάνεσθαί τινος, *opem ferre*, alicujus inopiam aut calamitatem levare. Denique „von der Welt." Nam ὁ κόσμος dicuntur vel homines a religione alieni, vitaeque hujus curis aut voluptatibus dediti, vel ipsae hujus vitae curae ac voluptates, animum a religione et virtute avocantes. Istos igitur tales versionis publicae naevos nativos ac paene necessarios, ea quae κατ' ἐξοχὴν sic dicitur versio tollere debet, quod, ut puto, recte sic fiet: „Wittwen und Waisen in ihrem Bedrängnisse beystehen, und vor den „Irrwegen irdischgesinnter Menschen sich hüthen, das „ist die echte unverfälschte Religiosität, welche allein „Gott gefällt." Haec autem, quamvis sic recte conversa, non tamen lectori unicuivis omnem loci sensum aperiunt. Nam neque viduarum infantiumque parentibus orborum inopiae succurrere unum genus est beneficientiae, quod hominem vere religiosum deceat; neque sola beneficientia religionis fructus omnis cernitur. Itaque intelligendum est, ab apostolo pro genere speciem, pro omni virtute aliquam virtutis formam commemorari. Verum id intelligere non est nisi lectoris docti, et in multa scriptorum diversorum lectione atque interpretatione versati. Imperito autem cuivis ab errore cautum vix erit nisi genere versionis illo tertio atque medio inter veri nominis versionem, quae scriptorem, vitato omni idiotismo, presse sequitur, et paraphrasin, quae ejus sensum latius fusiusque explicat. Talis est illa, quam dat Zachariae, theologus olim Goettingensis: „in seiner kurzen Erklärung der Briefe Jacobi, Petri, „Judae und Johannis;" cujus haec est sententia: „Eine „untadelhafte, und völlig reine Religion, welche Gott, „der Schutzgott seiner Verehrer, von dieser Seite be„trachtet, findet alsdann nur Statt, wenn man zum Bey„spiel (wie es die Religion vorschreibt) sich der Hülfsbe„dürftigen, dergleichen Wittwen und Waisen sind, in „ihren trübseligen Umständen annimmt, wenn man

„sich von den in der Welt herrschenden Sitten unbe-„fleckt erhält, (und in andern ähnlichen Fällen der Be-„folgung und Ausübung der Christlichen Religion.)"

§. 12.

Paraphrasis, quae, ut ipsum vocabulum declarat, est elocutio explicatior, medium fere tenet inter *versionem* et commentarium, atque utriusque quodam modo commoda conjungit. Nam versioni hactenus similis est, quod omnem orationis filum persequitur, scriptoremque totum, nulla ejus parte omissa, vel in eadem, vel in alia lingua refert: cum commentario autem hoc habet commune, ut sensum, quemadmodum dixi, tradat explicatius, omnem tollere studens intelligendi difficultatem, atque adeo ipsa perpetui instar sit commentarii. Etenim hoc unum illi propositum est, ut sensus perspicue exprimatur. Quod ut adsequi possit, saepe et verbosior erit versione, et cum sententiarum formam tum orationis habitum scriptorisque stylum deserere atque immutare haud raro cogetur.

Sunt autem potissimum tria, quibus justae paraphraseos munus constat. Quorum primum continetur *difficilibus et ambiguis circumscribendis*. Etenim saepe obscuritas atque intelligendi difficultas nascitur e sermonis brevitate. Haec autem brevitas fortasse eo tempore, quo liber conscribebatur, obscuritate carebat, propterea quod ea, quae ad intelligendum sunt necessaria, ejus aetatis hominibus per se erant nota. Nobis autem ista ignorantibus, adfusa ex historia et antiquitatibus luce, eadem explicatius sunt tradenda. Exemplo sit locus qui legitur *Matth. I*, 19. ubi de Josepho, qui desponsatam sibi Mariam gravidam esse cognoverat, haec dicuntur: *Ἰωσὴφ δὲ ὁ ἀνὴρ αὐτῆς, δίκαιος ὢν καὶ μὴ θέλων αὐτὴν παραδειγματίσαι, ἐβουλήθη λάθρα ἀπολῦσαι αὐτήν.* Haec igitur obscura multis haud intelligentibus, quo pacto Mariae famae cautum esse potuisset, si Jose-

phus gravidam illam dimitteret, Hammondi paraphrasis enucleatius disserens ita circumscribit: „At quum „Josephus sponsus ejus benignus et misericors esset, nec „eam vellet exponere opprobrio publicae poenae, quae „apud Judaeos infligebatur puellis, quae virgines non „esse, quum nubebant, deprehendebantur, clam illam „erat dimissurus, quia nondum omnibus innotuerat, „eam sibi esse desponsam, ita ut obnoxia tantum futu„ra esset poenae fornicationis, id est infamiae, non mor„ti.“ Sic certe loci difficilis intellectus panditur, expletis iis, quae Matthaeus tamquam non necessaria aetatis suae lectoribus omiserat.

Sed saepe etiam obscuritas nascitur e genere loquendi tropico, vel emphatico. Talium igitur locorum sensum paraphrasis explicare debet verbis propriis atque loquendi genere consueto. Ita apud eumdem Matthaeum V. 39—41. quae dicuntur, si ad verbum intelligas, sensus exsistit maxime incommodus atque absurdus. Sed haec optime paraphrasis Samuelis Clarkii sic circumscribit: „Ich sage euch: vergeltet keinem böses „mit bösem; sondern wenn euch jemand Unrecht thut, „und ihr könnet dasselbe nicht durch Christliche und „richterliche Obrigkeit von euch zurücktreiben, so las„set euch lieber Unrecht zufügen, als dass ihr durch „das Recht der Wiedervergeltung euch selbst solltet rä„chen wollen. Und wenn jemand selbst in einem öffent„lichen Rechtshandel gegen euch auf seinen Forderun„gen bestehen sollte, und das, was euch zukömmt, „mit Gewalt zu erpressen suchte, so lasset ihn in Sa„chen von geringerer Wichtigkeit lieber dasjenige hin„nehmen, was er mit Ungestüm fordert; ja gebet ihm „lieber noch mehr, als er verlangt, um nur dem Streit „ein Ende zu machen.“ Ita sensus prodit egregius, plane consentiens cum iis, quae a Cicerone dicuntur de *Off. II.* 18. „Conveniet autem cum in dando muni„ficum esse, tum in exigendo non acerbum, in omni-

„que re contrahenda, vendendo, emendo, conducen-„do, locando, vicinitatibus et confiniis aequum et faci-„lem, multa multis de suo jure cedentem; a litibus „vero, quantum liceat, et nescio an paullo plus etiam „quam liceat, abhorrentem. Est enim non modo libe-„rale, paullum nonnumquam de suo jure decedere, sed „interdum etiam fructuosum.“

Secundum paraphraseos munus est, *res atque notiones rerum*, nisi satis per se sint clarae, *definitionibus et rationibus admiscendis explicare. Matth. III*, 9. Joannes Baptista ad Pharisaeos, Sadducaeosque baptismatis caussa ad illum venientes praeter alia haec dicit: *Μὴ δόξητε λέγειν ἐν ἑαυτοῖς· Πατέρα ἔχομεν τὸν Ἀβραάμ· λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι δύναται ὁ Θεὸς ἐκ τῶν λίθων τούτων ἐγεῖραι τέκνα τῷ Ἀβραάμ.* Hic ergo quo modo dicatur deus posse Abrahamo prolem excitare e lapidibus, non unicuique intelligere aut dicere fuerit in promtu. Ergo definiendum est paraphrastae, qualis ista proles Abrahami dicatur, id quod optimis verbis praestat paraphrasis Erasmi totum comma sic circumscribens: „Interim ponite vanam fiduciam, neque sic vobis ipsis „blandiamini: *Sancti sumus, e sancto patre prognati „Abraham.* Abraham justus nihil proderit ex se pro-„gnatis, nisi laudatam illius fidem et obedientiam imi-„tentur. Abrahae promissa est benedictio quae nunc „instat. Sed ad hanc obtinendam non satis est generis „quamlibet arcta propinquitas. Quicunque diffisi deo, „mundi hujus praesidiis nituntur, exciderunt a cogna-„tione Abrahae. Et posthac Abrahae posteri non e „sanguinis adfinitate, sed e fidei sinceritate censebun-„tur. Nec ideo desiderabit deus posteritatem Abrahae, „cui promissam benedictionem persolvat, si vos ab „Abrahae moribus desciveritis, etc.“ Hic igitur Abrahami filii sic definiuntur, ut tales putandi sint ii, qui Abrahami fidem imitentur, eaque definitio omnem tollit obscuritatem. Atqui recte sic definiri evincitur Paulli

verbis ad *Galat. III.* 6. sequ. ita scribentis: *Καθὼς Ἀβραὰμ ἐπίστευσε τῷ θεῷ καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην· γινώσκετε ἄρα, ὅτι οἱ ἐκ πίστεως, οὗτοί εἰσιν υἱοὶ Ἀβραάμ.* Conf. *Rom. IV.* 11. 12. *Joann. VIII.* 39.

Neque vero definiendae tantum notiones sunt, sed etiam vocabula atque phrases explicandae, id est clarioribus verbis circumscribendae. Ut in illis quae Christus dicit *Jo. VIII.* 23. *Ὑμεῖς ἐκ τῶν κάτω ἐστὲ, ἐγὼ ἐκ τῶν ἄνω εἰμί· ὑμεῖς ἐκ τοῦ κόσμου τούτου ἐστὲ, ἐγὼ οὐκ εἰμὶ ἐκ τοῦ κόσμου τούτου,* explicandae sunt paraphrastae formulae istae, *εἶναι ἐκ τῶν κάτω*, atque *ἐκ τῶν ἄνω*, atque etiam *ὁ κόσμος οὗτος*, id quod sic praestat Paraphrasis Semleriana: „Vos estis ex terrestribus, et *desideratis* „*tantum Messiam voluptatis promissorem*; ego vero „ex supernis sum, *divina et coelestia consilia sequor*: „ex istorum *perversorum hominum*, quos mundi no„mine soletis describere, numero estis; ego vero non „sum ex isto hominum ordine, nec regnum politicum „molior.“

Tertium, idque nescio an gravissimum Paraphraseos munus est: *nexum orationis apte exprimere*. Id autem hanc vim habet, ut, quo vinculo singulae sententiae contineantur, quo modo ex aliis alia consequantur, ad quid unaquaeque res referatur, qua tandem ratione id quod jam dicitur, locum istum tueatur, clare atque distincte exponatur. Saepe enim scriptores etiam boni, immo hi quidem maxime, non omnia quae ad rem faciunt disertis verbis dicunt, sed ea quae per se intelligi putant, legentibus cogitanda relinquunt: qui vero scribendi artem non satis callent, etiam illa haud raro praetermittunt, quae ob ipsorum animum versantia legentium fugiunt animadversionem. Boni vero interpretis est, non ea modo intelligere, quae ab scriptore dicuntur, verum etiam illa, quae vel significantur tantum, vel ultro supplenda omittuntur. Ea res autem neque parvae industriae est, neque mediocris ingenii;

Oportet enim eum, qui id praestare cupiat, velut in mentem scriptoris sese insinuare, totamque idearum ejus seriem percensere; ex quo, quae quibusque sint consentanea, judicans omnem possit callide explere orationis quasi lacunam. Idque sine magno mentis acumine, ingenioque philosophiae studio subacto vix aliquis adsequatur. Itaque etiam in hoc genere philosophi caeteris praestant, ut Lockius atque Clarkius. Caeterum in hac etiam parte quo modo versandum sit, exemplis declarabimus.

Paullus ad *Galatas* eos reprehendens, qui doctorum judaizantium errorem amplexi, Christianos quoque circumcidi volebant, primum docet, non posse circumcisionem suscipi, quin, omni Judaismo admisso, Christi doctrina evertatur. Post haec Cap. V. 9. illa verba subjungit: *Μικρὰ ζύμη ὅλον τὸ φύραμα ζυμοῖ.* Quorsum hoc? Nimirum occupat adversariorum aliquod effugium: atque id optime sic exprimit paraphrasis Semleriana: „Nec sufficit dicere: Tantum circumcisionem, non universum Judaismum vos suscipere velle. „Scitis paullulum fermenti totam massam fermentare." Minus bene Grotius id ad doctores referens, „Similitudo, inquit, est, per quam significatur, a paucis initio facto, late admodum inter Galatas sparsam fallacem istam persuasionem." Paraphrasis Erasmi inter utrumque sensum incerta natat. Semleriana maxime firmatur vs. 2. seqq. Porro *Luc. XII.* 13. seqq. quum aliquis Christum rogasset, ut litem de hereditate inter se atque fratrem disceptaret, ille hoc officium ut alienum ab suo muñere recusans vs. 15. hanc admonitionem subjungit, ut sibi a pecuniae studio caveant. Haud quidem difficulter intelligitur, quo modo isthaec admonitio hic locum habeat; sed tamen nexum idearum clarius exprimit Paraphrasis Clarkiana, quae sic habet: „Nachdem Jesus solcher Gestalt die Bitte dieses Mannes „abgeschlagen hatte, so bediente er sich dieser Gele-

„genheit, seine Jünger und das versammelte Volk vor „dem Laster des Geitzes zu warnen, und sprach etc." — Egregie quoque idem Clarkius disjunctas orationis partes connectit apud eumdem *Lucam VI.* 19. seq. Ibi Christum videmus turba obsessum, multis illum tangere conantibus, propterea quod solo ejus contactu se liberatum iri putabant a morbo aut qualicumque corporis infirmitate. Post haec statim Christus velut praesentem populum haud curans longam habet ad discipulos orationem. Quis itaque non miretur talem ἀκαιρίαν in Christo, qui, quid res et tempus et personae poscerent, semper et ubivis diligenter expendebat! Id ergo acute videns Clarkius contractiorem nunc quidem Lucae sermonem in paraphrasi commode hunc in modum explicuit: „Und alles Volk drängte sich um ihn her, „und bemühte sich ihn anzurühren etc. Weil nun Jesus „durch die allzu grosse Menge des Volkes gedrückt ward, „so begab er sich wieder von da hinweg auf die Spitze „des Hügels. Seine Jünger aber, und verschiedne an„dere, die ein Verlangen trugen seine Lehre zu hören, „folgten ihm nach. Und er setzte sich nieder, und wen„dete sich zu seinen Jüngern, und sprach: etc." Atqui haec Clarkium non probabiliter modo ex ingenio finxisse, sed ad veritatem historicam supplesse, patebit conferenti locum parallelum, qui legitur *Marci III.* 9—14.

Ex iis, quae de Paraphraseos munere atque officio hactenus disputavimus, satis jam intelligitur, *non debere paraphrastam in omnibus tractandis eodem modo versari*, sed pro rei diversitate alia esse copiosius et enucleatius, alia brevius circumscribenda, aut explicanda; nonnulla vero ne circumscribenda quidem, sed iisdem plane verbis reddenda vel convertenda. Nam cum paraphrasi hoc sit propositum, non ut res verbosius, sed ut clarius dicat, primum neque illa mutare debet, quae per se clara sunt, tum in explicandis obscuris ac difficilibus modum servare illum, quem ipse

perspicuitas et facilitas intelligendi praescribit. Atqui multi se ita demum optime παραφράζειν existimant, si verbosa loquacitate et inani orationis flumine sensum diluant. Quod contra existimare oportet, eum optimum esse paraphrastam, qui paucissimis verbis, plane, distincte, explicate ad uniuscujusque intelligentiam dixerit.

Alius communis item multorum vitandus est error: *ne in locis iis, in quibus intelligendi difficultas non e brevitate, sed ex rerum aut verborum obscuritate nascitur, suo munere rite functam paraphrasin putemus, quae sensum verbosius tantum neque clarius expresserit.* Id plerisque Paraphrastis accidit in loco haud sane facillimo, qui legitur ad Hebraeos IV. 12. in quo circumscribendo illa ipsa verba, quae plurimum obscuritatis habent, ἄχρι μερισμοῦ — καὶ μυελῶν, sine ulla explicatione referunt. E multis unum laudabo Anglum Sykium, cujus Paraphrasin germanice conversam edidit Semlerus Halae 1779. Is igitur hoc Comma sic circumscribit: „Das Wort Gottes ist kein todtes und un„bedeutendes Ding, sondern allezeit lebendig und wirk„sam. Es ist mächtig, und dringt tiefer ein, als ein „zweyschneidiges Schwert: es durchdringet selbst die „Theilung der Seele und des Geistes, so genau sie mit „einander verbunden sind; es dringet durch die Ge„lenke und das Mark; es richtet über die Gedanken „und geheimen Absichten des Herzens; nichts, es mag „noch so geheim seyn, kann Gott verborgen bleiben." Haec igitur si cum Graecis conferas, aliquanto verbosius dicta reperies, at clarius nullo modo. Nam isti quidem tropi omnes, e quibus intelligendi difficultas nascitur, totidem verbis redduntur. Atqui pro his sensus, vel res ipsa, quae sub his verborum involucris latet, proprio erat sermone reddenda. Haec igitur si excutias, ista fere prodibit sententia: Verbum Dei, id est, ut orationis contextus docet, divinas comminatio-

nes non esse carituras certo eoque tristissimo eventu. Atque has poenas non modo manere τὴν ἀπείθειαν, id est apertam ab religione defectionem, verum etiam ὑπόκρισιν atque ἀπιστίαν pectore clausam, propterea quod dei acumen animum penitus pertentans vel intimos ejus motus tacitasque cogitationes subtiliter discernat, quemadmodum anceps gladius omnes corporis partes vel arctissime junctas dissecet. Quos igitur Paullus tropos grammatice cum verbis ὁ λόγος τοῦ θεοῦ junxit, illos, si de sensu quaeras, logice junctos esse cum μάχαιρα δίστομος, adeoque vim tropicam exuere, satis clarum puto, idque notasse omnino erat periti paraphrastae. Simili orationis negligentia clarum est τῷ λόγῳ τοῦ θεοῦ tribui omniscientiam, quae tribuenda erat ipsi deo, cui etiam tribuitur v. 13. Sic etiam ad *Gal. III.* 8.: προϊδοῦσα ἡ γραφὴ προευηγγελίσατο τῷ Ἀβραὰμ eadem metonymia dictum habes pro προϊδὸν τὸ πνεῦμα ἅγιον ἐν τῇ γραφῇ. Itaque totus iste locus mihi quidem satis commode et ad sensus veritatem videtur sic posse circumscribi. „Denn die göttlichen Drohungen sind nicht ei„tel, sondern wirksam und von sicherer Erfüllung. Ihre „Kraft wird sich nicht nur an der vorsetzlichen Ver„härtung und offenbaren Abtrünnigkeit von der göttli„chen Wahrheit, sondern an dem versteckten Unglau„ben, und der geheuchelten Religiosität bewähren. „Denn so wie ein zweyschneidiges Schwert den Geist „des Menschen von seinem animalischen Leben schei„det, und die Gelenke und Knochen des Körpers bis „aufs Mark durchdringt; so, und noch schärfer durch„dringt der Scharfblick des göttlichen Geistes alle Tie„fen der menschlichen Seele, und erspäht alle ihre ge„heimsten Gedanken, Regungen und Gefühle.“

Tertius denique error in paraphrasi maxime cavendus hic est: *ne id, quod de definitionibus et rationibus admiscendis, deque nexu, suppletis iis, quae omissa sunt, apte exprimendo diximus, ad licentiam,*

trahatur ita, ut pro apostolicis sensibus nostras notiones et opiniones immisceamus. Neque enim in his indulgere licet ingenio, neque id agitur, ut pro difficilibus aut obscuris id demus, quod possit intelligi, quamvis a vero sensu fortasse longe aberret, neque ut callide magis quam probabiliter nexum utcumque fingamus: sed in his omnibus et scriptoris consilium et usus loquendi et locorum vel clariorum, vel eamdem rem explicatius tradentium valere debet auctoritas. Atqui in hoc facillime labuntur ii, qui certis opinionibus imbuti, vel levissimam quamque similitudinis speciem arripientes, ad ista ingenii sui figmenta omnia revocant. Ita Hammondus in Epistolis Paulli aliorumque apostolorum ubique fere Gnosticos videns, in paraphrasi ad hos omnem fere falsorum doctorum errorem solet referre. Scilicet Gnosticorum antiquissima erat, primis rei Christianae temporibus haeresis, hominum reconditiorem religionis scientiam sive *γνῶσιν* jactantium, ex quo isthoc vocabulum huic sectae nomen dedit. Eorum doctrina conflata erat partim ex Judaeorum, quae dicitur, Cabbala, partim ex philosophiae Pythagoricae, Platonicae, atque orientalis fragmentis, quae illi cum doctrina Christi confundentes, veram religionem absurdis commentis contaminaverunt. Ad hos igitur in libris sacris passim respici multi probabiliter putant, atque adeo Joannem Evangelium suum eo potissimum consilio scripsisse, ut hos, atque inprimis Cerinthum refutaret, vetustissima fuit opinio, recentioribus quoque probata, quam doctissimus Michaelis „in der Ein„leitung in die göttlichen Schriften des neuen Bundes" multo cum acumine tum doctrina ornavit. Sed in hoc, quemadmodum dixi, nimius est Hammondus, quidquid fere errorum a Paullo vel arguitur vel refutatur, id omne ad Gnosticos referens. Ut in illis, quae dicuntur ad *Galat. I. 7. οὐκ ἔστιν ἄλλο εὐαγγέλιον· εἰ μή τινές εἰσιν οἱ ταράττοντες ὑμᾶς, καὶ θέλοντες μεταστρέψαι τὸ εὐαγγέλιον*

τοῦ Χριστοῦ, Hammondus statim Gnosticos suos somnians, quasi res explorata esset, illos ipsos in paraphrasi commemorat, locum ita circumscribens: „Quae doctrina, tantum certe abest, ut sit alterum Evangelium „Christi, quod possit cum eo comparari, quod ego vobis „nuntiavi, atque ab alio quopiam, ut ajunt, apostolo praedicatum sit, ut debeatur duntaxat Ethnicis nonnullis, „qui in Judaea vixerunt, ex Gnosticorum secta, qui „docent, gentiles Evangelium complexos oportere circumcidi, non ex pietate quadam, aut vero erga legem „Mosaicam studio, sed ut ambiant favorem Judaeorum, „fugiantque persecutionem Christianis incumbentem et „q. s.“ Atqui ista sine ulla ratione finguntur. Etenim, ut vere monet Clericus, Gnosticis istis, maxime si Ethnici erant, minime videntur Judaeorum vexationes in urbe Galatiae fuisse pertimescendae, adeo ut Judaismum simulare cogerentur. Sed si de hoc ipso minus constaret, tamen, ut in re non satis explorata, minime in Paraphrasi usurpandum fuit Gnosticorum nomen. Atque horum etiam in loco simillimo ad *Philipp. III.* 2. in Paraphrasi mentionem facit Hammondus.

Neque etiam ejus erroris immunes habendae sunt Paraphrases Semleri, qui multa ex antiquitatibus Judaicis et Christianis pulchre illustrans, saepe tamen in hoc genere nimius, cum aliorum errorum ac opinionum Judaicarum, tum in primis ejus, qua se populum unice deo dilectum ferentes, caeteras nationes tamquam deo exosas adspernabantur, passim in libris sacris sine ratione videt reprehensionem. Quod ut uno saltem exemplo declaremus, ea quae dicit *Joannes* Ep. I. IV. 12. *Θεὸν οὐδεὶς πώποτε τεθέαται,* ejus Paraphrasis sic circumscribit: „Neque superest vel umbra rationis, quae Judaeorum istam ignaviam porro excusare posset, qua „deum suae genti quasi proprium describere solebant. „Etsi enim inde ab istis libris Mosis illa descriptio saepe „occurrit, *deum apparuisse*, (quod Judaei negant con-

„tigisse gentibus aliis) certum tamen est, neminem um-
„quam humanis oculis sic conspexisse deum, uti con-
„spicimus res loco et tempore circumscriptas, sejunctas
„et divisas ab aliis. Itaque nec in Palaestina tantum
„habitat deus, sed ubique praesens operatur. etc." Quae quantopere ab apostoli consilio et sermonis contextu aberrent, diximus pluribus ad hunc locum in lectionibus exegeticis. Idem ad Ep. Jacobi passim, inprimis ad v. 12. a sensu aberrans misere argutatur.

§. 13.

Sequitur, ut de *interpretatione* dicamus. Est autem interpretari, ut alio loco diximus, nihil aliud, quam *res et verba sic explicare, ut intelligendi difficultas tollatur.* Interpretatio vel brevior est et adstrictior, vel uberior atque explicatior. Illa *scholiorum* nomen habet, haec *commentarii.* Ista autem interpretationis brevitas non verborum paucitate censetur, sed partim explicandi necessitate, partim facilitate intelligendi. Nam qui vel ea explicat, quae per se facilem habent intellectum, vel ea dicit, quae non minus obscura sunt iis, quae explicari debeant, is quamvis paucissimis verbis utens, vel rem agit haud necessariam, vel munere suo admodum imperite fungitur. Ergo qui scholia scribit, is primum videre debet, quaenam loca interpretationis luce indigeant, ac deinde haec ita explicare, ut intelligendi difficultas tollatur. Brevitas autem in hoc inest, ut ea tantum dicantur, quae ad hoc consilium spectant. Hoc igitur fine scholiorum interpretatio continetur. In quo differt a commentario, qui non modo difficilia, quantum satis est, explicat, sed etiam explicandi caussas adfert, et ad confirmandam stabiliendamque interpretationem omnem doctrinae copiam expromit.

Est autem omnis, ut commentarii, sic scholiorum interpretatio duplex, alia *verborum,* alia *rerum.* In

interpretandis verbis scholiorum scriptor sic versari debet, ut vocabula difficilia facilioribus, rariora obviis, tropica propriis explicentur, ellipsis difficilior omnis suppleatur, denique orationis schemata intellectum non facilem aut ambiguum habentia aperiantur. Hoc illi sufficere debet. Commentatoris vero est haec omnia ex usu loquendi collato e scriptoribus, sive sacris, sive profanis, testimoniorum pondere firmare. Exemplo sit locus Paulli I. *Tim. III.* 13. ubi de Diaconis illa dicit: οἱ καλῶς διακονήσαντες βαθμὸν ἑαυτοῖς καλὸν περιποιοῦνται. Hic duplex objicitur difficultas a substantivo βαθμὸς et a verbo περιποιοῦνται. Ad prius illud scholiorum scriptori monuisse suffecerit id, quod habet Beza: Ἐπὶ τὴν ἀνωτέρω τάξιν πρόβασιν. Etenim loci sensus is est: *Qui munere Diaconatus recte fungatur, eum hoc ipso sibi gradum parare ad altiora*, scilicet ad Presbyterium. Sed etiam offendit in hac conjunctione verbum περιποιεῖσθαι. Nam insolens plane loquendi formula est: *gradum adquirere*. Ergo ad hoc scholiorum scriptor monebit id quod satis est: Paullum catachresi, id est translatione duriori usum hoc dicere voluisse: *Illos sibi parare jus quaesitum petendi altiora*. Commentator vero hoc genus loquendi collatis, cum ex aliis scriptoribus, tum ex ipso Paullo exemplis illustrabit, inprimis laudans illa quae non minus dura videntur ejusdem Ep. VI. 19. ἀποθησαυρίζοντας ἑαυτοῖς θεμέλιον καλὸν εἰς τὸ μέλλον.

Eadem brevitas etiam est adhibenda explicandis rebus. Ergo ad has quoque Scholiasta tantum monebit, quantum suffecerit, ut caveatur, ne res aut perperam aut prorsus non intelligantur. Earum autem uberiorem cum explicationem, tum confirmationem relinquit commentatori; ut quum Paullus Timotheum monet I. I. 4. μὴ προσέχειν μύθοις, intelligendas esse fabulas mythologicas, quibus Judaei religionem contaminarunt, scholiorum scriptor totidem fere verbis dicet. Com-

A a

mentator vero nonnulla etiam harum exempla commemorabit, ut „de homine facto primum ἀνδρογύνῳ; de „ejus concubitu cum bestiis; de daemonibus inde natis; „de Behemotho et Leviathane; de animarum ὑπάρξει „ante corpus; de angelis in sidera et regiones distributis;“ ut fecit Grotius. Conf. „Kritische Geschichte des Chi„liasmus. T. I. pag. 56 seqq.“ Simili ratione, quum *Actt. XXII.* 25. Paullus virgis caedendus centurionem interrogat, utrum fas sit, *civem Romanum verberari?* quid ista interrogatio valeat, indoctus lector haud intelliget. Ergo admonendus erit: *Lege Porcia ac Sempronia cautum fuisse, ne quis civis Romanus verberaretur, aut necaretur*, idque Scholiastae satis fuerit: commentator vero praeterea prolatis, quae de hac re laudari possunt, *Livii*, *Ciceronis* atque *Sallustii* locis hanc admonitionem confirmabit.

Praeter haec Ernestus dicit: *commemorandam esse varietatem lectionis, quae alicujus momenti videatur, et in locis difficilioribus varietatem interpretationis.* Hic quaeritur, quaenam lectionis varietas alicujus momenti censenda sit. Atque si de textu constituendo, et de excutiendis diligentia critica codicibus agatur, talis omnino habenda est, non modo ea, quae vel melior, vel par etiam ei videatur, quae vulgo Editiones obsidet, verum etiam si quae sensum fundat non spernendum, ut, quamvis minime aequiparanda vulgatae, per se tamen improbari haud possit. At vero in scholiis scribendis lectionis varietas aliam habet dignationem. Ibi enim haec numquam requiritur, nisi ubi vulgata lectio aut aperte falsa est, aut improbabilis, aut cum qualicumque conjuncta difficultate. Ut quum *Act. XXVII.* 8. urbs commemoratur *Λασαία*, cujus mentio nusquam alibi fit, haud praetereunda videtur lectio codicis Alexandrini, qui habet *Ἄλασσα.* Ita memorabilis porro in primis est lectio ejusdem aliorumque codicum, qui I. ad *Tim. III.* 16. in illis verbis, *θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ*, pro *θεὸς* le-

gunt ἂς, et *Joann. Ep. I. V.* 7 sequ. ubi ea, quae vulgo in Editionibus leguntur, verba: Ἐν τῷ οὐρανῷ, ὁ Πατὴρ, ὁ Λόγος, καὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα, καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι. Καὶ τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῇ γῇ, in uno tantum codice Graeco admodum recenti, neque optimae notae leguntur, et ab optimis interpretibus magno consensu pro spuriis et intrusis agnoscuntur. — Idem valet de interpretationis varietate: quae non debet commemorari nisi in locis difficilioribus, qualia exempli caussa sunt illa: ad *Philipp. II.* 6. οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο etc. *II. Thessal. III.* 2. οὐ γὰρ πάντων ἡ πίστις. *II.* ad *Tim. III.* 16. πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος etc. Sed in his ipsis et similibus locis modus tenendus est hic, primum ut ipsae explicationes per se, ac sine ulla caussarum expositione brevissime commemorentur, tum ut interpretum ab se dissentientium sententiae tantum proferantur illae, quae hactenus probentur omnes, ut, quae caeteris praeferri debeat, haud facile possis decernere.

§. 14.

De *commentario* jam nonnulla diximus ad §. superiorem. Est enim cum *rerum* tum *verborum* explicatio uberior, cum caussarum interpretandi et testimoniorum commemoratione conjuncta. Verborum cura partim *critica* est, partim *hermeneutica*. Illa versatur in stabilienda lectionis veritate, haec in explicando verborum sensu. Utrumque munus conjungit plenus commentarius, et qui nomen isthoc κατ' ἐξοχὴν usurpat. Neque vero haec sunt necessario conjuncta, sed alius commentarius criticus esse potest, alius hermeneuticus. Ita Heynius in Tibullum duos commentarios scripsit sejunctos, alterum criticum, alterum hermeneuticum. Itemque horum generum singulorum diversa potest esse tractatio. Nam aut lectionis varietas, quamvis plene et adcurate, brevius tamen commemoratur, adsperso passim brevi judicio, et in rebus gravioris mo-

menti uberiori disquisitione; quod fecit Havercampus ad Lucretium, Heynius ad Virgilium, Wetstenius ad libros sacros N. T. lectionis varietatem mediam inter textum ac commentarium interserentes; aut omnis lectionis diversitas adcurate ac copiose excutitur justo commentario, qualis est ille, quem dixi, Heynii ad Tibullum multorumque in Belgio virorum doctorum, quorum omnis pene commentatio est e genere critico.

Eadem diversitas obtinet in commentariis *hermeneuticis*. Nam aut quaecumque ad explicandas res et verba faciunt, partim ex ipso scriptore, partim ex aliis congesta, quantum ad intelligentiam loci satis est, expenduntur, aut una tantum interpretationis hujus grammaticae parte, neglectis caeteris, commentator fungitur. Quod genus commentandi, quamquam sane imperfectum est, tamen auctores suos habet. Ex hoc genere Wetstenii est commentarius, qui omnem cum rerum tum verborum curam ad scriptorum partim Graecorum, partim Judaicorum refert comparationem. Semleri vero commentarii fere toti versantur in conferendis ad scriptorum sacrorum illustrationem antiquitatibus ecclesiasticis. Verum haec omnia, ut ante dixi, una complectitur commentarius justus, cujus exemplum habemus in *Grotii Adnotationibus in libros sacros N. T.* Primum igitur munus talis commentarii continetur *lectionis veritate stabilienda*. Eum in finem primo commemoranda est lectionis varietas omnis, quae aliquid momenti habet, id est partim ea, quae possit cum lectione vulgo recepta contendere, partim etiam ea, quae licet parum probabilis, non tamen aperte falsa ac vitiosa possit judicari; illa quidem, ut, rebus omnibus expensis, quo modo legendum sit, statuatur; haec, ut refellatur. Lectionis autem cognoscendae quinam sint fontes, aestimandae qui modus, adcurate ab Ernesto praecipitur Part. III. C. VI. Fontes quidem communes ac pervulgati, e quibus illa haurienda est, sunt *Codices*

scripti, *Versiones antiquae* atque *libri Doctorum veteris ecclesiae*. Haec vero quando nos destituunt, interdum est in consilium adhibenda *Critica conjecturalis*. Ea sine codicum ope aut externo praesidio, solo ingenio nixa, loca corrupta conatur emendare. Huic in emendandis scriptoribus profanis merito multum tribuitur: tractandis quidem libris sacris modestius est adhibenda, sed tamen ea carere saepe non possumus, atque hactenus omnino probanda est, si conjecturas affert lectoribus judicium relinquens, neque textum mutans, nisi ubi omnia ita clara sunt, ut res ipsa loquatur. Ejusmodi conjecturas virorum doctorum in libros sacros N. T. collectas scriptor quidam Anglus edidit, quae in nostrum sermonem conversae, cum hac inscriptione prodierunt: „Konjekturen über das Neue Testament, „zuerst gesammelt von Wilhelm Bowyer, aus dem Eng„lischen der zwoten Ausgabe übersetzt, und durchaus „mit Zusätzen, und Berichtigungen bereichert von Joh. „Christoph Friederich Schulz.“ Leipzig II. Th. 1774. u. 1775. 8. Nos exempli caussa nonnulla loca proferemus. Ingeniosa est Bentleji conjectura ad *Actt. XII.* 20. et 29. pro πορνείας legentis χοιρείας. Nempe mirum videri debet, quod in rebus per se minime turpibus, sed propter hominum imbecillium offensionem tantum omittendis etiam commemoretur *scortatio*. At si cum Bentlejo χοιρεία legas, verbum hoc caeteris adprime conveniet, omniaque recte procedent. Multi quidem, et in his *Toupius in Suidam* ad v. πορνεία, refelli existimant hanc Bentleji conjecturam loco qui legitur *I. Cor. X.* 7 seq. ubi Paullus, postquam dixisset: Μηδὲ εἰδωλολάτραι, deinde illa subjungit: μηδὲ πορνεύωμεν, respiciens ad ea, quae referuntur *Numeris XXV.* 1. Verum ibi non [illegible] *fornicatio* tantae cladis caussa narratur, sed multo magis cultus Idoli, quod Baal Peor dicebatur. Hoc igitur significans Paullus, verbo πορνεύειν utitur, usu quidem ejus vocabuli Hellenistico, quo defectionem a

veri dei cultu ad cultum Idolorum significat. Atque sic quoque nonnulli vocabulum πορνείαν in illo *Actorum* loco intelligendum putant: sed parum commode, quoniam ibi caetera propriis et consuetis verbis dicuntur, neque, quemadmodum in illo Paulli loco, respicitur ad locum aliquem veteris Testamenti, quo iste hebraismus vindicetur. Sed sume hac significatione πορνείαν dici; tum sane eodem, vel majori etiam incommodo locus urgebitur. Nam cultum fictitiorum deorum, quo ut Judaei, sic Christiani peccatum gravius haud noverant, inter ἀδιάφορα commemorari quis tandem credat? Habet etiam Bentleji conjectura aliquod firmamentum a loco aliquo Juliani Ep. LXIII. ita scribentis: „Christianos ita tenaces esse institutorum suorum, ut libenter ultimam famem et inopiam sustineant, ὑείων ὅπως μὴ γεύσαιντο μήτε πνικτοῦ," quae scribens, si fortasse respexit ad illum locum *Act. XV.* 20. necesse est, ut ibi legerit τῆς χοιρείας καὶ τοῦ πνικτοῦ. Vid. *Ernesti opuscula philologico-critica* p. 333. — Aliud exemplum criticae conjecturalis libris sacris probabiliter adhibitae habemus in loco *Joann. VIII.* 22. Ibi postquam Christus ad Judaeos dixisset: Ὅπου ἐγὼ ὑπάγω, ὑμεῖς οὐ δύνασθε ἐλθεῖν, Judaeis haec tribuitur oratio: Μήτι ἀποκτενεῖ ἑαυτὸν, ὅτι λέγει· Ὅπου ἐγὼ ὑπάγω etc. Atqui est sane, quod aliquis miretur hanc subortam Judaeis cogitationem. Tanaquillus ergo Faber *Epp. II.* 62. viri cujusdam docti conjecturam adfert ita legentis: Μήτι ἀποξενοῖ ἑαυτόν; i. e. *Numquid in exteras terras, relicta Judaea, proficisci parat?* Quam conjecturam vehementer adprobans Faber firmat loco simillimo ex ejusdem *Joannis* C. VII. 35. ubi item Judaei, Christo eadem verba dicente, secum ita loquuntur: Ποῦ οὗτος μέλλει πορεύεσθαι, ὅτι ἡμεῖς οὐχ εὑρήσομεν αὐτόν; μὴ εἰς τὴν διασπορὰν τῶν Ἑλλήνων μέλλει πορεύεσθαι, καὶ διδάσκειν τοὺς Ἕλληνας; Ipsum verbum ἀποξενοῦσθαι bis legitur in versione Alexandrina: *Proverb. XXVII.* 8. et *III. Reg. XIV.* 6. add. libr. apocr.

II. Macc. V. 9. Haec igitur conjectura mihi quoque admodum probabilis videtur: et quamvis fortasse reprehendendus sit Editor, qui eam in contextum admiserit, minime tamen temeritatis accusandum puto illum, qui eam exposuerit, et expositam probaverit. Quo magis miror, Fabrum multos invenisse censores acerbos ac subiniquos, et in his maxime Moshemium in *Cogitationibus de eo, quod justum est circa sacrarum litterarum ex profanis scriptoribus interpretationem et emendationem.*

Addo tertium exemplum ex epistola *Jacobi IV.* 2. ubi illa leguntur: *Ἐπιθυμεῖτε, καὶ οὐκ ἔχετε· φονεύετε καὶ ζηλοῦτε, καὶ οὐ δύνασθε ἐπιτυχεῖν.* Hic igitur verbum *φονεύετε*, in quam lectionem libri omnes conspirant, non modo loci contextus, sed paene dixerim ipsa ratio respuit, ut pluribus ad eum locum soleo dicere. Sed palmaris est emendatio Erasmi legentis *φθονεῖτε*, quam viri magni conjecturam versio Lutheri Germanica, et Turicensis latina merito sunt amplexae.

Caeterum *temeritatem cavendam, et modestam diligentiam* adhibendam esse recte praecipitur ab Ernesto. Nam quum neque in tractandis scriptoribus profanis ferenda sit temeritas atque corrigendi libido, tum multo minus veniam habet in libris sacris, propterea quod lectio temere mutata valere potest ad ipsam religionem corrumpendam. Atque haec res tanto majorem habet cautionem, quod emendandorum scriptorum sacrorum non eadem, quae profanorum, sed saepe contraria est praeceptio. Nam ut hoc unum adferam, in scriptoribus profanis, qui plerique omnes sermonis puritate atque elegantia excellunt, e contrariis his virtutibus vitiis emendandi necessitas ut plurimum intelligitur. Atque omnino lectio quaeque ut elegantior, ita maxime est probabilis. Verum in scriptoribus sacris res contra se habet. Hi quoniam neque elegantiae student, et orationem habent hebraismis permixtam, mi-

nime ad purae graecitatis, severaeque grammaticae normam sunt exigendi. Nam talis correctio nihil aliud est, quam certissima depravatio. Quod nisi quis constanter teneat, licet linguarum et rei criticae peritissimus, isthoc munere pessime fungetur. Ea sine dubio ratio futura erat Editionis librorum N. T. Bentlejanae, si id, quod instituerat, perfecisset. Is nimirum rei criticae profanae longe omnium princeps horum librorum Editionem moliebatur, lectionem sexies-mille locis, ut putabat, emendaturus. In quo ausu quantum temeritatis futurum fuerit, vel ex eo licet conjicere, quod Wetstenius, et criticus non nimium verecundus, et longe majori subsidiorum adparatu instructus, vix totidem centenis locis textum censuit mutandum. Eamdem temeritatis notam in corrigendis aliquot scriptorum sacrorum locis suscepit Marklandus, criticus in primis ingeniosus, et in tractandis scriptoribus profanis magna cum laude versatus. Is igitur in *Animadversionibus ad Lysiam* conatus est plura librorum sacrorum loca corrigere, e quibus nonnulla speciminis caussa adferemus.

Quae igitur *Matth. V.* 19. leguntur: Ὃς δ' ἂν ποιήσῃ καὶ διδάξῃ, οὗτος μέγας κληθήσεται ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν, ea Marklandus sic esse mutanda contendit: Ὃς δ' ἂν ποιήσῃ καὶ διδάξῃ οὕτως, μέγας κληθήσεται κ. τ. λ. Caussam mutationis hanc adfert: „Praecesserat enim καὶ διδάξῃ οὕτω τοὺς ἀνθρώπους, ἐλάχιστος κληθήσεται κ. τ. λ. „cui respondet altera pars sententiae. Ut enim ibi διδάξῃ οὕτω, ita hic διδάξῃ οὕτως; et ut illic ἐλάχιστος κληθήσεται, ita hic μέγας κληθήσεται." Non poterat vir doctus conjectare infelicius. Nam ut taceam, talem membrorum concinnitatem in alio quovis scriptore potius quaerendam esse, quam in Matthaeo; minime par est ratio utriusque membri. Priori enim loco vocabulum οὕτω omitti nequibat, nisi Matthaeus videri vellet absurda aut pugnantia dicere, sed addendum erat οὕτω, quod nempe hoc dicebatur: Ὃς ἐὰν λύσῃ, καὶ διδάξῃ λύειν

τοὺς ἀνθρώπους. Posteriori vero loco minime eadem particula requirebatur, quoniam rectissime dici poterat: Ὃς ἂν ποιήσῃ καὶ διδάξῃ, *Qui et ipse haec praecepta observaverit, atque aliis quoque commendaverit.* Quid? quod additum οὕτω sensum ipsum pervertisset? Non enim, ut in priori membro ad διδάξῃ intelligitur λύειν, ita hoc loco supplendum est ποιῆσαι, sed διδάξῃ nunc absolute ponitur, hoc scilicet sensu, quem supra dixi: *Quicumque praecepta ista hominibus commendaverit,* vel, quod idem est, *firma rataque esse docuerit.* Sed etiam pronomen οὗτος, quamvis addendum necessario haud fuerit, additum tamen insignem quamdam habet efficaciam. Ita enim licet vertas: *Quicumque ista cum ipse fecerit, tum aliis commendaverit, is demum prae caeteris magnus habebitur.* Vid. ad *Gal. III.* 7. *Jac. I.* 25. Itaque Marklandus intempestivo hoc concinnitatis studio, a scriptorum sacrorum judicio prorsus alieno, ab ipso loci sensu atque vi aberravit.

Alterum dabo exemplum emendationis male auspicatae, quam idem Marklandus adfert ad *Act. VII.* 58. ubi de Stephani caede haec leguntur: Καὶ ἐκβαλόντες ἔξω τῆς πόλεως ἐλιθοβόλουν. Commate autem proximo eadem sententia repetita legitur his verbis: Καὶ ἐλιθοβόλουν τὸν Στέφανον. Ad haec igitur Marklandus: „Quodnam opus, inquit, ut idem iterum significetur? „Num igitur in priori loco ἐλιθοβόλουν significat: *lapi-* „*dare statuebant, volebant;* in sequenti, *lapidabant,* „ut in isto intentio, in hoc factum denotetur? Attamen „mihi quidem nequaquam hoc vero simile videtur; nec „possum credere, vel Historicum δὶς τὸ αὐτὸ dicturum, „vel eamdem vocem tam diversis notionibus usurpatu- „rum. Forte igitur Lucas scripsit vs. 58. Καὶ ἐκβαλόντες „ἔξω τῆς πόλεως, ἐλιθολόγουν, *lapides legebant,* vel *eli-* „*gebant;* quod postquam factum fuisset, et testes, quo- „rum id negotium in primis erat, vestimenta exteriora „deposuissent, deinde ἐλιθοβόλουν Στέφανον.“ Haec igi-

tur Marklandus. Atqui omnis haec frustra est viri docti circa hunc locum aestuatio. Nam sive sumamus, verbum λιθοβολεῖν bis eodem significatu, sive diverso positum esse, utrumque idoneis, quantum satis fuerit, exemplis confirmari potest. Sed brevitatis caussa utramque rationem singulis, verum luculentis, exemplis illustrabimus. Primum igitur eamdem sententiam, sine necessitate, repeti potuisse, *Marci* evincit auctoritas, qui quidem XV. 24. postquam jam dixisset: *Καὶ σταυρώσαντες αὐτὸν διεμέριζον τὰ ἱμάτια αὐτοῦ*, tamen vs. 25. addit: *Ἦν δὲ ὥρα τρίτη, καὶ ἐσταύρωσαν αὐτόν.* Verum etiam brevi intervallo idem verbum diverso significatu bis potuisse dici, locus demonstrat huic simillimus, qui legitur *Joann. X.* 31. *Ἐβάστασαν οὖν πάλιν λίθους οἱ Ἰουδαῖοι, ἵνα λιθάσωσιν αὐτόν. Ἀπεκρίθη αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς· Πολλὰ καλὰ ἔργα ἔδειξα ὑμῖν ἐκ τοῦ πατρός μου· διὰ ποῖον αὐτῶν ἔργον λιθάζετέ με;* ubi priori loco λιθάζειν ipsum *actum*, posteriori vero *conatum* tantum, seu *voluntatem* significat. Sed fac ista omnino talia esse, ut a scriptore elegantiori nemine dici potuerint, non haec tamen justa corrigendi caussa fuerit, quoniam scriptoribus sacris elegantiae cura minima fuit. Neque porro melius successit Toupio doctissimo viro in *Observationibus in Suidam* locorum quorumdam Paullinorum emendatio. Vid. *Pet. Henr. Koppiersii Observata philologica*, Cap. VII.

§. 15. 16.

Quae hic dicuntur, partim per se clara sunt, partim illustrantur iis, quae diximus supra ad §. 13. Pauca tamen monenda videntur ad ea, quae leguntur sub finem §. 16. Nempe quas latiores Ernestus de rebus difficilibus disputationes vocat, eas viri docti complures excursuum nomine inscriptas, sejunctas a commentario, separatim excudi curaverunt. Atque ita fieri omnino melius erat. Primum enim sic cavetur, ne inserta ipsi commentario longiori disputatione legendi meditandi-

que series et continuatio frangatur: deinde ipsa disputatio multo liberiori cursu, seorsim instituta, omnem rei ambitum pervagari poterit, quam si commentarii angustiis coërceatur. Tales excursus ad Tacitum scripsit Lipsius, ad Sallustium Cortius, ad Virgilium Heynius, ad Callimachum ipse Ernestus, ad libros sacros N. T. Koppius. De quibus autem rebus sint instituendi excursus, id non cujusvis arbitrio relinquitur, sed singularis hoc quoque est praeceptionis. Non enim id agitur, ut aut loci, qui dicuntur communes, perpurgentur, aut si quis quapiam de re plura legerit, aut fuerit commentatus, id nunc expromens omnem doctrinae suae effundat adparatum, sed ut ipsi interpretationi consulatur. Primum igitur excursibus illustranda sunt ea, quae et gravioris sunt momenti et uberiorem requirunt explanationem; aut si quid interpres adferre possit, quod vel plane novum sit, vel quo jam cognita aut melioribus rationibus firmentur, aut nova luce perfundantur. Jam quod ad materiam spectat, aut singulorum locorum difficilium ac vexatorum quaeritur explanatio, aut generalior, sive de rebus, sive de vocabulis instituitur disputatio, ad plura seu unius seu plurium librorum sacrorum loca pertinens, qua vel diversae verborum significationes ex usu loquendi, vel res, ritus atque opiniones ex historia et antiquitatibus illustrantur. Horum generum singulorum exempla satis probabilia habet Koppius. Et primi quidem generis est excursus VII. in *Ep.* ad *Gal. III.* 20. super loco admodum vexato, et ab nemine adhuc satis explicato, ejusdemque excursus VIII. ad ejusdem Ep. IV. 25. Idem saepius vocabula difficiliora, excussis praecipuis, ubi leguntur, librorum sacrorum locis, diligenter illustrat; ut Excursu I. de vocabulo *αἰών*. II. *Quo sensu Jesus υἱὸς θεοῦ apud Paullum dicatur.* III. *De sensu vocis νόμος apud Paullum.* VI. *De sensu vocis πιστεύειν et πίστις in N. T.* et s. p. Postremi tandem generis sunt Excursus I. in Ep,

ad *Thessalonicenses De regno Christi in N. T. formulis βασιλεία Θεοῦ, βασιλεία τῶν οὐρανῶν, βασιλεία Χριστοῦ expresso*, itemque excursus III. in Ep. ad *Ephesios De propheitis inter primos Christianos*. Hosce igitur excursus legentes meditando de hoc genere interpretationis sensum optime tirones informabunt.

§. 17.

In commemorandis atque refutandis aliorum interpretum sententiis modus est ille tenendus, quem Ernestus praecipit: ut non nisi illae adferantur, *quae aliquam speciem habeant*, id est tales, quae rationibus saltem probabilibus possint firmari. Hae igitur cum adferendae sunt, tum etiam ponderandae ac refutandae interpreti eo, quod verum non satis stabilitum videri potest, nisi falsa veri speciem habentia excutiantur. Sin autem, quod in locis obscuris fieri solet, inter plures utra veri similior sit, non possis decernere, sunt illae quidem omnes commemorandae, et dilectus legentium judicio relinquendus. Quae vero interpretationes speciem nullam habent, ut earum falsitas facile perspiciatur, illae non modo non refellendae, sed ne commemorandae quidem sunt, maxime si sint ab auctoribus obscuris nulliusque inter interpretes nominis profectae. Ab hac parte saepius peccat Christophorus Wolfius in *Curis philologicis et criticis in libros sacros N. T.* Qui liber caeteroqui bonus, atque interpretationis sacrae studioso nemini negligendus, hoc quidem praecipuum habet, quod diversas interpretum sententias diligenter recenset, atque sub examen vocat. In quo si justum modum servaret, merito esset laudandus; eoque magis, quod in excutiendis non modo commentariis, verum etiam singularibus libellis ac disputationibus academicis est valde curiosus, multasque etiam adnotationes libris de aliis rebus agentibus insertas passim studiose conquirit. Verum in hoc negotio saepe ab hac parte

peccat, quod nullo dilectu adhibito multa adfert, parum commemoratione digna. Quae res ut in scriptoribus obscuris plane est improbanda, ita in interpretibus caeterum probatis aliquam fortasse excusationem habeat. Horum enim errores haud inutiliter refelluntur, ne vel sola nominis auctoritas iis, qui non satis judicio valent, errandi caussam adferre possit.

§. 18.

Excludere debet commentator primo *latiores de verbis disputationes, ad Lexicon potius augendum, quam ad percipiendum scriptoris sensum valituras*. Neque enim hic id agitur, ut verba per se explicentur, aut omnium significationum ratio reddatur, quod Lexicographi tantum est munus, sed ex omnibus ea tantum seligenda est, quae sit ei loco, qui explicari debeat, unice adcommodata. Id licet clarum, non tamen intellexisse videntur multi superiorum temporum interpretes, in explicandis vocabulis praeter necessitatem verbosi. In quibus e nostratibus Henricus Suicerus in amplo in Epistolam ad Colassenses commentario vocabulum ὑστέρημα, quod I. 24. legitur, ita explicat: „Ὑστέ-„ρημα, inquit, significationem suam trahit ab ὑστερέω, „quod aliquando τῷ πρωτερέω (scribendum erat πρωτεύω, „nam πρωτερέω nullum est verbum) *prior sum*, oppo-„nitur, et *posteriorem, inferiorem esse* significat, quo „sensu apostolus de se ipso dicit: *Λογίζομαι μηδὲν ὑστε-„ρηκέναι τῶν ὑπὲρ λίαν ἀποστόλων. Existimo, me nulla „in re posteriorem, inferiorem fuisse illis, qui supra „quam valde, sunt apostoli.* II. *Cor. XI.* 5. Aliquando „opponitur τῷ περισσεύειν, *abundare, copiam habere*, „et tum ὑστερεῖν (immo ὑστερεῖσθαι) significat *destitui*, „*non habere, inopiam pati*; qualis oppositio est ad „*Philipp. IV*. 12. οἶδα περισσεύειν καὶ ὑστερεῖσθαι, *novi* „*abundare et defici*, sive *penuriam pati*: confer *Matth*. „*XIX*. 20. *Luc. XV*. 14. XX. 35. et passim. Denique

„ὑστερεῖν quandoque idem est quod ἀποτυγχάνειν, *fru-
„strari aliqua re, eam non adsequi*; ut *Rom. III.* 23.
„πάντες ἥμαρτον καὶ ὑστεροῦνται τῆς δόξης τοῦ θεοῦ, *omnes
„peccarunt et frustrantur gloria dei.* Item *Hebr. XII.*
„15. ἐπισκοποῦντες μή τις ὑστερῶν ἀπὸ τῆς χάριτος τοῦ θεοῦ,
„*curantes ne quis deficiat a gratia dei,* quod ex *Rom.*
„*XI.* 17. explicabis per τὸ μὴ ἐπιτυγχάνειν, *non conse-
„qui.*" Quibus ita disputatis vir doctus, non unam, sed, quod merito mireris, duas priores significationes huic loco vindicans, posteriorem removens, vera tamen interpretatione excidit. Quanto melius Grotius, qui paucissimis verbis interpretatione sic defungitur: „Τὰ ὑστερήματα, id est τὰ λοιπὰ, *id quod deest.*"

Sed in *rebus* quoque exponendis haud secus peccatur a multis. Ac primum quidem *antiquitates* nonnulli tam fuse explicant, ut eorum quae de re aliqua adferri possint, nihil omittant, perinde ac si non scriptor explicandus, sed corpus aliquod antiquitatum esset compilandum. Quo more perversius nihil cogitari potest. Res quidem antiquae hactenus sane sunt explicandae, ut loci, cujus explanatio quaeritur, intellectus pateat: quidquid praeter ea additur, plane supervacaneum est censendum. Qui plura desiderat, ei adeunda sunt lexica atque thesauri antiquitatum, omnibus perinde scriptoribus illustrandis scripti. Hoc nomine merito a viris doctis reprehenduntur commentarii Samuelis Pitisci in Suetonium et Curtium, in quibus fere solae antiquitates sic explicantur, ut eadem eadem de caussa ad unumquemque ejusdem aetatis scriptorem possint adnotari. Similis error in interpretandis libris sacris est *Joannis Braunii* viri doctissimi, cujus habemus commentarium in epistolam ad *Hebraeos*, spisso volumine forma quarta. Ibi quidquid ad antiquitates spectat, praeter modum ac rationem fuse explicatur, multaque adferuntur ad sensum aperiendum plane nihil facientia. Ita exempli caussa ad Cap. IV. vs. 12. 13.

commentatio sexdecim paginas explet, ejusque plurima pars docet, quid sit μάχαιρα δίστομος et τραχηλίζειν. Atque ista commentatio qualis sit, partim intelligitur e titulis margini adscriptis; sunt autem tales: *Δίστομος quo sensu gladius laniotiis — Tela veterum, Germanice — Syriace — Tales cultri apud laniones non frequentes — Tamen reperiebantur — Gladius δίστομος quomodo examinetur — Pugio — Lanionis sors est honorifica et circumcisoris — Qualis culter adhibendus in mactatione — Culter acutissima debet esse acie — Variae crenae in cultro — Culter perscrutandus est, quomodo —.* Haec omnia late explicans tandem etiam in tabula diversas cultrorum formas oculo subjicit, unam cultri ordinarii, alteram cultri ancipitis, atque sex alias cultrorum diversas crenas, seu vitia habentium. Hoc igitur quid aliud est, quam perquam docte nugari?

Sed in rebus porro explicandis non minus peccant ii, qui *in locos communes dogmatum excurrunt, lectionibus scholasticis aut concionibus aptiores, quam commentario.* Ista quoque labes olim litteras antiquas invaserat, multis in enarrandis politice aut pragmatice, ut dicebant, scriptoribus historicis sibi valde placentibus. Ita observationes politicas in *Sallustium* atque *Florum* scripsit Adamus Rupertus; in *Cornelium Nepotem* ac *Suetonium* Boeclerus: in *Tacitum* denique permulti. Quorum omnium opera tamquam parum utilis in se, neque ad intelligendos scriptores commoda contemta est a viris doctis, atque merito ab Ernesto in praefatione ad Tacitum explosa. Sic etiam multi post sacra repurgata interpretes commentariis suis dogmata longe lateque exposuerunt, cum ampla aliter sentientium confutatione. Quibus justa est excusatio ab illorum temporum ratione. Nondum enim theologia dogmatica atque moralis separatim traditae sunt, sed his quoque muneribus una cum librorum sacrorum inter-

pretatione fungebantur. Praeterea quum adhuc nova doctrina quovis modo esset firmanda ac stabilienda, omnem fere occasionem arripiebant, ut decretis suis cum librorum sacrorum argumento convenire, vetera ab illo disentire demonstrarent. His autem nostris temporibus neque usus est, et quoniam dogmatica ac polemica separatim traduntur, cum interpretatione haud sunt confundenda.

§. 19.

Haud potest omnino librorum sacrorum interpretatio scriptorum profanorum adjumento carere. Multa ex antiquitatibus explicanda sunt, atque etiam est, quatenus usus loquendi e graecitate profana illustretur. Hinc utilis censetur opera virorum doctorum, Elsneri, Kypkii, Raphelii, aliorumque, qui usum loquendi scriptorum sacrorum ab hac parte cum profanis sive singulis, sive pluribus, contulerunt. De quo in alio capite plura dici solent. His igitur aliqua fortasse in adferendis scriptorum locis abundantia conceditur. Qui vero justum commentarium scribit, ex illis tantum delibare debet, quantum satis est, ad usum loquendi partim illustrandum, partim confirmandum. Ad hoc autem consilium plerumque satis est, singula paucorum scriptorum, saepe etiam unius testimonium laudasse. Ab hac parte saepius culpa haud vacat Wetstenii commentarius, quamvis illustrandae N. T. Graecitati potissimum destinatus. Nam ad explicanda vocabula magnam vim testimoniorum profert ab se dissentientium: ut I. ad *Tim. V.* 4. ad vocem ἔκγονα, qua nepotes significari satis clarum est, laudat *Ammonium, Thomam Magistrum, Artemidorum, Eustathium, Isocratem, Pindari Scholiastam, Etymologicon magnum, Galenum* atque *Hesychium*, quorum alius *filium*, alius *nepotem*, alius *pronepotem* hoc vocabulo significat. Idem in illustrandis vocabulis aut phrasibus haud ita difficilibus

multitudinem testium advocat minime necessariam. Sic in eodem vs. ad illustrandam formulam ἀμοιβὰς ἀποδιδόναι vel mediocriter graece docto nemini obscuram laudat *Dionysium Halicarnassensem*, *Euripidem*, *Philonem*, *Iosephum*, *Aristaenetum*, *Lucianum*, *Synesium*, *Moeridem*, *Hesychium*, *Plutarchum*, atque *Polybium*. Eademque abundantia utitur in vocabulis per se claris minimeque explicandis, ut IV. 7. ad verbum γυμνάζειν, V. 9. ad ἔλαττον ἐτῶν ἑξήκοντα, VI. 4. ad λογομαχία et s. p.

§. 20.

Verissima est Ernesti admonitio: *Libros N. T. non esse ad dialecticam methodum subtiliter scriptos*, itaque neque sic esse interpretandos. Quum enim constet, scriptores sacros fuisse homines indoctos et dicendi rudes, haud sane in eorum scriptis quaerenda est illa vel cogitandi subtilitas vel scribendi adcuratio, qua vel in bonis scriptoribus pauci excellunt. Ergo qui omnia in iis rimantur, atque vel membrorum omnium conjunctionem dialecticam quaerunt, vel verborum subtilitatem philosophicam, ii plerumque in argutias incidunt, a vero sensu maxime alienas. Saepe videas Paullum, quamvis caeteris disertiorem, crassa tamen Minerva rem agere, atque ideas non rationis, sed phantasiae lege nectentem ab orationis filo aberrare. Ut I. ad *Tim.* Ep. I. postquam Timotheum multis admonuisset, ut sibi a falsis doctoribus caveat, statim ista vs. 12. subjungit: Καὶ χάριν ἔχω τῷ ἐνδυναμώσαντί με Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν, ὅτι πιστόν με ἡγήσατο, θέμενος εἰς διακονίαν. In his Beza logicam cum superioribus conjunctionem quaerens, „Non temere, inquit, Apostolus ad hanc „orationem descendit. Quum enim Timotheum adhor„tatus esset veluti ad certamen cum omnibus homini„bus suscipiendum, adferendum fuit aliquod insigne „exemplum, ex quo intelligeret, quae sit vis spiritus

„dei in iis, quos ad perferendi Evangelii munus delegit, „quantumvis alioqui prorsus ab eo alienis. Non poterat „autem magis insigne, vel ipsi Timotheo magis aptum „exemplum adferre.“ Atqui in istis sic connectendis, Bezam maximopere falli, mihi plane est persuasum. Nempe hic digressionem Paullus instituit una illa inductus enuntiatione, incidente ὃ ἐπιστεύθην ἐγώ, a qua demum ad propositum revertitur vs. 18. — Simillima ratio est ejus digressionis, quam idem Paullus instituit ad *Eph. III.* 1 — 14. Superiori scilicet capite postquam Ephesiorum felicitatem praedicasset, ut qui antea veri dei expertes in bonorum ex hac divina societate manantium consortionem venissent, tum se ipsum commemorat tamquam eum, per quem ista caeterarum gentium cum populo dei consociatio maxime esset perficienda. Idque fervido Paulli ingenio saepe accidit, ut vel uno tantum vocabulo admonitus ad ideas vel notiones divertat minime cum proposito conjunctas. Eamdem ob caussam neque singulorum vel capitum vel librorum argumenta ordine dialectico possunt enarrari, et inanis est opera eorum, qui haec analysi dialectica disponere sunt conati.

§. 21. 22.

Reprehenditur illud vitium, quod inest in interpretatione aut a possibilitatibus e natura rerum, aut a notionibus philosophicis ducta. De quo genere plura diximus in Capite *de sensu verborum*. Conferatur, quam ibi laudavimus, Ernesti disputatio *De vanitate philosophantium in interpretatione librorum sacrorum*, quae legitur in ejus *Opusculis philologicis criticis* pag. 233. seqq. Est autem hoc vitium maxime eorum, qui idonea linguarum scientia destituti ex rerum definitionibus sensum eruere conantur. Atqui hanc operam prorsus inanem atque irritam esse, vel ex eo patet, quod res rite definiri nequeunt, nisi vocabulis primum intellectis, vocabulorum autem intellectus unice peten-

dus est ab usu loquendi, qui non modo in linguis et ae-
tatibus, sed etiam in singulis scriptoribus differt. Quae
res parum observata non modo hominibus linguarum
non satis peritis, sed nonnumquam etiam viris doctis-
simis errandi causa fuit. Ut II. *Petr.* I. 1. ubi haec le-
guntur: τοῖς ἰσότιμον ἡμῖν λαχοῦσι πίστιν ἐν δικαιοσύνῃ τοῦ
θεοῦ ἡμῶν καὶ σωτῆρος Ἰησοῦ Χριστοῦ, interpretes mul-
tos verus loci sensus fugit, ipsumque adeo Grotium
vocabulum δικαιοσύνη e vulgari definitione interpreta-
tum. „Justitiae, inquit, inter alia pars est, stare pro-
„missis. Promisit Christus, et per Christum deus, vi-
„tam aeternam credentibus sibi, nempe ea fide, quae
„obedientiam habeat comitem. Id praestabit procul
„dubio.“ Atqui hae merae sunt argutiae. Nempe com-
potes verae doctrinae factos dicit apostolus minime ju-
stitia, sed divina gratia, quod in primis saepe Paulus
dicit, v. c. ad *Ephes. II.* 4—9. unde ipsa Christi do-
ctrina modo τὸ εὐαγγέλιον τῆς χάριτος, modo ὁ λόγος τῆς
χάριτος τοῦ θεοῦ, ut *Act.* XX. 24. 32. modo ipsa χάρις
vocatur, ut *Jo. I.* 17. ad *Rom. VI.* 14. Eam vero signi-
ficationem vocabulo δικαιοσύνη usus hebraeo-graecus
vindicat. Ut enim hebraeis צְדָקָה primum *justitiam*,
deinde vel *benignitatem*, vel *beneficientiam*, ac sepa-
ratim *stipem*, quae pauperibus confertur, significat,
ita scriptoribus Alexandrinis vocabulum Graecum δι-
καιοσύνη totidem modis usurpatur. Ita *Genes.* XX. 13.
Abrahamus conjugi Sarrae, ταύτην, inquit, τὴν δικαιο-
σύνην ποιήσον ἐπ᾽ ἐμέ, *Id quaeso gratificare mihi.* Ad
Cor. II. IX. 9. ἡ δικαιοσύνη αὐτοῦ μένει εἰς τὸν αἰῶνα, *Be-
neficientiae ejus fructus manebunt in aeternum.* Ita-
que illum Petri locum versio Stolziana cum plerisque
aliis minus perite sic reddit: „Die ihr durch die Gerechti-
„tigkeit unsers Gottes und Jesu Christi unsers Beseli-
„gers zu dem uns gleich theuern Glauben gelangt
„seyt;“ aliquanto melius Bahrdtius: „Allen, die mit
„uns gleichen Antheil des Glaubens an der Heil brin-

„genden Gnade unsers Gottes und Heilands Jesu Chri„sti erlangt haben:" sed omnium optime anonymus Telleri interpres: „Den Christen, die durch die Güte „unsers Gottes und unsers Erlösers Jesu Christi eine „gleich theure Religion wie wir erhalten haben."

Cognatum huic vitium est illud, quod cernitur in *argutiori et difficultatem aliquam inveniendi et explicandi redolente ratione.* Scilicet *arguta* seu difficilis et contorta interpretatio illa est, quae longe est petita, eaque in verbis quaerit, quae neque ex usu loquendi, neque e sermonis contextu, neque e consilio scribentis sponte intelligantur. Hunc locum tractat illa, quam Ammonius laudat, Frommanni *commentatio hermeneutica de facilitate bonae interpretationis nota,* quae legitur in ejus *Opusculis philologici atque historici argumenti* pag. 368. seqq. Hoc genus interpretationis *argutae* atque difficilis a multis superioris aetatis interpretibus fuit frequentatum, qui ingenium neque philosophia, neque litterarum elegantiorum usu subactum habentes, saepe in libris sacris ea viderunt, quorum ne levissima quidem suspicio scribentium animos tetigerat. Operae pretium est videre, quae ad prima epistolae ad Hebraeos verba πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως multi interpretes mirifica sunt commenti. E quibus, qui vel sobrie rem agere videri volunt, πολυμερῶς de *diversis temporibus*, πολυτρόπως de *diversis modis* dictum existimant, quorum quinque distinguuntur: *Visio*, *somnium*, *aenigma*, *figura*, *adlocutio divina*. Ista vero idem ille, quem supra laudavimus, *Braunius*, in commentario suo mirum in modum exornat. Primum ad: πολυμερῶς „Deus, inquit, sane locutus est πολυμερῶς, „*pluribus temporibus*, et *per plura capita et partes*. „Locutus est ante diluvium, post diluvium usque ad „tempora Abrahami; inde ad tempora Mosis, judicum „et regum; inde ad captivitatem Babylonicam, et ad „tempora Zorobabelis. Sed et per varias partes et ca-

„pita mysteria salutis elocutus est, de semine mulieris.
„Plurima sane capita et partes continet verbum dei, de
„lapsu hominis, de ejus restitutione, de filii dei pro-
„missione, incarnatione, passione, morte, resurre-
„ctione, glorificatione, de ejus officiis et administra-
„tione, de vario cultu externo, quo deus coli voluit ab
„Adamo ad Mosen, a Mose ad Christum, et a Christo
„ad finem seculorum etc. etc.“ Atque haec omnia alia-
que plura Braunius e vocabuli Hebraei, quod Graeco
πολυμερῶς respondere dicit, etymologia mirifice evol-
vit. Idem ad alterum vocabulum *πολυτρόπως*, „Ulys-
„ses, inquit, dictus fuit *πολύτροπος*, ob eloquentiam et
„miram dexteritatem, quod se in omnes formare pos-
„set formas, et agere quamlibet personam. Deus ve-
„vera *vario modo* locutus est. Locutus est per *somnia*,
„et per *visiones*. *Num. XII.* 1. *Dan. VII.* 1. Per *alle-*
„*gorias*, per *parabolas*, *mystice*, et *sensu claro*. In
„medio ignium, fulguris et tonitru, ut in monte Sinai,
„*Exod. XIX. XX.* Locutus etiam est ex columna e nu-
„bibus. *Exod. XXXIII.* 8. 9. 11. Locutus est et quoti-
„die loquitur per creaturas mutas. *Coeli enarrant glo-*
„*riam dei, et omnes exercitus.* etc. *Psalm. XIX.* 2.
„Immo et per animalia bruta locutus est, nempe per a-
„sinam Balami. *Num. XXII.* etc.“ Haec igitur et simi-
lia, si, paucis omissis, homileta ad plebem Christianam
diceret, ferri fortasse aut certe excusari poterant, in
interprete autem librorum sacrorum docto et erudito
nulla ratione. Is enim non omnia, quae forte piarum
cogitationum caussa ad locum aliquem adferri possint,
dicere debet, sed ea tantum, quae ipse scriptor cogi-
tans significare voluit. Atqui Paullum duobus hisce vo-
cabulis ea omnia et ipsum cogitasse, et legentes cogi-
tare voluisse, nemo nisi ineptus opinabitur. Bene igi-
tur versio Stolziana duo haec vocabula tamquam mere
synonyma sic reddit: „Auf verschiedene und mannig-
„faltige Weise.“

§. 23. 24.

Brevitatem merito interpreti commendat Ernestus. Sed brevitas, ut alio loco diximus, non verborum paucitate censetur, sed partim explicandi necessitate, partim intelligendi facilitate. Itaque brevis is est, qui non plura dicit, quam ad loci explicandi intelligentiam requiruntur, verbosus, qui plura. Sed etiam aliud est vitium verbositati adfine in *abundantia* positum, in quod incurrunt ii, qui non ea tantum adferentes, quibus loco alicui, quantum satis est, lucis adfundatur, amplas sive de rebus, sive de verbis disputationes instituunt, totosque adeo de quaestionibus dogmaticis, vel historicis, vel antiquariis locos perpurgant, quales sunt illae, quas Ernestus commemorat, Vitringianae commentationes in Jesajam, Lampianae in Joannem. Sed de hoc vitio satis est dictum supra ad §. 18. ubi similem Braunii errorem reprehendimus. Hic autem sermo est de verbositate.

Sed ad brevitatem plurimum prodesse Ernestus dicit facultatem bene scribendi. Ea bene scribendi facultas duabus rebus cernitur, nempe et recte cogitandi arte, et bene eloquendi. Recte is cogitat, qui et notiones distinctas habet atque explicatas, easque justo ordine, id est ita conjungit, ut alia ex aliis apta suo quodam interno lumine clareant, et ex antecedentibus consequentia sponte intelligantur. Bene eloquitur, qui sic cogitata verbis comprehendit aptis et ad unamquamque rem accommodatis, ita ut vocabula omnia barbara, obsoleta, novata, peregrina, ambigua caveantur, omnisque sermo efferatur verbis consuetis ac propriis, eo quidem sensu, quem usus loquendi optimorum scriptorum iis tribuit. Unde puritas illa nascitur, quam Ernestus dicit esse ad perspicuitatem necessariam. Sine duabus autem his virtutibus nemo umquam probabilis interpres exstitit. Nam qui non recte cogitat, id est notiones confusas et complicatas habet, neque ordinatas, is neque

ea, quae fortasse recte sed obscure sentiet, clare eloqui valebit, et ordine sublato, multa miscebit ac turbabit, jam dicta saepius aliis verbis repetens, unde nascitur inutilis ac molesta sermonis abundantia. Eo vitio fere laborant Semleri cum caetera scripta omnia, tum commentarii quos scripsit in libros sacros plerique cum obscuriores, tum justo verbosiores. Is enim vir magnus et in paucis doctrina excellens, nimia in multis festinatione usus, cogitandi subtilitatem neglexit.

Sed neque satis est interpretem recte et subtiliter cogitare, nisi etiam sic cogitata bene eloqui sciat. Nam quod Plato in *Phaedon.* 64. dicit: *Εὖ γὰρ ἴσθι, ὦ ἄριστε Κρίτων, τὸ μὴ καλῶς λέγειν οὐ μόνον εἰς αὐτὸ τοῦτο πλημμελές, ἀλλὰ καὶ κακόν τι ἐμποιεῖ ταῖς ψυχαῖς*, id de omni sermonis negligentia intelligendum patet latissime. Etenim omnis sermonis perversitas sponte manat ad rerum ac notionum perturbationem, quique vocabulis utitur non bene lectis, id est non propriis, aptis, et ad rem dicendam adcommodatis, is neque id dicet, quod cogitat, et legentes vel audientes cogitare voluerit. Neque vero hoc tantum de sermone latino valet, quem Ernestus hic potissimum intelligi vult, quoque, ex quo docti latine dediscere coeperunt, pauci probabiliter utuntur, verum etiam de vernaculo. Quamquam vix quisquam sit, qui hujus non peritissimum se arbitretur, pauci ita loquantur vel scribant, ut neque plus, neque minus, neque aliud significent, quam significare velint. Sed nimirum apte et concise dicere artis haud mediocris, neque vulgaris est exercitationis. Haec autem facultas facillime paratur optimi cujusque veterum scriptorum, quique e recentioribus hisce non sunt dissimiles, paucorum adsidua lectione atque imitatione. Id vel maxime confirmat eorum, qui optimi habentur, librorum sacrorum interpretum exemplum. Nam ex omnibus qui in legendis scriptoribus antiquis plurimum erant versati, etiam bene scribendi facultate excellunt, ut

Erasmus, Grotius, ipse Ernestus, iidemque in interpretandis libris sacris cum brevitate, tum perspicuitate praestant.

§. 25, 26.

Adhibendam esse *constantiam quamdam in usu praeceptorum, ne aut universe probetur, quod in singulis caussis repudietur, aut idem quum commodum sit, probetur, quum secus sit, improbetur*, rectissime praecipit Ernestus, quamvis ipse non ejus praecepti ubique memor, id quod a nobis in capite de dictione tropica judicanda et interpretanda satis superque fuit demonstratum. Ibi enim §. 7. seqq. quae antea de tropis recte praeceperat, partim deserens, partim in alium sensum contorquens, multa miscet ac turbat eo consilio, ut quibusdam Lutheranorum dogmatibus, de *communicatione idiomatum* in persona Christi, et de *consubstantiatione*, quae dici solet, praesidium aliquod atque fulcrum quaerat. Idem facit in dissertatione *de praesentia corporis et sanguinis J. C. in sacra coena*, quae legitur in ejus opusculis theologicis p. 187. seqq. ubi mirifice argutatur, ingenio male abutens, et praecepta in se verissima pervertens, ad inducendum aliquem falsis et absurdis veritatis colorem.

Hujus igitur tanti viri exemplum omnem librorum sacrorum interpretem monere debet, ut sibi caveat ab omni partium studio, quae solet esse hujus in interpretando inconstantiae frequentissima caussa. Atqui decet, virum doctum, et bonum, et veri amantem animo puro et vacuo ab omni praejudicata opinione ad interpretandos libros sacros accedere, neque ad sectam, neque ad dogma ullum respicientem, id solummodo quaerentem, quod et recta regularum praeceptio, et usus loquendi, explorato scribentis consilio et loci contextu, ultro suppeditabit. Qui vero jam in principio de eventu sollicitus tuta omnia circumspicit, atque vel dogmati alicui metuit, vel partis aut hominis alicujus cavet offensam, is interpretis librorum sacrorum munere numquam ex dignitate fungetur.


Sed praeter hanc est alia, eaque non minor hujus in interpretandis libris sacris inconstantiae caussa, quae praecipue sub finem superioris seculi ingravescens usque ad hac aetatem permanavit. Exorto enim Leibnitii atque Wolfii opera claro philosophiae lumine multi boni

viri, ab hoc religioni metuentes, in libris sacris omnia ad rationem revocare quoquo modo studuerunt. Recenti vero memoria Bahrdtius atque Paullus, viri docti et ingenio valentes, offensi miraculorum, quae in libris sacris referuntur, insolentia atque multitudine, ea quoque ad caussas naturales et consuetum rerum ordinem revocare sunt conati, interpretandi ratione arguta, contorta, atque ab hermeneutices sanae praeceptis plurimum aberrante. Sed et alii, quamvis magis sobrii et verecundi, si quid in libris sacris traditum ad nostrae aetatis sensum gravius videretur offendere, id interpretando velut extenuantes ac diluentes bene se de religione mereri existimarunt. Velut ad illa, quae leguntur I. *Petr. III.* 18. seqq. *IV.* 6.. quantum ineptiarum interpretes satis probati, et in his ipse Grotius, vir summus, protulerit, dicere piget ac pudet. Atqui nisi clara, simplicia, et aperta studiose turbare ac pervertere velis, ibi nihil aliud dicitur, quam quod verba ipsa manifeste significant: *Christum, postquam in vitam redierit, descendisse ad inferos, ut ibi animos eorum, qui tempore Noachi adversus deum quasi rebelles diluvio perierunt, doctrina sua ad meliorem mentem perduceret.* Sed nimirum boni illi viri librorum sacrorum auctoritati metuentes, si quid in illis tradi concederent, quod viri docti, et ut veri amantis, ita minime superstitiosi judicio haud facile probaretur, ad minuta perversae interpretationis artificia confugere maluerunt, quam id, quod sole clarius erat, videre. Quanto autem praestabat in his aliquem scriptoris, tamquam hominis, neque omnia divino instinctu scribentis errorem agnoscere, quam clara et aperta frustra celando apud multos de ipsius libri auctoritate gravem commovere dubitationem. Praeclare de ea re Semlerus: „Verbosissime, inquit, et hic multi interpretes id egerunt, ut sensum aliquem describerent, qui lectores hujus temporis seriores non prorsus offenderet: ipse Beza multum diligentiae in eam rem impendit. Nec ego refutabo istam diligentiam; quia lectorum idem est jus, ac ego mihi sumo. Sed et hoc prae me fero, falsam hanc esse regulam, quae hoc occupat: in libris sacris non occurrere tales sententias, quibus Christiani posteriores et perfectiores non possint ipsi accedere, aut quas non possint isto in loco omnino relinquere. Isti tirones Chri-

„stianismi debent tirociniorum specimina prodere, ut „sint tirones; perfectissima cognitio est temporum et „Christianorum posteriorum." Haec igitur optime ad meum sensum Semlerus. Sed si quis malit id quod Petrus aperte dicit, verum existimare, ut nempe Christus post mortem in orcum descenderit, eorum qui e corpore excesserant animis Evangelii doctrinam traditurus, quae patrum doctissimorum fuit sententia, eum ego certe multo lenius feram, quam clarum loci sensum pervertentem.

Hanc inconstantiam etiam cerni in eo dicit Ernestus, quod *nonnulli antiquitatem nimis extollant, contra, quum ipsi aliquid novi adtulerint, eamdem deprimant.* Atqui duplex hic error plerumque non eorumdem hominum est, sed diversorum; proinde neque haec est inconstantia, sed potius opinionis levitas vel ab inepta sui admiratione, vel ab aliarum rerum ignorantia profecta. Plerique autem hodie peccare solent veterum, quos fere ignorant, contemtu, vix quisquam nimia eorum admiratione. Sed utrique rei modus est statuendus. Multa in patribus sunt reprehendenda, atque inprimis illud, quod genus interpretandi allegoricum ac typicum invexerunt, de quo in alio capite diximus. Sed modum excedit Whitbyus Anglus, qui librum scripsit, quo conatus est demonstrare, *Patres, sive primaevos, sive subsequentes, non esse idoneos S. Scripturae interpretes.* Atqui e patribus multos, inprimis Graecos, de librorum sacrorum interpretatione praeclare meritos esse, doctior nemo dubitat. Vid. Ernesti dissertatio *de Origene interpretationis librorum sacrorum grammaticae auctore,* in ejus *opusculis philologicis criticis* pag. 288. seqq. Hoc autem tam late patet, ut non dubitet Ernestus dicere, non admodum multa hodie proferri, quae non sint ab antiquitate hausta. Sed quae patres bene dixerunt, ea plerique hodie ignorant, alii ne oblatis quidem sciunt uti. Ut in Ep. *Jac. I.* 10. interpretationem unice veram, qua e praecedenti verbo καυχάσθω eliciendum est verbum contrariae significationis αἰσχυνέσθω, jam Oecumenius habet, eamque a Grotio prolatam pauci in veterum scriptorum lectione et interpretatione exercitati intelligunt.

§. 27. per se clarus commentatione non indiget.




3 2044 038 399 911

